



# **lobvs Theodori Bezae, partim commentariis partim paraphrasi illvstratvs.**

<https://hdl.handle.net/1874/406423>

IOBVS  
**THEODORI BEZAE**  
 PARTIM COMMENTARIIS  
 PARTIM PARAPHRASI  
 ILLVSTRATVS.



GENEVÆ,

*Excudebat Ioannes le Preux.*

---

*M.D. LXXXIX.*

1042  
THEODORI ALEXAE  
PARTIM COMMENTARII  
PARTIM PARAPHRASI  
PARAPHRASAT  
\*



GENFIA

Exemplar Joannis de Turno

MDLXXXIX

POTENTISSIMÆ ET SE-  
renissima Dei gratia Angliae, Francia Hiber-  
nia, & circumiacentium insularum Regina,  
ELIZABETHÆ Gallorū, Belgarū & Italorū pro  
Christi nomine exulantiū nutricia, & Christia-  
nae totius verae religionis inuictæ propugnatrixi,  
Theodorus Beza gratiam & pacem à Domino.

**D**EVS ille Opt. Max. Regina, qui te in ipsa iuuēcute  
ex leonum faucibus ereptam Regij sceptri non  
vnius maiestate exornauit: qui te tot populis non  
auctoritate tantum Regia præesse, sed etiam om-  
nibus & puræ pietatis, & sinceræ charitatis exemplis præire  
voluit: qui te denique domi quidem toties à nefariorum ho-  
minum insidiis, foris autem aduersus hostis potētissimi & in-  
festissimi classes instructissimas, ipsis etiam ad opem tibi ferē-  
dam excitatis ventis tutatus, tot pias animas præsidio tuo te-  
stas in te vna tam admirabiliter liberata conseruauit: opti-  
mo certè iure nos vt omnium hominum maximè ingratos  
arguerit, nisi tum diuinam illam tantam beneficētiā solēni  
gratiarū actione prædicauerimus: tū illa in nos per te, aucto-  
re ipso collata beneficia, voce simul & scriptis fuerimus te-  
stati. Nec enim assentari voluisse videri potest quem, vel id  
quod res est profiteri, vel subire αχαρνίας crimē oporteat. Vt  
autem nos quoque, licet tam procul in Allobrogum finibus  
singuli, in illorum clientum tuorum numero censemur, il-  
latis illa tua benignitas effecit, Geneua, renouato veterum il-  
laturum Ecclesiarum ab Apostolo celebratarum exemplo, af-  
perrimis illis pestis, famis, ac etiam bellis temporibus tam li-  
beraliter abs te adiuta, ut tuæ, tuorumque Anglorum veræ  
Christianæ charitati suam, non parua ex parte, incolumente  
debere sese meritò testetur. Hac de re vero, pro meo in hac  
Ecclesia munere, cogitanti mihi, Regina, partim recurrens  
illa longè grauioris belli, quo nunc premimur, necessitas il-  
lius tui summi beneficij memoriam renouauit, partim op-  
portunissimam huius officij præstandi rationem alia occasio-

suppeditauit. Accidit enim, ut quo tempore te hostis ille ferocius impetebat, nos autem & Gallicarum Ecclesiarum misericordia grauiter exercebant, & hostis vicinus respirare vix patiebatur, historiam Iobi, tanquam tam miseris temporibus accommodatissimam, in hac schola interpretaretur. Nam ut Abrahamū, Mosem, Dauidē, sua cōstantissima fides magnopere commendet, patientia tamen laus Iobus, quasi prærogatiua quadam, meritò tribuitur, ut pote quo neminem mortaliū legimus, neque rabie maiore à Satana & ipsius ministris oppugnatum, neque fortius ad extreūm usque, quanuis inter certandum humanum aliquid paſsum, illis atque adeo simili ipsi restitisse. Pugnant enim aduersus virtutē cæteræ Christianæ virtutes, Patiētia verò, quā nostrę literę multo expressio re Græca voce ὑπομονή appellat, & illas pugnantes, impares aliqui futuras sustinet, & sola tādem coronā apprehendit: ideoq; præ ceteris ab illo humani generis hoste furiis machinisque omnibus incessit. In illius autem scripti interpretatio ne, quæ mihi in mentem venerant, quum initio brevibus à me annotata, & attentiūs postea recognita, auditorum quorundam meorum hortatu, essem editurus: nemini magis illa quam R. T. M. conuenire, plurimis maximisque de causis existimauit. Quanuis enim Deus, populos tibi commissos commiseratus, Satanę aduersum te ipsum licere minimè voluerit, quæ in Iobum eidem concessit: tamen ambigi non potest, quin longè maximis, ac pœnè incredibilibus curis à multis iam annis pium illud tuum pectus, idem ille οὐαὶ περιδομέσθαι, miseras illorū omnes quodāmodo, & haud multò aliter, quām si te ipsum attingerent, persenseris: & nullis neque perfidorum coniurationibus, neque exterorum minis & conatiis perterrita, unius prouidentiæ diuinæ, & rectæ conscientiæ testimonio frēta, Iobi nostri huius imitatrix, pertuleris. Ad hæc accedit quod insignis illa de diuina, in totius mundi administratione, prouidentia quæstio, in quā discetur, Quinam possit Dei iustitia cum illa ἀταξίᾳ conciliari, quæ præcipue in honorum aduersis, & malorum prosperis rebus

rebus cernitur: cognitu Christianis omnibus, ac præsertim auctoritate inter ceteros prædictis, ut fortis sese & constantes prebeant, necessaria: quæstio, inquam, illa, ad quam tanquam scopulum Epicurei iam pridem naufragium fecerunt, ceteri verò philosophi impegerunt, & hærent etiam num hodie nimium multi, nusquam in sacris nostris libris pleniùs, & copiosius disceptatur: nusquam clariore & certiore hypothesi illustratur: nusquam apertiùs ipsius Dei voce definitur: qua ex re futurum spero, ut quæ hic docentur, partim in te ipsa, partim in aliis experta, maximam voluptatem capias. Præterea quum tu, Regina, in liberalibus etiam omnibus disciplinis, ratissimo omnibus fculis exemplo, erudita, veterum scriptorū tum Græcorum, tum Latinorum libros cōsueceris, ut audio, volutare, hic demùm certè inuenies aut iam inuenisti, quod animum tuum expleat. Præterquam enim quod hic scriptor sanctissimè omnia, præcunte Spiritu sancto definit, tā etiam eruditè, grauiter, eloquenter de rebus physicis differit, & admirandis illis opatōs operibus in quibus rā dōpata ipsius discipiuntur: ut ne inter sacros quidem libros ullus extet cum isto, in hoc quidem arguento, conferendus: nullus verò rā dōpata, etiam ubi vera dicunt, huius scriptoris dōpatorū & diuinam planè grandiloquentiam assequatur. Ceterum huc librum, quo nullus est inter illos sacros, nisi fallor, ne ipso quidem excepto Mose, vetustior, obscurum nobis & intellectu difficilem multis reddunt locis, partim rerum ipsarum, de quibus à sapiētissimis hominibus in eo differitur, sublimitas, quibusuis minimè peruvia: partim peregrinæ multæ voces, ac etiam phrases à puris Hebræis discrepantes: iā tum videlicet non tātum veræ religionis, verūm etia sincere Hebraicæ linguae puritate, inter populos illos, aliosex Esauo, alios ex Gethura satos, & hoc illuc per viciniam dispersos sensim, ut res sunt humanæ, degenerante: partim etiā quedā dōpatorū & lēgōmera, in quibus Hebrei quoque, licet linguarum illarum non sapienti, interpretes desudat. Magna igitur laus doctissimis superiorum etatum theologis & Græcis & Latinis barbaro quoque seculo natis debetur, qui tenebris istis lucem inferre studuerunt. Eorū sed enim lucubrations quantumvis pias & eruditas, tamen, quod bona cum illorum pace dictum velim, səpissimè à scriptoris scopo aberrantes, quisquis ad veri con-

textus Hebraici regulam, sicuti par est, exegetit, comperiet  
profectò ex quo mox & ab Apostolorū & insignium illorum  
Euangelistatum seculo, linguarū & ἐπινείας donum in Græ-  
cis & Latinis Ecclesiis desit, quantum Ecclesiæ interfuerit  
veritatem nobis sacris illis libris admirabiliter ab ipso mundi  
exordio proditam, & ab Apostolis postea in Græcæ lingue  
riuulos diductam, ex ipsis potius fontibus, quām ex lacunis, id  
est, ex Græca, qualis extat, & Latina illa peruvulgata, vtraque  
certè ut initio non satis pura, sic miris postea modis de-  
prauata, haurire, & cæteris propinare. Hanc autem Latinarū  
versionum scabrixiem eti magnus ille Hieronymus, neque  
inuidiam, neque imprudentem zelum veritus, maximo &  
Ecclesiis utilissimo labore pro viribus repurgauit: minimè ta-  
men penitus abstersit. Omitto inuenteratum illum ab Orige  
nis temporibus morem miris quibusdam allegoriis genuinū  
sacri contextus sensum non tantum inuertendi, sed etiam  
(quidni enim quod res ipsa clamitat ingenuè dixerim?) per-  
uertendi: qua in re, fatali quodā diuino iudicio, maximi quo-  
que viri modum nullum tenuerunt, si quis est in peccando  
modus. Viderint igitur quām bene sibi caueant, & Ecclesiæ  
Christi prospiciant, qui linguarum & bonarum artium stu-  
diis diuinitus nostro seculo restitutis, Hebræos codices à Iu-  
dæis corruptos, & Græcorum noui testamenti librorum di-  
uersam scripturam causificati, vulgatae inter ipsos Latinæ in-  
terpretationi, & quidem sine exceptione, contra Pontificum,  
etiam suorum antiqua decreta, acquiescere, id est, repertis fru-  
gibus nos glandibus vesci, censoriis suis edictis iubent. Absit  
igitur ab omnibus sanæ mētis Christianis, vt isti tam inepto,  
tam iniquo, tam exitiali conciliabuli Tridentini decreto ob-  
sequātur. Fruantur potius tanto nobis diuinitus collato ad in-  
staurandā Christianā religionē necessario beneficio: veteres  
versiones, de quibus iam pridem scripsit Augustinus, numera-  
ri posse Græcos sacrarum literarum interpretes, Latinos non  
item, nullus aspernetur, omnes autem cum iudicio legant: ita  
videlicet ut quibus id concessum est, ad fontes ipsos recur-  
rant: quibus verò datum stud non est, eorum commentarios  
consultant, & diligenter in timore Domini, tum veterum, tú  
recentiorum diuersæ interpretationis argumenta & ratio-  
nes expendant. Hoc enim certè dissimulari nec potest, nec  
debet,

debet, sacrarum literarum versiones illas plerasque partim  
matricum illarum linguarum imperitia, partim libratorum  
negligentia sic extare depravatas, atque adeò tam multis  
modis inquinatas, ut illis cuerrendis nullus adhuc eorum  
theologorum, quos hoc nostro feliciore, hac ex parte, secu-  
lo, Deus ad repurgandum templum suum excitauit, nec eru-  
ditio maxima, nec indefatigabilis diligētia par esse potuerit.  
Hoc ego consilio, annis ab hinc quadraginta, quum me totū  
ad theologiæ studium, Græcis vñcunque literis instructus,  
cōculisse: noui testamēti librorū versiones illas tam varias,  
cum fontibus ipsis primū, ac deinceps cum veterū ac recē-  
tiorū scriptis conferre cœpi. Hinc illa tandem nata est noui  
testamenti noua in Latinam linguam translatio, additis co-  
piosis annotationibus à me iam quinques edita, & augusto  
nomini tuo consecrata: in quo tamē adhuc opere recognos-  
cendo quotidie me versari non pœnitet. In veteris autem te-  
stamenti librī idem tentare me prohibuit quæ mihi domi  
nimiūm est curta in Hebræis supellex. Præstare tamen ali-  
quid in difficultimis duobus librī, Psalmis videlicet & Eccle-  
siaste sum conatus, quorum contextum leuiter emendatum,  
partim pauculis inseritis voculis, partim diligenter appensis  
singulis vocabulis, & totius orationis serie studiosè obserua-  
ta, studui accurata simul & perspicua paraphrasi illustrare: nō  
alio sanè consilio hæc omnia, quām vt eruditiorum studium  
ad præstanta meliora excitarem. Ecce verò nūc idem in hac  
Iobi historia conari sum ausis: & aliquid etiam amplius. Iustū  
enim commentariū scripti in duo illius prima capita, in qui-  
bus tum grauissimas quæstiones non paucas, tum illam in  
primis de prouidentia Dei controuersiā, solidè simul & per-  
spicuè, pro viribus quidē meis, explicavi. Præposui præterea  
singulis reliquis capitibus eorum de quibus agitur summam,  
& singulorum argumentorum dispositionem: cuius methodi  
ignorationem vel contemptum, ausim ego dicere permultas  
tum falsas, tum ineptas enarrationes, non tantū in hunc Io-  
bi librum, verū etiam in Prophetica & Apostolica scripta  
inuexisse. Ecquid autem in istis præstiterim alij diiudicent.  
Meum quidem certè institutum piis, & æquis lectoribus om-  
nibus non ingratum fore confido, præsertim si R. T. M. pro  
humanitate singulari sua, opellam hanc in eam tam nichil.

probaſit, quām meū iſtud illi quicquid eſt, ea quæ Regium  
fastigium deſet reuerentia, non meo duntaxat, verū etiā  
totius iſtius Geneuenſis tot, tantorū que benefictorum tuo-  
rum, non immemoris: Ecclesiæ ac Scholæ nomine consecra-  
ui: fausta proſperaq; magis ac magis omnia tibi, Regina, hoc  
quod iam pridem accepisse te existim⁹ gratulatorio repetit⁹  
carmine ab Opt. Max. Deo precatus.

*Strauerat innumeris Hispanus classibus aquor,  
Regnis iuncturus sceptrum Britanna suis.  
Tāti huius rogitas qua motus causa? superbos  
Impulit Ambitio, vexit Avaritia:  
Quām bene te, Ambitio mersit vanissima vetus:  
Et tumida tumidos vos superasti aquæ!  
Quām bene raptoreſ orbis totius Iberos  
Mersit inexhausti iusta vorago maris!  
At tu, cui venti, cui totum militat aquor,  
Regina, o mundi totius una decus.  
Sic regnare Deo perge, Ambitione remota,  
Prodiga ſic opibus perge iuuare pios,  
Vt te Angli longum, longum Anglis ipſa fruaris,  
Quām dilecta bonis, tam metuenda malis.*

Geneua à Sabaudo Principe circumſeffx XII. Auguſti, an-  
no vltim⁹ Dei patientiæ c i c i c x c i x.

Regiæ tuæ Maiestati addiſiſſi-  
mus THEODORVS BEZA.

D. BEZA AGGREDIENS LIBRI  
IOBI EXPLICATIONEM  
DIE XXIII. JANVARII M.D.LXXXVII.  
hanc primam lectionem habuit.



V A N D O Q V I D E M ita tulit horum temporum asperitas & huius Reipub. angustia, ut maximo nostro cum dolore, aliotum Professorum, meorum in hac Schola collegarum charissimorum vox, conticescat, putauit mei esse officij damnum istud pro mea vili larcire, tantisper dum pro sua misericordia Dominus instaurationem huius Scholæ nobis concedat.

Proposui verò mihi explicandam Iobi historiā, inter cæteros sacros libros non paucis locis obscuram & difficultem, adeò ut hic sit mihi quasi inter scopulos nauigandum: sed spero tamē futurum ut nullum hic faciam naufragium, primum Dei Opt. Max. bonitate, deinde vestris precibus fretus, ac demum doctissimorum tum veterum, tum in primis recentiorum huius libri interpretum scriptis adiutus, cuiusmodi sunt in primis tres illi beatissimæ memoriae Theologi, quos nostris temporibus Dominus excitauit: Ioannem Oecolampadium dico, Ioannem Caluinum, & tertio demum loco Ioannem Mercerum, cuius eruditissimos commentarios edendos in hac Ecclesia curauit, ex quibus omnia quæ ad Hebraici contextus Grammaticam explicationem pertinent, petatis velim. Meretus interpretationem Latinam, ipsius commentario inspersam, ut omnium certissimam, sequi præ cæteris & explicare decreui, minime interim dissimilans siquid in illa commodè mutandum, pro mei iudicij modulo, censuero.

Cæterū præfert hic liber apud Hebræos simpliciter Iobi nomen, de quo quæri non pauca consueverunt minimè superuacanea. Ac primum quidem, An Iobus iste vñquam re ipsa extiterit. Nec enim desunt quæ totum hoc argumentum existimat nihil aliud esse quam cōfictum quoddam δρᾶμα, quo erudiretur Ecclesia. Sed horum sententiā prorsus esse repudiandā censeo, tum quoniam sic penè abolerur huius libri auctoritas ac dignitas, tum quod disserit Dominus Ezechi. cap. 14. v. 14. & 20. Iobi ut sanctissimi hominis mentionem faciat, Noacho & Danieli illum annumerans: Iacobus autem fabulam minimè profectò citans, in illum intueri nos iuber cap. 5. v. 11. Sed & Chrysostomus testatur monstratum fuisse ipsius in Arabia sepulchrum.

Deinde queritur, Quis, siue cuius generis fuerit hic Iobus. Nam fuisse quidem ex regione Huts hic narratur, sed non vñus repetitur hoc nomine inter patres. Vnus enim Genes. 10. v. 23. tertius à Noacho, & Arami filius recensetur: alter Genes. 21. vers. 21. fuit Nachor, frater Abrahæ ex Molcha filius: tertius Genes. 36. v. 28. fuit

A. j.

ex posteris Esau, ad quem ego quidem malo hunc nostrum Iobum referre, præsertim quod Threnorum 4.v.21. Terra Hutz in Idumæa statuatur; Arabiæ felici proxima, ex qua etiam dicuntur Sabæi in oves Iobi irruisse. Sit ergo nobis Iobus Idumæus, quemadmodum & ipsius amici, partim Idumæi, partim Idumæis contigui fuerunt.

Quotus verò Iobus fuerit ab Esau incertum est. Omissis autem eorum somniis qui ad posteriora tempora referunt illius æratem, maximè probabilis mihi videtur, & historiæ sacræ seriei consentanea eorum sententia quitempore captiuitatis Ægyptiacæ vixisse Iobum, & hæc gesta fuisse censem. Quæritur denique & illud. A quo perscriptus fuerit hic liber, qua de re Gregorius Romanus recte & scitè sensit, frustra quæri de eius libri scriptore, cuius auctorem esse Spiritum Sanctum nō dubitetur. Satis sit ergo nobis quod hunc librum cōstet fuisse perpetuo Ecclesiæ consenu inter sanctos & Canonicos receptū, & Iacobi quoq; expressa auctoritate confirmatum. Hoc autem res ipsa clamat, non fuisse exceptos istos sermones ex illorum ore qui loquentes hic introducuntur, sed quām accuratissimè postea siue à Iobo sapientissimo & eloquentissimo viro, siue ab ipsius amicis, coniunctis fortassis inter ipsos operis, præcunte Spiritu Sancto conscriptos, siue soluta orationes siue (ut credit Hieronymus) Hexametrī versibus, à cap. 3. ad quintum usque postremi capitī versiculum, quorum tamen mensuram & numeros non tradit, & perdifficile fuerit ostendere. Nec etiam mihi prorsus repudiandū videtur quod à nonnullis traditur, à Moses perscriptum fuisse apud Madianitas peregrinante.

Constat autem totus hic liber dialogismis, si excipiatur proœmium & libri finis: & nisi latissima catastrophe finiretur, merito posset tum propter argumentum ipsum, quo nihil gravius cogitari potest, tum propter personarum differentium dignitatem longè maximam Tragœdia dici: non quidem ut confictum poëma, sed ut res gesta verissimè, gravissimè, diuinissimè denique perscripta, quicunque ne siquidem humano iudicio de hac re statuantur, nullum poëta ullius scriptum, seu res ipsas seu verba species, possit meritò comparari.

Personæ sunt ipse Deus, Saran, Iobus, vxor Iobi, & quatuor ipsius amici, nempe Eliphazus, Bildadus, Tisopharus, Elius, quorum dialogismos, ut & librum hunc totum, non incommodè in has partes distribuere mihi posse videor.

Ab initio libri ad nonum usque versiculum finitum, secundi capitū, est quasi prologus seu proœmium. Huic autem inseruntur duo dialogismi Dei & Sarana. Vnde nascitur huius Tragœdix occasio, qui sunt instar primæ scenæ Actus primi.

A decimo inceunte versiculo eiusdem capitū secundi, continetur eius Actus primi altera Scena, quæ est dialogus nus Iobi cura uxore sua. Reliqua pars eius capitū est Secundi Actus proœmium. Inde Tragœdię epitasis, & Secundi Actus Scena prima, toto capite tertio compre-

comprehenditur, in quo solus Iob eiulat.

Hinc oritur disputatio, videlicet Iobi & amicorum ipsius, quam distribuo in alteram Actus secundi Scenam, ab initio quarti capititis ad finem septimi, cuius inter locutores sunt Eliphazus & Iobus. Ab octauo capite ad finem decimi, colloquuntur Bildadus & Iobus, quæ Scena est Actus secundi tercia. Inde ad finem capititis decimi quarti disputatur inter Tsopharū & Iobum, quæ est Scena quarta.

Mox tertius Actus sequitur, cuius Scena prima continens repetitam Eliphazi aduersus Iobum dimicationem, finitur capite decimo septimo.

Secunda verò in qua Bildadus cum Iobo contendit, capitibus decimo octauo & decimo nono comprehenditur.

Tertia, quæ est Tsopharj cum Iobo dialogismus, vicefimo primo primo capite finitur.

Quattam constituo in tertia Eliphazi cum Iobo disputatione à vicefimo secundo capite ad finem vicefimi quarti.

Quinta denique in qua acerrimè Bildadus aduersus Iobum certat, à vicefimo quinto capite incipiens, tricesimo primo finitur.

Actu quarto introducitur Elius grauissimè tum Iobum tum amicos reprehendens, à capite tricesimo secundo ad finem tricesimi septimi.

Actus quintus catastrophen continet, in qua Deus ipse, velut ἀπό μηχανῆς apparens, totam disputationem dirimit: sic Iobum reprehendens, ut tamen secundum illum iudicet, amicos autem eius acriter satis, ut malæ causa patronos coarguat, à tricesimo octauo capite usque ad quadragesimi secundi versiculum nonum.

Inde breuis narratio felicis exitus calamitatum Iobi tragediam instar cuiusdam epilogi terminat.

Præcipuè verò querendum est de huius libri fine & scopo ad quem tota hæc disceptatio sit referenda. Eum nonnulli esse statuunt Prudentiæ diuina explicationem. Et fateor quidem ego de hac re in hoc libro copiosissimè & diuinissimè disputari à sapientissimis hominibus, quod etiam Deus ipse sua voce definit. Sed quum latius pareat Prudentiæ argumentum, commodius mihi videntur sentire qui potius de Dei & Hominum iustitia, idque non vniuersaliter, neque ἀπόλατο, sed κατὰ τι & certo respectu quæri in hoc libro existimant: nempe, quod ad Deum attinet, An ferat Dei Iustitia ut verè bonæ & integræ vitae homines durissimis & asperrimis omnis generis calamitatibus afficiantur, siue, ut breuius loquar, An Dei iustitia patiatur ut in hac vita vel Malis Benè, vel Bonis Male sit. Ad homines autem quod attinet, quæritur, An de hominum vel Iustitia ex secundis rebus, vel Iniustitia ex aduersis sit iudicandum. Hæc autem utraque quæstio, et si inter disputandum tractatur, interdum disceptatur, tamen maxima ex parte ἐπιθετῶν tractatur, ad personam videlicet & præsentem statum Iobi accommodata. Nam amici quidem Iobi existimant neque cum Dei iustitia, ne-

que cum vera vite integritate, qua predictus antea fuisse Iobus videbatur, conciliari posse tam subitum & tam miserum Iobi casum, ac proinde illum ad agnoscendam suam hypocrisim, & petendam à Deo veniam hortantur. Contra verò Iobus sibi optimè conscient, ad prius quidem caput hæret, Quinam videlicet fieri possit, vt tot tantisque calamitatibus tam subito prosternatur qui peccator quidem sit (nec enim hoc ipse negat, imo talem se natum esse confiteretur) sed tamen ex animo sancte & honeste pro viribus sese erga Deum & homines gesserit. In altero verò accusationis amicorum capite, quod videlicet hypocritā, immo sceleratissimum ipsum fuisse ex præsentibus ipsius calamitatibus concluderent, grauissimè probitatem suam afferit, & de iniuria sibi ab iis facta conqueritur, qui quum ad ipsum consolandum aduenisse videri vellent, afflictionem asperrimam adderent homini iam plus satis afflito. Hinc ergo intelligi potest dupliciter à vero aberrasse Iobi amicos, nempe & in ~~tertio~~ & in ~~quarto~~. In thesi quidem quod ferre posse Dei iustitiam negarent, vt verè boni diuinitus, præsertim tam acerbè de repente affligantur, siue, Non nisi propter peccata hominibus eiusmodi calamitates immitti, ac proinde non posse quenquam simul verè probum fuisse, & tam calamitosum subito fieri. In hypothesi verò quod hoc utrumque Iobi personæ immerito applicarent, quanuis interrea præclarè & verè multa, sed malè conclusa & perperam applicata de Dei Prudentia & Iustitia differant. Iobus autem, et si de re tota rectius sentit & iudicat, tamen & doloris magnitudine, & amicorum amarulentia penè oppressus, modum interdum non tenet in afferenda sua, tum apud Deum, tum apud amicos innocentia: & in profundam occultorum Dei indiciorum abyssum, partim à grauissima tentatione, partim ab amicorum prolatis argumentis prolapsus, sic expedite se nequit, quin humanum aliquid patiatur. Nunquam tamen (ut pote Dei manu illum sustinente) in blasphemias cogitationes aut voces erumpit: sed contrà, superato Satana, victor tandem fortissimus Dei athleta triumphat.

Hæc verò illa est omnium grauissima disputatio, iam olim, ut hinc apparet, & antiquissimis illis seculis agitata: cuius etiam nec disputatio in utramque partem, nec decisio ab ipsius Dei ore profecta, efficere potuerunt quominus & Davide in (psalmo 73. & aliis passim Psalmis) & Ieremiam (Ierem. 15.) & Habachuch Prophetam, (Habac. 1.) valde exercuerit. Nec alio magis fundamento iam olim veteres Epicurei nitebantur, & adhuc hodie impietatem suam impij homines huic basi superstruunt. Est autem omnis hæc dubitatio ex illo veneni Satanae afflatu exorta, quod exornauit specioso illo Scientia boni & mali nomine, quum primos nostros illos patres seduceret. Vnde subeunt enim animos nostros exitiales istæ cogitationes, nisi quod id demum bonum & rectum esse existimantes cuius causam & rationem assequimur & probamus, & infinitam illam Dei sapientiam ac iustitiam ad captus nostri angustissimi obli-

mi obliquissimam normam exigentes, planè insanimus? Eiusmodi sunt hodie illorum quoque clamores qui contendunt à nobis fieri Deum auctorem mali, quum affirmamus nihil neque temerè, neque Deo vel innito vel nesciente, immo Deo sapienter & iustè quidquid cogitatur, dicitur vel fit decernente, euenire, siue bonis, siue malis instrumentis vtatur. Itidem eorum blasphemiae qui æternum reprobationis decretum tollunt, qui Stoicam necessitatem à nobis inuehi contendunt, qui denique Apostolum non audiunt, hoc veluti tonitru omnes istos gigantes prosteruent. Tu qui es qui responsas Deo? Rom. 9. v. 20. Hinc apparet quām utiles sit huius libri doctrina in explicatione tam grauis argumenti, vt neque, trium amicorum Iobi exemplo, Dei sapientiam & iustitiam ex captu nostro metiamur, neque in ipsam diuinæ sapientiæ abyssum nos immergamus, sed, sicut audita Dei redargutione loquitur Iobus, manum ori apponamus, & arcana Domini non curiosè scrutemur, sed sanctè adoremus: quod etiam argumentum copiosè Solomon in Ecclesiaste docens, nimirū sapere nos vetat, & post cum Apostolus opere πάπος δεῖ φανεῖ prohibet.

Sed & alia quām plurima, doctissimus & sanctissimus hic liber nobis obseruāda proponit, veri videlicet Patris familias exemplum in Iobo, & quales præstare se debeant qui auctoritate & opibus in Rebus publicis pollent, vt non tam ciues quām Patres patriæ dicí possint.

Continetur præterea hoc libro certissima & antiquissima Physice, & legitimus illius finis ac usus ostēditur, quem copiosissime hoc libro expositum, Paulus paucis, sed diuinissimis verbis indicauit Rom. 1. v. 19. & Athenis disputans Act. 17. 26. Est autē hęc doctrina eō magis nobis necessaria, quod ex eius ignorantie & profano abuso omnis idolatria & supersticio profluxit, ceterarū gentiū sapientibus, quos Graci Philosophos appellant, miris modis illā, quod ad ipsius usum attinet prophanantibus: aliis quidem tenuiter & ieiunè admodum illam explicantibus: aliis vero manifesta impietate conspurcantibus, vt falsissimos in Physicis errores ab antiquis Philosophis admissos, & ab Aristotele demum demonstratos præteream: quem & ipsum tamen alij vt iniustum nonnunquam reprehensorē, alij vt & ipsum à vero aberrantem reprehendunt, absoluere certè in non paucis ab impietate nemo meritò posse. Quis quod à Physicis abuso emanavit destabilis illa Magia, infinitum scelerum mater? & illa diuinatrix pseudoastrologia, perruptis veræ Physicis finibus, in arcana usque Dei penetrans, & nunc quoque totius mundi fascinatrix? Denique veræ Christianæ Ethices, siue omnium in proximum officiorum domi & foris, inter opulentos præsertim rarissimum exemplar spectandum hic nobis in Iobō, tanquam in tabella proponitur, omnibus etiam Platonicon & Peripateticorum præceptionibus tantò magis anteponendum, Quantò praxis Seopus antecellit, & facta dictis præstant. Sed inter

cæteras Iobi virtutes eminet invicta illa aniæ sancti magnitudo, tum ferream Stoicorum & & dæmonum, tum quicquid de illa superba fortitudine garrierūt Philosophi coarguens, vt non immeritò nobis Iacobus hoc patientiæ exemplum, tum in ipso certamine, tum in ipsius felici exitu iubeat intueri. Nullus enim certè hominum, quorum vitam prescriptam habeamus (excepto vnico illo Filio Dei, in quo perfectissima omnia fuerunt) vel durius afflictus fuit, & acerbius vexatus, vel fortius & constantius ad extremum usque aduersus miseras illas omnes, quam hic noster athleta depugnauit: ita vt verè pancratio vicesse sit existimandus. Humanam tamen fuisse illius patientiam, id est tales ut in ea meritò non pauca Deus, finem huic certamini imponens, desiderarit, dissitendum non est. Sed hinc potius discendum, eos etiam longissimè adhuc abesse a ipsa perfectionis meta, qui inter cæteros mortales stadium huius vitæ & suæ vocationis quam rectissimè decurrunt: ac proinde quan-uis æternæ felicitatis corona non nisi legitimè certantibus, & perseueranter ad extremum usque vitæ spatium currentibus tribuat: illam tamen nullis cuiusquam meritis (excepto uno Christo, qui nobis hanc perfectissima sua obedientia acquisiuit) vt debita personæ, sed ex mera Dei clementissimi gratia ac misericordia cursum nostrum & approbari & coronari. Quæ omnia quum ita se habeant, & in id tempus inciderimus, in quo, si unquam alias, Dominus tum vindicando Euangelijs sui desperato contemptui, tum scribrādis, & omni laetitia genere exercendis & probandis suis, habebas omnes Satanæ & ipsius Angelis laxauit, non immeritò mihi videor hunc librum inter cæteros sacros enarrandum suscepisse. Qua in re, utinam & mihi dicenti, & vobis audientibus, sic Sanctus ille à Domino nobis promissus, & sanctè in nomine suo congregatis, nunquam denegatus Spiritus adsit, abolitis ignorantiarum nostrarum te nebris, atque ad abstersis mentium nostrarum sordibus, vt neque me, neque vos huius laboris unquam pœnitentem.

## C A P V T I.

Vers. 1. *Vir fuit in regione Hutz: lob nomen eius: eratque vir ille in-  
teger & rectus ac timens Dei & recedens a malo.*

**V**ir fuit. Hoc caput commodè in tres partes distribuo, quarum prima scilicet primis versibus comprehensa declarat quis & quantum vir fuerit Iobus apud Deum & homines, ac vicissim quibus beneficijs à Deo fuerit affectus, vt qui iustitia delectaretur Heb. 13. 16. quanquam si recte omnium horum rationem inire volumus, id quoque ex mera Dei gratia Iobus habuit, quod talis extiterit erga Deum & hominem. Quis enim prior dedit ei? Altera vero decretum Dei continet de seruo suo probando, quem euertere Satan nititur. Tertia denique pars à vers. 20. ad finem capituli, victoriam Iobi in hoc primo congressu describit. Quæcunque vero hic de Iobo com-

memo-

memorantur non tantum eò spectant ut sic nobis proponatur verè beati in terris hominis exemplum singulare: verum etiam in primis ad sequentem Tragicam narrationem maximè faciunt. Hominem enim maximis Dei beneficiis abutentem, minimè mirum fuīser grauissimas ingratianimi pœnas luere, repente ex prosperrimo statu in grauissimas calamitates quoquo modo præcipitatū: quum huiusmodi exempla plurima nobis & sacrae & prophanae historiæ præbeant, & hæc etiam tempora nobis suppeditent. Sed hominem tam plium erga Deum, & tam rectum in cæteros homines, tam subitò ex felicissimo, calamitosissimum fieri potuisse, penè incredibile videri poterat. Deinde commendant quoque hæc singula Jobi constantiam, tantò admirabiliorem quantò magis inexpectata & noua fuit hæc tam repentina mutatio. Cuiquam enim ex paupere & ignobili, diuini tandem facto, & nominis celebritatem adepto, non tam nouum & acerbum fuerit ad priorem quam expertus iam esset conditionem relabi. Hominem autem perpetuò tantis & animi & corporis bonis vsum, tam repente, nec opinantem, & quidem quasi Deo ipso cœlum & terram aduersus ipsum commouente, ex eo cuius virtutes & opes apud omnes celebrarentur, omnicalitatum specie infamem reddi: ex tam opulento, tam inopè: ex tot liberoru patre, tam insolito casu orbum fieri: tot denique vulneribus, quibus nihil grauius homini accidere potest, uno momento sanciari, nec tamen animo concidere: sed potius sic ipsius pietatem cæterasque virtutes acui, rarissimum est profectò singularis ac plenè diuinæ animi magnitudinis exemplum. Vir ergo dicitur fuisse Jobus, idest apud omnes illos populos celeberrimus. Hæc enim vis est Hebreæ vocis hoc in loco, sicut interdum apud Græcos & & apud Latinos vir, non simpliciter sexum, sed præstantem & eminentem hominē declarat. In regione Hutz. In Idumæa videlicet, sicut in præfatione diximus, quod non tantum patriam, sed etiam genus ab Edomo sive Esao deductum ostendit, & ad rem maximè facit. Quis enim non admiretur tum pietate tanta, tum sapientia tam eximia existere hominem potuisse, ex Abrahamo quidem & Isaaco prognatum, nontamen Israëlitam, nec in Iacobi familia nutritum? Multò enim insignior laus est tam plium esse inter impios, quales fuerunt maxima exparte Idumæi: & tam bonum inter pessimos: quam inter piros plium, & inter bonos, bonum exitisse. Sunt autem hic præterea quædam obseruanda, ac primum quidem Deum quo tempore cum Abrahamo & eius nascitura sobole fædus iniit, non videri statim cæteras gentes & familias orbis terrarū abdicasse. Constat enim ex iis quæ de Pharaone & Abimelecho in historia Abrahami & Isaaci referuntur, nondū tunc penitus euauisfe veram veri Dei notitiam à sanctis patriarchis acceptam, ne inter Chami quidem posteros, à quibus & Ægyptij & Chananæi orti sunt. Et q. inam fuisse, quæ, Ecclesia tunc in unius Abrahæmi domum conclusa, quam Melchisedecus, ipsius Christi typus,

eo ipso tempore sacerdos fuerit altissimi? Qui si fuit ipse Sem, ut nonnulli, non temerè, existimant, superuixisse Abrahamo deprehendetur annos 34. quum Esauus & Iacobus iam annum agerent vitæ 49. Tum igitur fuit aliqua extra Abrahāmi quoque domum Ecclesia, cui suæ notæ, nempe, venturi seminis promissio & Sacra-menta, nempe Sacrificia non defuerunt: sed quæ alibi paulatim obsolescerent, apud Abrahamū verò multò ma nebant puriora: cuius etiam domus erat peculiari Circumcisionis Sacramēto nobilitata, & in quam etiam paulatim tota collecta est Ecclesia, adeò ut quisquis Circumcisus non esset in Ecclesia non censeretur. Huius autem integræ Gentium abdicationis tempus verè & commodè mihi videtur ab egressu populi ex Ægypto, & altera Circumcisionis promulgatione inchoari: quod etiam notare mihi videtur Paulus in illa celebri concione Antiochiae Pisidia habita.

**Exod. 12.  
48.**  
**Leuit. 12.  
3.**  
**Act. 13.17**

Alterum quod obseruandum esse diximus, nascitur ex eo quod Esauum dicitur Deus odio habuisse, quem etiam testatur Malach. fuisse in montem Seir extra terram Chanaan, quasi extra foedus relegatum, posteris etiam eius in ea maledictione comprehensis, ut qui fuerint populi Dei hostes perpetui, quem etiam ex captiuitate Ægyptiaca reuertentem à suis finibus excluderunt. Quod si res ita se haberet, quí-nam Iobus tam pins & religiosus fuisse, ipsius etiam Dei testimonio, existimabitur? Respondeo, et si Esauus reuera multis modis sese prophanum fuisse demonstravit, & horrendum Dei iudicium in ipsum incubuit, atque tandem ad eius posteros peruersit: ipsum tamen non dici à foedere Dei, sed à primogenitura duxat excidisse. Et quod ex terra Chanaan secessit, factum quidem fuisse fateor tacita Dei prouidentia, sic declarantis quod tandem evenit iusto Dei iudicio, non autem quasi iam tum Idumæi simpli-citer à Dei foedere exclusi intelligerentur, quod ne cæteris quidem Gentibus statim evenisse ostendimus. Fuit ergo tum quoque verus Deus inter Esaui posteros, si non omnes, at certè quibus Deus benedixit, & agnitus & sanctè adoratus, non tantum cultu illo ex vetustissimis Patriarchis accepto, sed etiam specialiter ex doctrina & revelationibus Abrahamo & Isaaco patefactis. Hec enim dubium etiam non est quin Abrahamus studiosè & accuratè nepotes illos suos, Iobum & Esauum, diligenter, hoc de ipso testimoniū expressè perhibente Domino, docuerit, ut pote quos viderit annum vitæ decimum quintum agentes, ut ex accurata annorum Abrahāmi supputatione liquet. Sed quid plura? Ex fructibus arbor dignoscitur. Quanta verò fuerit doctrinæ cœlestis non tantum in Iobo, sed etiam in ipsius amicis cognitio, quanta illorum pietas, etiam ybi falluntur, extiterit, & quām admirabilis simul ac religiosa sapientia, partim ex eorum sermonibus ultro citrō que habitis, partim ex ipsius Dei cum ipsis colloquio, liquidè cognoscitur. Et quum præterea iidem cum ipsorum familiis, sicut probabile est, foederis etiam notam externam, id est circumcisionem habuerint, ambi-

**Genes.  
18. v. 19.**

fœderis etiam notam externam, id est circumcisio[n]em habuerint, ambigere non possum quin, non obstante illo Dei in Esauum & eius sobolem odio, vniuersaliter (non autem in singulatibus personis) considerato, lobus, & omnes Idumæi ipsius similes, et si gener non fuerint Israëlitæ, tamen vera Ecclesiæ membra fuerint. Sic etiam paulatim, non uno seculo (Deo sic vlciscente, veritatis lux, ut illis prioribus seculis contemptum: & defectione, cuius meminerunt Paulus & Iohannes, in Oriente & Occidente, sequuta) quanuis Antichristus in Dei templo sedens non sit Christus, ac proinde Antichtisti sectatores non possint Christi Ecclesia esse, quia tamen, inuitu Satana & Antichristo, Ecclesiæ tessera illuc manet, dubium non est quin Deus, suos in illo Antchristianisimo semper habuerit, & habeat electos, quales videlicet Daniel & verè pij omnes in media Babylonica captiuitate extiterunt.

Præterea h[ic] obseruabimus quæ ferè sit Ecclesiæ in terris conditio. Nam ecce, dum quieti sunt in suis sedibus Idumæi, procul-dubio prophani non pauci, Iobo dissimiles, & aliæ gentes plurimæ Orientales ex Abrahami concubinis ortæ, & opibus florentes, Is- Gen. 25.  
raëlitæ contrà durissimam seruitutem in Ægypto seruiunt. Sed 6.  
quis tandem fuit illorum quidem felicitatis, istorum vero seruitutis exitus? Illorum miserrimus, ut qui tandem penitus à fœdere cæteræ exciderūt: istorum autem felicissimus, ut poterit quos Deus, cæteris repudiatis populis, asciuerit. Ne inquietamur ergo Ecclesiam ex multitudine vel prosperis rebus. Sed anteponamus crucem pro veritate & iustitia, fluxæ & euanidæ omnium impiorum felicitatis simulacrum. Quanquam certè Israëlitæ ex inera Dei gratia sint à Deo adsciti & in terram promissam introducti, alioquin cæteris Dant. 52.  
g[ener]tibus nihilo digniores, ut illis exprobrat in illo suo Canticum Mo- 8. & de-  
ses, & post Mosen, in ultima sua contestatione, Iosue, ut quisquis incepit.  
gloriatur, non nisi in Domino gloriatur. Iosue 24.  
1. Cor. 1.  
vers. 31.

Sed illud mirari subit, vnde tandem illa tanta in ipsis hominibus arcanorum naturæ cognitio. Quanvis enim Physice ex professo in hoc libro non tractetur, sic tamen verè, sanctè, magnificè, de rebus illis differere non potuerunt, quibus non essent ipsa perfectissimè perspectæ. Omnino igitur verum est bonarum & utilium disciplinarum absolutissimam scientiam Adamo fuisse diuinitus ab ipsa creatione insitam, sine quibus alioqui rectè animantibus dominari & commq[ue]dè vivere, & illius dominationis usum ad verum illum finem, id est ad Dei conditoris gloriam referre non potuisset. Quanvis autem hac etiam in parte grauitate læsa sit per lapsum hominis intelligentia, Deus tamen semina bonarum artium & scientiarum, sine quibus homines statim in bellas degenerassent, in hominum mentibus conseruavit, ut ex eo appareret quod omnium illarum, aut certè præcipuarum ἀρχῶν & τοντῶν ἐνομαζant animalis insculpta. Et hoc subodoratus fuisse videtur Plato, homines docens quum erudiuntur, non tam noui aliquid discere, quam ea

quorum oblii videbantur reminisci. Primos igitur illos Patriarchas censeo sicut veram creationem mundi ab ipsis ~~αρετον λαζοις~~ didicerant, ita verae naturalis Philosophiae, quae mundum & eius partes, tum simplices, tum compositas, supra & infra, scrutatur, scientissimos fuisse, qui thezaurus praecipue (vt & verae imprimis pieratis doctrina) penes Abrahami familiam manserit. Huius rei certum testimonium praebet Mosis imprimis Cosmopoeia si cum Platonis Timeo & ipsis imprimis Aristotelis de mundi aeternitate delirio conferatur, & humanis quoque rationibus illa inter se expendantur. Idem ostendunt, non hic tantum liber vel Mose antiquior, vel, vt nonnulli volunt, à Mose editus: verum etiam excellentes plurimi psalmi, quibus nihil quidem ego non tantum sanctius & verius, verum etiam doctius & elegantius dici de his rebus posse affirmo. Quod si omnes illi Solomonis libri extarent, sorderet proculdubio præ illis quicquid vlli aliarum gentium scriptores de ipsis tradiderunt. Et hinc etiam factum videmus vt apud has & illas gentes multi celebrentur tanquam variarum rerum & artium, primi inventores, propterea etiam in Deorum numerum relatione, vt apud Ægyptios Osiris, & apud Græcos Ceres & Bacchus, quarum tamen v etustissimum usum, praesertim apud populum Dei extitisse, ex sacris historiis liquet. Quid, quod ex omnium gentium alphabetis constat literatum usum ab Hebreis manasse? Nec alienum à vero videtur quod de Ægyptiis ab Abraham doctis narrat Iosephus lib. Antiq. I. cap. 8. luce illa, vt & veri Dei, & veri diuini cultus doctrina, paulatim inter populos orbis terrarum, alibi quidem, astu Satanæ, tū in nefandâ illam Magiam, tum in horrendam idololatriâ degenerante, alibi verò partim infinitis mendaciis conspurcata, partim mysticis fabulis & ænigmatibus malitiosè obscurata, vel potius profanata; alibi denique planè deficiente, mox vbiique interitura: ac proinde omnibus hominibus in bellus immanes degeneraturis, nisi Deus præclara quædam ingenia ad illas artes ab interitu vindicandas excitasset. Ab Ægyptiis certè Philosophiam ad Græcos, sed posterioribus demum temporibus, vt erat multis modis contaminata, fuisse traductam, inquit etiam illic fuisse eruditos Solonem, ex septem illis Sapientibus unum, iridemque Pythagoram, ac tandem etiam Platonem ajunt. Sed quam densis tenebris immersa fuerit apud Græcos vniuersa illa Philosophia appareat ex tot sectarum apud illos nunquam finitis dissidiis, adeò vt tandem inter illos non infimi nihil certò sciri posse, impia & intolerabili audacia, non tantum dicere, sed etiam argumentis probare, ac proinde ipsis suam ~~αἰτιαληψίαν~~ redarguere sint conati. Sit igitur hoc fixum tum aduersus prophanos illos quæ de his rebus in his sacrissimis libris traduntur falsis suis axiomatibus subiicientes, tum aduersus sciolos, quibus diuini isti libri nihil sapiunt: sicut ex iis unus scriptis vera omnis religio petenda est, ita verae physices doctrinam, qualis ex Prophanis illis Philosophis, ne Aristotele quidem illorum,

ne quidem iudicio, facile principe, excepto discitur, ad horum factorum scriptorum normam esse exigendam, nisi à veritate aberrare volumus.

*Integer.* Sic interpretari malo quam perfectum vitandæ homyniæ causa. Quicquid enim de Iobi & cuiusvis alterius, excepto uno Christo ab omni labore vitij immuni, virtutibus dicitur, mancum & imperfectum fuit, carnis reliquis aduersus Spiritum pugnantibus, ut ex ipsis Iobi quamvis inter homines constantissimi exemplo liquet, à Domino propterea correpti infra capit. 38.  
vers. 2. In Græca vero interpretatione alij ἀμαρτιῶν id est, in quo nihil culpari possit, alii λαθεῖσιν, alij ἀπλάνη, id est, simplicē & vasto oppositum verterunt. Ex his enim tribus quæ in Græco contextu leguntur, duo necesse est redundare & ex diuersis interpretationibus per descriptorum incuriam in contextum irreprobisse, quod sæpe in illis libris accidit. Integritatis autē sive simplicitatis nomine quomodo Iacob dicitur fuisse vir simplex, & simplices esse nos iubet Christus instar columbarū, declaratur, animus ab omnī simulatione & fraude alienus: quam maximā laudem Satan infra vers. 9. & tres ipsius amici deinceps Iobo admere student, sed frustra & immerito, sicut exitus ipse declarauit. Sedes autē illios est in voluntate. Est autē hæc virtus quasi ceteratum forma quedam, ex qua verè sint an adulterinæ dignoscitur, & sicut Deus unus est coram scrutator, ita hæc virtus illum propriè testem & iudicem habet. Itaque fas sit dicere nos Deo quam proximè per hanc conformati, utpote cui summoperè placeat veritas, mendacio, cuius auctor est Satan, ex diametro repugnans.

*Et rectus:* id est hanc integritatem suam rectis & honestis omnibus actionibus probans, ut copiose de se testari ab amicis cogitur Iobus infra cap. 29. & 31. Quod enim de fide dicit Iacobus, eam demum verā & viuam esse quæ sese factis probat, de reliquis etiam virtutibus intelligendum est: quamobrē etiam recte Aristot. Eth. 1. (quamvis alioquin neque præcipuas virtutes, neque ceterarū causam veram, nec vera etiam effecta nouerit) summum quod imaginabatur bonum non in virtute ipsa per se, sed in virtutis actione situm esse voluit. Sed, inquires, si Rectus est qui recta via incedit, recta vero via est Lex Domini, nondum lata quum Iobus viueret, qui nam Rectus fuisse intelligetur? Respondet Apostolus Rom. 2. vers. 14. Gentibus conscientiam singulorum facta excusantem aut accusantē fuisse pro Lege. Et certè ita est. Nec enim quam Deus decem illa præcepta populo suo traderet duabus tabulis comprehensa in monte Sinai, tum primū quid Deo & proximo deberet homines præscripsit, sed Leges diuinitos omnium hominum mentibus insculptas, id est ius illud naturæ immutabile, ex quo bona Leges omnes profluxerūt, renouauit: partim ne populus Israëliticus excusationē villam prætexeret, ut qui bis, id est, tum à natura ut ceteræ gentes, tum specialiter ab ipso Deo esset edocitus: partim

quod iam cum vera religio de qua in priore tabula differitur, in πολυθεῖαι & εἰδωλομανιαι degenerasset: immo quod in iis etiā quæ ad alteram tabulam & honestatem inter homines seruandam spectant, discrimen turpis & honesti patlatim obsolesceret, ut appareret ex non paucis variorum populorum institutis & Legibus. Cuiusmodi enim illud est quod apud Lacedæmonios turpe non fuit furari: quod apud Ægyptios palam fratribus licuit sorores ducere: ut taceam quæ de Chananaeorum incestuosis pollutionibus testatur Dominus apud Mosen, Nec aliunde orta fuit polygamia, & diuotiorum licentia, quas Deus, penè (ut ita loquar) inuitus, in politia Israëlitica propter illius gentis duritatem tolerauit. Non sic igitur Iobus incessit, sed præculdubio singulare fuit in illa gente omnis veræ pietatis & probitatis exemplum.

*Et timens Deum.* Timoris Dei nomine notum est intelligi, non paurem aliquem & metum ex mala conscientia orientem, quo sit ut non peccatum ipsum, sed pena peccati metuatur: sed reverentiâ Dei maiestati debitam, vnde vera obedientia nascitur, ex eius amore proficisciens quem omni obedientia dignum esse agnoscimus. Est autem obseruandum hoc loco discrimen inter Philosophicas siue Ciuiiles quas vocant virtutes, & dona Spiritus Sancti in regeneratis bonos motus scientis. Ciuiiles enim virtutes, quarum exempla passim in prophanis historiis legitimus, tum ex diuerso fonte proficiuntur, tum etiam ad alium finem tendunt. Itaque etsi inter vitia numerandæ non sunt, ut pote ipsis opposita: appellationem tamē veri boni apud Deum non meretur. Oriuntur enim ex οὐνηψει merè humana, ac proinde tota cariosa & puttria: neque ad gloriam usque Dei pertingunt, qui finis verè bona omnia opera, ut ita loquar, sanctificat. Quinam enim veri Dei gloriam sibi pro ultimo cogitationum & actionum suarum sine proponerent qui verum illum Deum nunquam agnouerunt: ut illos merito Paulus, ἀγίεις vocet, non quidem ex eorum genere qui nomen omne tollunt, sed quoniam multorum Deorum cultores qui Dij omnes falsi sunt, verum Deum nullum habent. Itaque si quis expendat illorum vitam qui inter gentes illas à iustitia & variis ciuiilibus illis virtutibus non immerito commendantur, & quos egofateor quamplurimis hypocritis Christianis esse anteponendos, tum quod ad illorum quantumuis falsam religionem, tum quod ad probitatē morū attinet: compieret, partim, eos fuisse intolerabilibus virtutis deditos & mancipatos, non quod nemo sit qui sine criminе viuat, sed quod verè hæc vitia in ipsis regnarēt. Sic Catones ebriosissimi fuerunt, & maximi sceneratores, quorum etiam vanitas gloria affectans moritur ἀντρόχειρ. Sic magnæ fuerūt [Ciceronis] virtutes, sed quid illo per uniuersam vitam vanius & ambitiosus? Pro patria se fœderouerunt Decij. Esto, ut ambitiosè istud non fecerint, sed amore patriæ mens tamen illorum ultra patriæ amo-

Ephes. 2. Epheſ. 2. ver. 12. ponenter qui verum illum Deum nunquam agnouerunt: ut illos

merito Paulus, ἀγίεις vocet, non quidem ex eorum genere qui nomen omne tollunt, sed quoniam multorum Deorum cultores qui Dij omnes falsi sunt, verum Deum nullum habent. Itaque si quis expendat illorum vitam qui inter gentes illas à iustitia & variis ciui-

libus illis virtutibus non immerito commendantur, & quos egofateor quamplurimis hypocritis Christianis esse anteponendos,

Ierem. 2. Ierem. 2. ver. 1. tum quod ad illorum quantumuis falsam religionem, tum quod ad

probitatē morū attinet: compieret, partim, eos fuisse intolerabilibus virtutis deditos & mancipatos, non quod nemo sit qui sine criminē viuat, sed quod verè hæc vitia in ipsis regnarēt. Sic Catones ebriosissimi fuerunt, & maximi sceneratores, quorum etiam vanitas gloria affectans moritur ἀντρόχειρ. Sic magnæ fuerūt [Ciceronis] virtutes, sed quid illo per uniuersam vitam vanius & ambitiosus? Pro patria se fœderouerunt Decij. Esto, ut ambitiosè istud non fecerint, sed amore patriæ mens tamen illorum ultra patriæ amo-

rem non est progressa. At id deum recte diligitur, quod propter  
 Deum diligitur. Sed nolo in istis peculiaribus exemplis diutius im-  
 morari. Illud autem omnino fatendum est peccata fuisse illa omnia,  
 quum quicquid ex fide non sit peccatum esse pronuntiet Spiritus  
 Sanctus, non tamen, ut qua directe contra legem naturae & ho-  
 nestatem fiunt. Absit enim, ut Catilinam vel Cethegum cum Cice-  
 zone, Alcibiadem cum Aristide, vel Pericle conferam. Absit, ut qua  
 laude inter homines dignissima sunt, cum iis comparem quae ab ip-  
 sa lege naturae redarguantur, vel etiam bonis legibus merito vin-  
 dicantur. At enim, inquit, Lex illa naturae & discriminem illud tur-  
 pis & honesti, quum sint a Deo, & Lex ipsa Dei; certe res bona sunt.  
 Boni sunt igitur illi mentis motus, bona actiones cum illis  
 principiis consentientes. Respodeo, bona quidem illa esse in se & a  
 Deo constituta: sed aliud esse de Lege praeципiente quam de Homi-  
 ne agere, cui Lex aliquid praecepit, aut interdit. Detur ergo mihi  
 quispiam non regeneratus, cuius motus vel actiones tum in prin-  
 cipio impellente, quod est veri Dei notitia & amor: tum in fine &  
 scopo, qui est amplificanda Dei gloria studium, respondeant prae-  
 cipienti Legi, & tunc valebit illius obiectionis conclusio. At nun-  
 quam hoc inuenierimus in non regeneratis, ut qui tam mente sint  
 impura, ut ex se cogitare quidem possint qua verè ex Deo vero  
 sunt, nedum ut possint quod bene & recte & ad rectum finem Lex  
 naturae praecepit, bene & recte velle: quum Apostolo teste, bene vo-  
 lendi & benefaciendi facultatem, certe non a natura, sed a Dei gra-  
 tia totam habeamus: illam in nobis, non, ut volunt Semipelagiani  
 nostri, inuentam debilem adiuuantis, sed creantis, & creatam fo-  
 uentis ac dirigentis. Immò quod ciuiles etiam istæ virtutes in non-  
 nullis hominibus inueniuntur, non naturae, sed singulari Dei be-  
 neficio tribuendum est: non tamen ipsos innoscentis, seu regene-  
 rantis, (est enim haec gratia filiorum Dei propria, & *ὑπερφυσια*) sed  
 corruptionem & malitiam illam natuam, in iis quos libuit, cohi-  
 bentis, ut non modò, sicut ceteri plerique, in nefaria scelera non  
 erumpant, sed etiam sceleratorum malis consiliis & conatibus  
 obstant. Sic enim Deo placet cum hominibus quantumvis ingra-  
 tis agere, ne societas humana, cui adhuc parcit Dei conditoris in-  
 indulgentia, & ex qua Dominus electos suos paulatim variis temporibus,  
 colligit, statim dissoluatur. At veræ virtutes piorum, qualis  
 hic nobis lobus describitur, ex humanis quidem iisdem principiis,  
 nempe Intelligentia & voluntate proficiuntur, sed per gratiam  
 peculiarem regeneratis, & tum Spiritu mentis Ephes. 4.23. (id  
 est Intelligentia) renouatis, tum voluntate emendata: ideo-  
 que Spiritualis hominis, non autem illius Λοχμη fructus di-  
 cuntur: hactenus tamen ut, propter carnis reliquias Spiritui Dei  
 repugnantes, ne regeneratorum quidem ulli boni motus & virtus  
 recte actiones Legis diuinæ prescriptio ad amissim respondeant,  
 ac proinde, quatenus ex homine quantumvis regenerato profici-

Rom. 14.  
23.Philip. 2.  
13.

B. iii.

cuntur, boni appellationem, ne dum præmium vllum villa sua dignitate mereantur. Ut autem ad lobum nostrum redcam, quum Deum timuisse dicitur, discernitur eius integritas animi, & probitas vitæ ab iisdem virtutib[us] ciuiliter duntaxat consideratis: Et hoc tribui lobo mirandum non est, ex Abrahams familia nato, & vero Ecclesiæ veteris membro, sicut antea ostendimus.

*Et recedens à malo.* Mirum igitur non est Satanam lobo suffis infensissimū ut qui ab eo penitus abhorret, cui auro quoque in mō trahit Malum cognomentum. Est autem hæc phrasis hebraica sicut in Psalm. Recede à malo, inquit Propheta, & fac bonum: & dicitur Ioannes fassus esse & non negasse quod Christus non esset: Quamvis autem ea sit contrariorum natura ut qui vnum ponit satis intelligatur alterum tollere, tamen huius formulæ dicendi quæ alioqui videri posset redundare, magna est emphasis, ex qua intelligitur lobum non perfunctoriè, sed summo studio, exercenda pietati & probitati se totum dedisse, adeo ut quemadmodum moneret Paulus, non tantum ab omni manifestè malo, sed etiam ab omni eo quod speciem mali haberet pro viribus abstineret.

*Vers. 2. Et natus sunt ei filii septem & tres filiae.*

Hactenus qualis & quantus lobus intus & apud se fuerit audiūmus, Nunc quibus beneficiis exterius fuerit à Deo affectus ostenditur, ut certasse quodammodo lobus quidem pietate erga Deum, Deus autem erga lobū beneficentia videatur. Habet enim iusseret tum præsentis tum futuræ vitæ promissiones. Sed hoc de

i. Tim. 4. trè intelligendum est. Quid enim habuit lobus quod gratis non ver. 8. accepisset? Quod si bona exteriora à Deo sunt, multò magis inter-

iora. Et si à Deo sunt quæ ipsi naturæ humanae insunt, multò magis est auctor Deus in solidum eorum donorum quæ naturam ipsam emendant, & à peculiari gratia ipsius proficiuntur: cuiusmodi fuerunt illa in lobum collata quorum antea meminimus. Exceluerit igitur lobus pietate quam Deus omni beneficentia generè coronarit: & isti duo quodammodo inter se ut alterum superaret contendenterint. lobus tamen Deo non obtulit nisi quod à Deo accipit, nec aliud Deus in lobo quam sua gratuia dona coronauit. Est autem hac soboles, tum numerosa, tum ex maribus & fœminis composita, beneficium Dei per se singulare, quum sit quædam immortalitatis species in liberis renasci. Quamobrem etiam hanc benedictionem inter singulatia Dei beneficia sacræ literæ multis locis numerant, expressè in scđere cum Abraham inito commemo-  
ratarum, & alibi hæreditatem & mercedem Iehouæ appellatarum.

Pl. 127. 3. Genes. 1. Etsi enim virtute vniuersali istius diuinæ vocis, Crescite & multiplicamini, conseruantur & augescunt humani præsertim generis ver. 18. familiæ: seruauit tamen sibi Deus, omnium secundarum casuarum ut auctor, ita etiam moderator, tum in maribus generandi, tum in fœminis aperiendi & claudendi vteri ius ac potestatem: quod pro-

bè intelligens lobus, ut mox audiemus, quum ademptos etiam sibi

sibi liberos intellexisset, Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit. Istud verò vtinam patres & matres omnes diligenter animaduertant, vt quum intellexerint sobolis beneficium sic esse à natura, yet sit in primis à gratia, coniugium à Dei inuocatione exordiantur: consummatum sanctè & castè exerceant: de liberis sibi concessis, Deo gratias agant: donū illud Dei denique vt rem sanctā & penes se depositam religiosè & diligenter excolant. Sed hoc tamen donum vt & cætera externa, quorum hic postea fit mentio, sciamus oportet non esse ex eorum genere quæ per se & necessariò pietatem & probitatem alicuius comitentur. Nec enim Deus fæcundis aut locupletibus omnibus benedicit, aut sterilibus vel inopibus omnibus maledicit: & quæ mox intelligemus, ostendent Satanam vix illa habuisse commodiora ad euertendū Iobum instrumenta, quam hæc ipsa Dei beneficia, quibus quum ita spoliaretur lobus, mirum fuit ipsum in hoc certamine prostratum non fuisse. Neque verò tantum modo beneficiis istis ad perdendos homines abutitur Satan, illa videlicet ipsis eripiendo: verùm etiam quam sæpiissime illorum abundantia, alios quidem ad profusionem incitando, aliorum verò cupiditates immodicas accendendo, alios denique ad illorum honorum appetitionem inflammando: sapienter properea postulante à Deo Solomone animum intelligentem potius quam diuitias: quæ in ipsum collatæ, ipsam eius sapientiam suffocarunt. Et noti sunt isti versiculi, Nocitura toga, nocitura pertuntur, Militia, &c. Euertere domos rotas optantibus ipsis, Dij faciles &c. Meminerimus igitur præcipua illa Dei dona à Deo in primis postulare, & illa nobis concessa conseruare: quibus non oppugnemur à Satana, sed Satanam nos oppugnantem, exemplo lobi, superemus.

V. 3. *Et fuit eius pecus septem milia ouium, &c.* Primorum patrum opes positas fuisse constat in re rustica, quæ certè sunt innocentissimæ, & ad tuendam quoque valetudinem magnoperè faciunt. Nec prius homines agriculturæ & rei pecuariæ anteponere ailijs commodè viuendi rationes coeperunt, quam luxus & inertia alios quidē ad viuendū ex alienis laboribus, alios verò ad alia studia nihil meliora nec humano generi commodiora traduxit. Id autē non statim esse factum, sed rei rusticæ diutissimè seruatū fuisse suū honorem ex omnium populorum historiis apparet: donec paulatim eò res evasit, vt hoc vitrumque genus vitæ, quo nulli carere neficiunt quidem possint, ad solos viles homines, immò etiam cæteram deprædationi expositos sit relegatum. Et hic mihi in mentem venit quod aliquando in quadam tabella depictum vidi: Nobilem videlicet cum hoc elogio, Meis armis tueor vos omnes: Ecclesiasti cum, hac addita inscriptione, Meis preceibus vos omnes seruo: Rusticum, dicentem, Alo vos omnes: Causidicum denique cum his verbis, Ego deuoro vos omnes: non ineptè fortassis vt tum res erant. At istis miserrimis temporibus dicendum potius fuerit Nobili, De-

prædor vos omnes: Ecclesiastico, Fallo vos omnes: Causidico, Altis me omnes: Rustico deniq;, Expositus sum vestræ omniū prædæ. Certum est tamen, ut res humanæ sunt, neque natos esse omnes ad rusticæ operas, neque deferendas esse plurimas alias vocationes, non tantum honestas sed etiam Reipub. utiles, atque adeò humano generi necessarias, inter quas minimè præterierim mercaturam, in modò cum Reipub. commodo & bona conscientia exerceatur, in qua reprehendenda Chrysost. inter cæteros modū certè nō tenuit. Et famalitium. Græci alij quidem γεωργιαν, alij ὑπηρεσιαν, alij peripheriasin ἐργατικὰ θεῶν γένος, Hebræam vocem τιμῶν expoununt, quas interpretationes variis auctoribus tribuendas puto: Videtur autem mihi illa media maximè conuenire, quod postea fiat seruorum mentio, quos certè oportuit quā plurimos esse tantis curandis gregibus & armentis. Quod autem fit asinarum & camelorum non autem equorum mentio, ad morem eius regionis referendu est, in qua camelis ad ostera ferenda, & asinis ad vehendos homines, equis autem quā rariissimè vtebantur. Distributio verò istarum facultatum quā hic admiscet Paraphrastes Chaldæus, ita stultos Rabbinismos referenda est.

*Magnus.* Hoc intelligetum de dīgitīs, tuū de omnis virtutis celebritate, quod posterius rarissimum fuit in tanta præsertim opum abundantia. Notum enim est nimis verum esse proverbiū illud, Dives aut iniqtus aut iniqui hæres. Per se tamen opes damnandas non est, sed esse potius multorum commōdorum instrumenta contra fanaticorum opinionem, res ipsa docet. Nec temetè, vt est à quodam annotatum, Lazarus pauper in diuitiis Abrahæ sīnu collocatur. Iobi verò constantiā hēc quoque circumstātia valde commendat quum ei qui non modò nunquam eguerit, sed etiam habuerit unde quā plurimis liberaliter largiretur, multò per se acerbior sit tam repentina bonorum omnium spoliatio, quā illi qui sit aliquando vel mediocri conditione vsus, vel paupertatis incommoda nonnunquam expertus. Diuitiis autem & reliqua sua potentia quomodo sit usus Iobus, declarabit ipse infra cap. 29.

*Iabant autem filii eius & faciebant conuiuum domi, unusquisque die suo.* Fuit hoc quoque tantò maius quandò rarius Dei erga lobum beneficium quod tam numerosam simul & tam concordem familiam habuerit, quod non Abrahamo, non Isaaco duorum tantum liberorum patribus, non Iacobo, non Samueli, non Dauidi concessum fuit. Quod autem muruis epulis sese in orbē excipere isti consueuerint, non sic accipendum est quasi fuerit hoc illis quotidianum, aut etiam in his conuiuiis modū non seruariint, ut intemperantes solent. Erant enim temperantiū educati, & hunc souende fraternitatis causa morem sanctè & sobrietè tenuerunt. Et sanctè coniunctus mutuus magnum ad eam rem momentum habet, rectè surparus, ut merito reprehendi mereantur Luciferæ, agrestes & exmersa melancholia conflati homines, sibi in sola solitudine placentes

ter. Peccant & illi qui dum lauitias & profusionem meritò fugiunt  
in contrarium vitium labuntur, vietus & vestitus ratione exacta  
& præcisa necessitate metentes. Deum enim nos non tantum pasci,  
sed etiam pro benignitate singulari sua exhilarari velle apparet ex  
eo quod multò plura condidit quibus carere facile possemus, quam  
quibus necessariò nobis opus est: Et tantum abest ut sanctorū con-  
uiua, passim in scripturis commemorata, (quæ certè à quotidiano  
convietu distinguenda sunt) damnentur, ut contrà in sacrificiis Eu-  
charisticis sàpe iubeat Dominus sacros conuiuas hilariter velut in  
ipsius conspectu epulari: & Dominus ipse nuptiale conuiuū præ-  
sentia sua & primo miraculo sit dignatus: quod spectabant etiam  
illæ veterum ac primorum Christianorum ἀγάπας. Sed quum valde  
proclivis hac in re sit lapsus, multiplici obseruatione hic opus est.  
Ac primùm quidem habenda est temporis ratio. Tempus enim est  
ridendi, & tempus flendi (inquit ille sapiens:) ac proinde cauendū  
quam diligentissimè ne qua præbeatur Deo & seruis ipsius occasio  
terribilis illius increpationis repetendæ quæ apud Esa. 22. ver. 12. his  
verbis concipitur: Quum vocauerit vos Dominus ad fletum & ad  
planctum, ecce lætitiam & gaudium, comedendo carnes, & biben-  
do vinum. Atqui reuelavit se auribus meis Ichoua exercituum, si  
expiabitur ista iniquitas vobis, donec moriamini. Aduenit autem  
hoc ipsum tempus si vñquam aliás, quum vniuersum penè terrarū  
orbē horribili fame, peste, bello quoq; Deus populetur, & specia-  
tim Gallicas & Belgicas. Ecclesiæ ab aduersariis penè oppressas vi-  
deamus. In Angliā verò & Serenissimā Reginam tot miserrimorū  
exulū velut asylū ac perfugiū, furens Antichristus, per vim & frau-  
dem extrema moliatur: fames dira nos hic premat, & bellum pro-  
foribus habeamus: in Helueria discordia Spiritus gliscat: denique  
in orbe Christianovniuerso classicum canant & λαζαρες illi lebusi-  
tæ. Quas miserias meritissimè nobis partim iam infictas, patrim  
imminentes, sicut plurimis maximisque peccatis accessiuimus, ita  
faxit Deus ut vera resipientia à ceruicibus nostris depellamus:  
Deinde (ut ad rem redeam) si quando pacis & hilaritatis tempus  
aduenit, danda semper est opera primùm ut moderatio in sumptu,  
& temperantia in vsu seruetur: ac deinceps in primis ut sicuti cor-  
pus cibo & potu pascitur, sic animus sanctis sermonibus recreetur.  
Quæ verò vel per se illicita sunt & turpia, vel propter inueteratum  
abusum nulla iam emendatione medicabilem, meritò inter res  
illicitas censentur semel ex Christianorum mensis expellantur:  
cuiusmodi sunt quamplutim cantus, & omnis generis choreæ.  
quas hoc nostro seculo velle ad aliquem modum reuocare, nihil a-  
liud est profectò quam velle cum ratione insanire. Quod autem  
singulis Iobi siliis sua peculiaris domus attribuitur, declarat illius  
familiae non tantum opulentiam, verum etiam *υλαξιας*, & illos o-  
stendit iam adultos atque adeò florente ætate fuisse, quanvis non-  
dum coniugatos: quæ omnes circumstantia, tum patris in illis san-

Etè educandis diligentiam, tum ipsorum dociles & ad obsequium comparatos animos commendat.

*Et mittebant ac vocabant tres sorores suas ad eden dum e& bibendum secum. Hic quoque apparet diligens Iobi oeconomicia. Nec enim sorores cum fratribus, sed seorsim habitabant, quod & honestius & tutius fuit, & virginio pudori in familia tam ampla accommodatus. Nec alias feminas dicuntur filij accessuisse, in modo ne sorores quidem duxit, & nimirum familiariter ad conuiuia fratrum quanuis honestissimorum accessisse: quod non satis exprimit Graeca interpretatio verbo συμπαραλαμβάνειν. Hoc autem exemplum si plerique patres, praesertim locupletes, ubi magna est peccandi licentia, sequentur, Deus bonè quam est alia plurimarum familiarum facies, & à quam multis offendiculis liberi esse in.*

Ver. 5. *Et postquam circuierant, (idest in orbē compleuerāt, fratres videlicet) dees illorum conuiuiorum, mittebat Iob & sanctificabat eos, & manu surgens, offerebat holocausta pro numero omnium. Holocausta non satis recte vertit Graecus interpres generali nomine Συστας: quædam etiā tollit, nempe particulam πάντων & addit multa de suo, quæ omnia Hieronymus meritò ex Hebraica veritate emendauit. Et quum plurimis etiam aliis locis mendoza sint Graeca, sitque nobis in Hebreis adquiescendum, deinceps nihil illa morabitur, nisi si quæ inuenierimus observatione digna, Deo gratias agentes quod Hebraicæ lingue cognitionem nostris temporibus excitarit, cuius ignorantie vix credi ab imperitis potest quam sepe & quam grauiter lapsi sint Graeci etiam doctissimi interpretes in sacrorum omniū librorum Vet. Test. ac huius praesertim genuina explicatione: & ex Latinis etiam post Hieronymi emendationem non pauci. Sed ad rem. Nec enim libenter haec attingere consuevi, quæ tamem nunc, Hebreæ linguae cognitione, Dei beneficio, familiariter facta, velim quidem à studiosis diligenter obseruari, ne cum patribus à scopo & veris expositionibus aberrent: sed ea seruata reverentia quæ doctis & sanctis illis veteribus deberunt. Cæterum Charitatis, quæ perpetua est veræ pietatis comes, hoc est ingenium, ut homines perpetuò tum de se, tum de aliis sollicitos esse iubeat: & , quanuis non sit suspicax, nihilominus tamen nunquam ita sit secura, quin de sua & aliorum infirmitate assidue laboret, tum quoque quum videri posset abunde officio suo defuncta. Erat igitur sibi quam optimæ conscientis Iobus, & magnopere proculdubio latabatur sancta liberorum suorum concordia, in quibus etiam animaduertebat optimæ indolis signa, & sanctæ educationis fructus. Sed homines illos tamē esse nouerat, & quidem iuuenes: & sciebat esse perdifficile hominibus letitiam sicuti par est temperare. Itaque obseruabat quidē proculdubio diligenter quid in singulis illis cōuiuīs diceretur & fieret, nec illis diffidēs nec penitus confidens: & quanuis dum circulas ille hebdomadis peragebatur nihil audiret sinistri (nā alioqui circuitus finem minimē expectasset) tamē incerto etiam malo statim occurset;*

tebat. Periculum enim maximū est in oscitantia, diligentia verò & cautione in his rebus nimia peccari vix potest. Quid agit ergo Iobus? Diem octauum non expectat, sed exeunte septimo, liberos monet ut sese ad offerendum Deo sacrificium singuli comparent. Quisnam autem huius Sanctificationis ritus fuerit, affirmari liquidò & speciatim non potest. Sed ex hoc loco in primis nobis est obseruandum, ceremoniale ritum à mōte Sinaj non cœpisse, quum, initio ab ipsis Adami familia factō, sacrificia in vsu fuisse cōllet, ac proinde ordinis Sacerdotii, & rituum Sacrificandi rationem aliquam exitisse, ac tempore quoque dilunij mundorum & immun-dorum animantium, id est ut ego interpretor, eorum quæ in Sacrificiis offerre fas vel nefas esset, discrimin aliquid fuisse legamus, & quidem ipsi Noacho bene perspectum. Sed totam hanc rationem

Gen. 9.  
vers. 20.

cultus diuini externi, Dominus in monte Sinaj plenissimè declarauit, antea ἡγαθον quamvis humanitus non excogitatum: ac proinde qui facile degenerasset, ac tandem etiam evanisset, nisi præcisè Dominus certas de ritibus illis leges suo tempore præscripsisset. Quām autem id necessarium fuerit inde quoque constat, quod ne sic quidem in ipso populo Dei cohiberi ἐθελοφορεῖαι potuerunt, sic ferente hominum ingenio depravato, ut in Dei volūtate quantumvis patefacta nunquam conquiescant. Cærerū illas externi diuini cultus ceremonias tum ante Mosen, tum sub Mose diuinitas constitutas, obseruandum est non fuisse vana quædam & inania spectacula quibus pascerentur oculi, sed fuisse sacra mysteria, in quibus Patres oportuit tanquam in speculis, tum sciplos ad sui coram Deo condemnationem intueri, tum promissæ & suo tempore exhibenda promissionis beneficium ad alendam fidē & spem suam contemplari. Itaque verè dici possunt & Legis nos condemnantis, & Euangelij nos consolantis appendices fuisse: utrumque dilucide testante Apostolo, nempe & fuisse instar chirographi nobis aduentis, quod Christus cruci affixit, Coloss. 2. vers. 14. & rerum futurum umbras, quarum corpus est Christus. Coloss. 2. v. 17. Ac nunc quidem aduentu Christi sublata sunt illa, exceptis duobus illis simplicissimis noui fœderis Sacramentis: sed quod externis illis sanctificationibus figurabatur, adhuc permanet, ac proinde istis veterum exemplis admonemur cordis præparationem præire precibus nostris oportere si exaudiri volumus, neque aliis quām resipiscētibus remissionem peccatorum applicari, recte hæc duo coniungente Propheta Psalm. 26. ver. 6. Abluo innocentia manus meas, & circum eo altare tuum. & rursum. Psalm. 33. 1. Rectos decet laudatio.

*Surgebat summo mane.* Hæc quoque circumstantia declarat quām sollicitè Iobus fuerit officio paterno defunctus, pios omnes admonens tum unde exordiri diurnos labores oporteat, (quorsum etiam sub Lege spectabat, maturinum illud iuge Sacrificium) tum quām graui periculo sese exponant qui siue à sua conscientia commonefacti, siue ab aliis, aut diuinis etiam iudiciis excitati, resipiscerentiam

vel momento differunt, frustrà sèpenumero clausis iam foribus  
Dominum interpellaturi Matth. 7. vers. 27. Pretiosa sit ergo Chri-  
stianis omnibus hæc sententia, μηδὲν ἀράθελλόμενος.

*Et efferebat &c.* Ipse met nimirum, ut tunc mos erat, domi suæ sa-  
cerdos. Et hic rursum apparet Iobum minimè parcum fuisse veri  
numinis cultorem, ut qui non pacifica, sed holocausta, & quidem  
secundum filiorum suorum numerum, offerret. Quo exemplo re-  
dat gemitus eorum tenacitas quam plerique in præstandis eleemosy-  
nis (sunt enim nobis hodie pauperes altaris loco) demōstrant, haud  
fecus quām olim morbidas & scabie infectas oves nonnulli in tem-  
plo offerebant, de quibus extant grauissimæ & iustissimæ apud  
Prophetas reprehensiones: & de quibus agens Apostolus 2. Cor. 9.  
vers. 6. qui parcè ferunt, inquit, parcè metent. Sed Iobum memine-  
rimus in vero Deo colendo, non autem in idolis liberalem fuisse.  
Quo plus enim in superstitionis cultus impenditur, tantò grauius  
Deus offenditur: quamvis illud verum sit, surrecturos in iudicio  
prodigos illos idolorum suorum cultores, & exemplo suo, plero-  
rumque etiam verum Christum ore proficentium, avaritiam &  
fordes condemnaturos.

*Dicebat enim. Forsan peccauerint filii mei. Suspicax quidem non est*  
charitas, ut ante diximus, nec manifestam causam habuit tale quid-  
quam de suis liberis suspicandi Iobus, quam obrem etiam additur  
dubitantis particula. Sed quod frequentius in istiusmodi coniuiciis  
euenit, illud ne euenisset merito veritus est: longè aliter se gerens  
quām ferè solent homines, ut qui tam procul absint ab eo ut in  
dubiis dictis & factis seipso potius accusent quām excusent, ut  
contra ne in manifestis quidem delictis sibi desinant adulari. *Quod*  
si Iobus de aliorum incertis etiam peccatis deprecandis tam fuit  
sollicitus, quid illum existimamus in se se statuisse, si quando Deum  
offenderet? Et quām præclarum hic nobis exemplum præbetur, ut  
alij aliorum salutem vera charitate procuremus? Quidquidem  
charitatis officium multos, etiam indignos sàpè à periculis partim  
liberate potuit, ut de Sodomitis legimus Genes. 18. vers. 32. & de v-  
niuerso Dei populo Esa. 59. vers. 16. partim etiam seruauit, ut iis visu-  
nent qui cum Paulo in eodem crant nauigio Act. 27. vers. 24. Cæte-  
rū & illud obseruandum est *Peccandi* voce hoc loco non signifi-  
cari quicquid non ita sit ut oportuit, aut id omne in quo delinqui-  
tur, (ecquis enim hac ratione non peccat etiam imprudens?) sed ita  
significare voluit Iobum aliquid fortasse suis liberis in illis suis e-  
pulis excidisse, quo Deus grauiter fuisse offendus. Sed cur pro fin-  
gulis filiis offerit? potuit enim unus quispiam ex illis tale quidpiam,  
ceteris non consciis, admisisse. Fateor, Sed vir integrissimus noluit  
ita subtiliter cum Deo argutari, non ignorans satis semper fuisse  
causa cur Deum & pro se & pro singulis etiā suis domesticis depe-  
caretur. Nec etiam illud ignorabat homo pauidæ coram Deo con-  
scientia, reos peccati teneri nō modò ipsos alicuius non rectè dicti

vel facti auctores: verum etiam consentientes: atque adeo inter consentientes haberi qui peccantes non redargunt. Nec temere certe Israëlitæ, quamuis à vero Deo iam desciuissent, quum Nabothus (licet falso) blasphemia aduersus Deum & Regem argueretur, ieinium indixerunt. 1. Reg. 21.12. & Corinthios reprehendit Paulus quod ob vius incestum publicè non luxissent. 1. Corinth. 5. vers. 2.

*Et benedixerint Deo in cordibus suis.* Benedicendi vox hoc in loco, contraria notatione, ut aliae non paucæ apud Hebræos, usurpatur εὐφημίας, ἀνέκτη, qua etiā ratione, Sacrum pro execrando apud Latinos usurpatur. Additur autem *Istud in cordibus suis*, quoniam siquid tale recipia admissum fuisse à suis liberis lobus vel leuissimè suspicatus esset, nullis profectò reprobationibus, nec etiam castigationibus pepercisset. Nec tam ē est de vera illa abominanda blasphemia istud intelligendum, sed de honore Dei per aliquem instrumentum affectum læso. Et inde quoque nobis colligendum est inter peccata non tantum aliter dicta vel facta quām oportuit, sed etiam leuissimos animi motus recenseri: ac proinde peccata omnia etiā imparia sunt, tamen per se & extra Christum aeternam mortem apud Dei maiestatem violatam mereri: quum de dictis etiam otiosis, id est vanis & inutilibus, sit nobis reddenda ratio, contra quām statuant Sophistæ illo excogitato falsissimo & perniciofissimo inter peccata Venialia & Mortalia discrimine, ita quidem ut in ipsorum scholis explicatur.

*Sic faciebat Iob cunctis illis diebus.* Id est quoties celebrata fuerat ab ipsius liberis hæc in orbem cōuiuia. Neq; dubiū tamen est quin quotidianus alioqui fuerit Dei cultus in hac sanctissima familia diligenter obseruatus, & septimus saltem quisque dies, sicut Deus ab initio conditi mundi constituerat, Genes. 2. 3. accuratè sanctificatus. Sed & ita ostenditur minimè fuisse euanidum hunc Iobi zelum, neque perfundoriam ipsius de sua familia piam solitudinem, quō spectat illa roties in sacris literis repetita commonefactio, de precibus assiduis, & ne bene agendo defatigemur.

*Ver. 4. Et fuit dies quæda, & venerunt filii Dei ut parent apud Dominum, & venit etiam Satan inter eos.* Haec tenus audiimus quid in terris apud Iobum gereretur. Deinceps autem quid super iis Dominus cœlitus decreuerit explicatur. Quām autem id necesse fuerit expōnere, tota sequens inter Iobum & ipsius amicos altercatio, & ipsius Iobi eiulatus declarant, vtrumque non aliunde quām ex huius decreti diuini ignoratione exortum. Etsi enim (exceptis paucissimis penitus insanis & suæ ipsorum conscientiæ repugnantibus) nullus vñquam negauit Dei prouidentia res omnes conditas administrari: videmus tamen hic quoque illud quod verissimè testatur Apost. Rom. 1. vers. 21. hominibus sola sapientia humana fretis, euangelis, nempe ut in suis ratiocinationibus euanescerent. Quis enim Epicureorum impios furores ignorat, suorum atomorum concurredi omnia subiicientes? Quis Stoicos nescit ab uno extremo ad al-

terum prolapsos, causatum mediarum & secundarū vinculis Deum ipsum astrinxisse? Peripateticos autem omnium acutissimos, singularum rerumuenta Prudentiae diuinæ exemisse? Neque hæc duntaxat in profanorū hominum scholis agitata sunt, verum etiam in ipsa Dei schola, minimè quidē, An Dei prouidentiā Mundus regatur: num liberē & pro suo vnius semper iusto arbitrio causas etiam ipsas secundas, & earum effecta disponat: non denique an ad res quoque singularissimas vis illa ipsius pertingat, quæsitum est (de his enim vix quisquam non penitus prophanus dubitanit) sed de his duobus capitibus disputatum est: Primum quinam cum ipsius iustitia & æquitate consentiat bonorū quidem miserrimus & calamitosissimus, malorum autē felicissimus & trāquillissimus sacerdum numero in hac vita status. Deinde si nihil sit nisi ipso sic volēre & ab æterno statuente(nec enim certe vel in tempore, quū sit immutabilis. Malach. 3.v.6. & extra omnem conuersiōnē, & conuersiōnis obumbrationem Iacob. 1.17.nec etiam inuitus quicquam statuit, quum sit omnipotens) quinam non sit malorum auctor existimandus, quem tamen omnis mali hostem & vindicem esse constet. Et in hoc arguento varias & contrarias cogitationes sanctissimorum etiam & exercitatissimorum seruorum Dei mentibus incidisse constat speciatim ex Asaphi Psalm. 73. Habac. cap. 2. Ierem. denique 15.ver.10. Ac ne longius abeamus, in hoc ipso libro, quæ utrinque afferuntur & quibus amici quidem Iobi extra veritatis semi-tā abripiuntur: Iobus autē ipse pñne de cōstantia gradu deiicitur, satis ostendunt hanc vnam esse ex præcipuis Saranæ aduersum nos cōparatis luctis, huc spectantis ut fidei spēque nostræ fundamenta vel statim euertat, vel paulatim nutantia in animis nostris tandem penitus conuellat. Hanc autem utramque maximi momenti quæstionē quum hæc mira hypotyposis, perspicue simul & breuiter exponat: & grauissimi testis, Iobi videlicet, claris verbis confirmetur, hoc capite, & altero mox sequente, à Spiritu sancto dictatis, dignus est hic locus diligenti & accurata explicatione. Sed in primis & seorsim annotanda sunt quædam. Ac primum quidem cur hæc diuina nobis humano prorlus more, & vt loquitur Paulus, κατ' αὐτὸν προπονοῦνται proponantur. Deinde quenam in hac hypotyposi sint mere humanitas dicta, quæ tamen sine impietate, quasi propriè Deo conuenientia, intelligi nequeunt. Tertio autem loco res ipsas nobis hoc paradigmate repræsentatas explicabo.

Ad illud primum quod artinet, Deus patribus ab initio suam gratiam (quæ sola mente apprehendi potest ac etiam debet, quum ratiōnib⁹ apprehendendorum necessariō sit instrumentum) variis in externos sensus incurrentibus visis, infirmitatis humanae causa, quasi visibilem exhibuit, vt historiæ factæ infinitis pñne locis aperte testantur, Neque dubium est quin Patriarchæ veri Dei notitiam edo eti, & qui deinceps ab illis eandem traditam res inuerunt, ab istiusmodi corporeis visis ad cœlestia contemplanda semper

semper assurrexerint: huc etiam accendentibus Propheticis visionibus tum nocturnis tum diurnis, quibus populus Dei sic erudiebatur, ut verum illarum usum facilè intelligeret. Obsolescente vero Paulatim veri Dei notitia, & dæmonibus efficaciter istiusmodi apportiones, iuste Dei in homines iudicio, usurpatibus, facile euenit ut homines non ad cœlestia corporeis ipsis visis assurgerent, sed contrà non contentivnum Deum in plures dividere, sua numina, in hominum naturam & mores transformarent: hoc tamen manente, donec homines prossus insaniarent, vniuersali principio, prius in celis decerni quæ in terris gererentur. Hinc illæ fictiones apud Homerum & ceteros ipsum imitatos, vnde Virgil. illud,

Panditur interea domus omnipotenti Olympi. Quæ vero sunt apud illos prophana, in sacris literis ut sanctè dicuntur, sic etiam ad sanctum finem referuntur, cuiusmodi sunt quæ narrantur Esa. 6. Ezech. 1. & 1. Reg. 22.19. eo excepto, quod ibi prophetis apparere dominus, hic vero depinguntur ista tanquam multis consciis & procul in ipso Dei tanquam summi Imperatoris palatio gesta. Iam autem explicada nobis sunt quæ in hac hypotyposi humano more dicuntur, quū alioqui Deo per se nullo modo conueniant. Huiusmodi illud est in primis, quod hæc ut certo quodam die facta narrantur, quasi apud Dei tribunal alij dies sint fasti, alij nefasti: quod Deus in stat potentissimi Regis alicuius circumscindet suis Angelis quasi stipatoribus inducit: quod Satan etiam eò dicitur aduenisse, & ex eo Deus hoc & illud quasiuisse. Nam contrà semper & ubique adest, & gubernat omnia Deus Opt. Max: semper ei præsentia sunt, non tantum cœlestia, sed etiam terrena omnia: neque villa præcunte disquisitione indiger, qui futura quoque intuetur, quum futurum nihil sit, nec esse possit quod non prius decreuerit ut esset. Verum est tamen Deum quæ ab æterno & ante omne tempus a se decreuit, tum Angelis, quorum ministerio ad illa exequenda virtutur, tum etiam hominibus, prout & quando ipsi libuit, patet facere: vnde factum esse verisimile est ut dæmones sæpe multa sibi patracta in illis suis oraculis prædixerint. Itaque non haec eò dicuntur quasi Deo propriè conueniat, quemadmodum etiam quum ipsi os, manus, pedes, & humanæ actiones, veluti loqui, venire, abi-re, irasci, pœnitere, tribuuntur: sed quæ nos alioqui comprehendente non possemus, istis veluti imaginibus quibusdam, animis nostris repræsentantur. Quod deniq; tertio loco proposuimus, id est quid sit nobis ex hac descriptione collendum, agendum exponamus.

Quod Iobus, homo, ipsis etiam Dei testimonio, omnium tunc hominum iustissimus, idemque omnibus animi & corporis bonis cumulatus, repente miserrimus & calamitosissimus euanisse in hac historia narratur, ne quis, ut dicere prophani homines consueverunt, existimaret temere & fortuito euenisse, quasi cæco nescio cuius fortunæ impetu mensus iste sursum deorsum feratur: vel ne ex hac tam repentina vicissitudine (quod tum ipsis vxor, tum etiā

amici falsissimè statucabant) colligeretur omnes ista lobi pietatem & integritatem fuisse meram simulationem recti specie velatam, quam Deus postea tam acribus pœnis sit vltus: denique ne deesset exemplum quo sepij omnes in iis miseriis consolentur, quibus in primis obnoxios esse in hac vita pios homines ipsa perpetua omnium seculorum experientia demonstrat, necesse fuit ista sequuturæ narrationi præmitti, quibus aduersus tales prophanas cogitationes animi nostri præmunirentur. Hic igitur in summa docemur nihil in terris geri, siue bonis benè, siue malis male, siue contrà bonis male, malis benè sit, quod Deus iustissimè & sapientissimè ab æterno ad sui nominis gloriam, & tum piorum commoda, tum ad non impiorum iustum vltionem non decreuerit.

Hinc etiam docemur aliud arcum quod plurimum facit & ad exhibendam reuerentiam quæ Deo debetur, & ad constantiam in maximis quoque calamitatibus retinendam: Deum videlicet, siue bonis, siue malis instrumentis vtatur, bene semper agere: &, modo constanter ac patienter exitus operis ipsius, interdum quidem nobis ad tempus occulti, nunquam autem iniusti expeæterunt, fieri non posse quin Deo placere iustitiam cui benedicat, displicere iniustitiam quam meritis pœnis vlciscatur, res ipsa tandem patefaciat, vt docet nos etiam sapiens ille Ecclesiast. 8. vers. 10. & 11. & 12. 16. Denique hinc quoque discimus, tum Satanæ, tum malorum omnium rabiem, qua aduersus pios feruntur, sic Dei nutu & impietio fænari: vt, nisi Deo nocendi potestate, quantam sibi libuit, cōcedente, quidquam aggredi non possint, nedū perficere: idque semper ad piorum vtilitatem, siue ipsos castiget, siue ad nominis sui gloriam, & ipsorum vtilitatē, suo tempore patefaciendam eos explorat: siue impios vel inter se committat, vel aliis rationibus ad iustum exitum, vñā cum ipso Satana pertrahat. Quinam autem ista sic cum Dei natura consentiant, vt neque sit ille vllijs mali auctor, neque ab illa sua immutabili iustitia discedat, dicemus in versic. huius cap. 21.

His positis iam ad ipsius contextus particularem expositionē veniamus. Et fuit dies quedam, id est die quadam. Nolim enim hic præcise significari diem certum aliquem istorum conuiuiorum: eum ipsum videlicet quo postea scribitur istos oppressos fuisse, quū apud primogenitum epularetur. Cæterū sic est istud accipiendū quod ad Deum ipsum attinet, vt sciamus nullis temporum spatii propriè inclusam esse Dei administrationem, vt qui non sibi, sed rebus in tempore creatis, & cum tempore mutabilibus temporum momenta crearet & ordinaret. Sed & istud statuendum est, nihil Deum in tempore statuere, sed ab æterno constituta immutabili & inscrutabili consilio, tum in genere, tum signatim omnia & singularissima quæque fuisse. Verum sicut ab æterno omnia decrevit Deus, sic etiam sua temporum momenta, quæ solus ipse habet in potestate Aet. 1. 7. decretorum suorum executioni præfixit, quæ neque accelerari

tari neque retardari vila ratione possunt. Hoc igitur loco non inducitur Deus consilium de Iobo nouum aliquod capiens, (definierat enim illud omne ab æterno,) sed die illo adueniente quem illi suo consilio exequendo destinarat, eo demum die illud Satanæ, rem totam alioqui ignorantis, patefecisse, cuius videlicet opera id exequi constituerat.

*Filiæ Dei.* Sic beatos illos Spiritus ab illis impuris, qui in veritate non persistunt separatos intelligi ex plurimis aliis scripturæ locis constat: & filios Dei appellari, tum propter insignem Dei in illos beneficentiam, quod parentibus nihil sit filiis suis charius, tum propter gloriosissimam præstantiam, quibus etiam propterea præclaræ illæ appellationes Potestatum, Virtutum, Dominationum, ab Apostolo Ephes. 1. 21. & alibi attribuuntur. Sed & illud constat, eandem appellationem, quanvis non pari ratione, Magistratibus, propter eminentem in suos subditos potestatem, tribui Psalm. 82. 6. & alibi. Sanctos denique suos ex hoc mundo delectos Deus hoc honorificentissimo filiorum cognomine dignatur, tum propter iudeas illam omni admiratione maiorem, Ioan. 1. 12. tum propter æternam illam gloriam & incorruptionem in qua iudeas Marc. 12. 26. ipsiusque adeò Christi cohæredes erunt. Sunt autem omnes illæ appellationes distinguendæ, & ad verum vsum referendæ. Quod igitur ad beatos illos Spiritus attinet, proponuntur quidem illi nobis ut insigni quadam gloria cœlesti ornati: sed tamen ut Dei duntur ministri, & quidem ad sanctorum vsum, prout Deus eorum ministerio vtitur. Non igitur ut eos inuocemus aut colamus, quod expresse damnat Apostolus Col. 2. 18. (sunt enim nobis iudeas Apocaly. 19. 10. & 22. 9.) sed ut partim cum illis Deum sancto consensu, & communibus quibusdam canticis glorificemus: tum ut immensæ illius Dei bonitatis erga nos memores perpetuò simus, quia fit ut nos aduersus Satanam & cæteros aduersarios beatorum etiam illorum Spirituum ministerio tueatur Psalm. 34. 8. Heb. 1. 14. quod plurimis quoque sacris historiis certissimis declaratur: denique ut seruuli illius Elisei prophetæ memores, cuius fit mentio 2. Reg. 6. 16. & visionis Iacobi Gen. 28. 12. cō fortiores in omnibus aduersus mundum certaminibus persternemus. Neque etiam dubium est, quia sicut olim Dominus per Angelos Ecclesiæ suam in illa miserabili captiuitate ab infinitis periculis tutatus est Daniel 10. 20. & 11. 1. ita nunc quoque mirabiliter nos aduersus Antichristum, & totius mundi conspirationem defendat: modò, linguis illorum diuidens, modò tyrannos è medio tollens, modò nostros hostes è cœlis irridens, modò pios Reges & Principes, atque adeò nutritias Ecclesiæ Reginas mirabiliter conseruans. cuius rei manifestum si unquam alias exemplum nunc intuemur in illa præstantissima heroina Elizabetha Anglorum serenissima Regina quam singularis prouidentia Dei ab infinitis insidijs Satanæ Antichristi & Papæ Romani nostris temporibus afferunt, & quam verè appellare pos-

sumus ac debemus commune afflictissimæ Ecclesiæ asylum ac per-  
 fugium. Et quæso, ab illo primo Ciuii bello per illa selecta Saranæ  
 organa, in Gallia excitato, quis præstantissimos illos heroas Gal-  
 licarum Ecclesiarum propugnatores ambigere possit Angelorum  
 ipsorum præsidiis tectos? quos absit ut ab iisdem desertos fuisse e-  
 xistimemus, quum ultimo illo certamine quo sunt in cœlum su-  
 blati defungeretur. Et hoc ipso tempore non certè vis vlla huma-  
 na, sed plane cœlestis & extraordinaria, Serenissimū illum Nauar-  
 reum Regem, Gallicarum Ecclesiarum columen, & Illustrissimum  
 Principem Condensem aduersus sceleratos illos, immò aduerso-  
 sus Ecclesiæ, & in ipsum Galliæ regnum coniuratos tutatur. Illa  
 verò tam honorifica Magistratum appellatio minimè huc spe-  
 ctat, ut honoris Deo debiti vel minimam particulam ad illos trans-  
 feramus, (vnicus autem Deus est conscientiæ nostræ Legislator Ia-  
 cob. 4.12.) sed ut illis tanquam Dei ministris, quantum patent eo-  
 rum potestatis fines, non tantùm propter iram, sed etiam propter  
 conscientiam, id est non tantùm ad vitandas, quæ Legibus huma-  
 ni inducuntur, pœnas, sed etiam quia Deus ipse in suis ministris  
 regnat, vtrō & placidè, salvo semper Dei iure, obtemperemus.  
 Rom. 13. 1. & deinceps: & Deum pro illis tanquam constitutis pu-  
 blicæ pacis custodibus, ne prophanis quidem alioqui Regibus &  
 principibus exceptis, sollicitè precemur. 1. Timot. 2.2. Filiorum de-  
 nique Dei appellationis nobis attributæ rectus vsus triplex est. V-  
 nus, ut hanc dignitatem opponamus ignominia Crucis, & omni-  
 bus illis opprobriis quibus propter Dei iustitiam obnoxij Chri-  
 sto capiti nostro συμφέρει, in cruce Domini non modò ani-  
 mum non despontentes, sed etiam gloriantes, sicut Prophetarum  
 & Apostolorū monitis & exemplis docemur. Alter, ut quanto nos  
 Deus hac adoptione beneficio afficerit memores, perpetuis laudi-  
 bus ipsum celebremus. Tertius, ut pudeat nostanti patris filios, &  
 rati primogeniti fratris nostri fratres, quid illi viriq; debeamus, si-  
 ue filialis fraternaliq; officij, obliuisci: & Sanctū illū Spiritū adoptio-  
 nis cōstitare. Ephes. 4.30. sed potius acerbā illā increpationē vite-  
 mus. Malach. 1.6. Si pater sum, vbi honor meus, & si Dominus sum,  
 vbi teuerentia mei? Deniq; sic obseruanda est hæc cognominatio  
 aduersus Arrianos, qui Filium illum æternum Ioan. 1.1. & deinceps. &  
 3.20. & vni genitum, non temerè Ioan. 1.14. 18. & 3.16. 18. & 1. Ioan. 4.  
 9. appellatum, blasphemantes dicunt λογοτελον: & impios Rab-  
 binos Iudeorum Messiam nefcio quem ante orbem terrarum crea-  
 tum somniantes: quem non dubitamus quatenus Deus est esse pa-  
 tri coæternum & coëssentiale, & ut vnum cum Patre & Spir-  
 itu Sancto Deum, eadem cum illis gloria coadordanum.

V. 6. Venerunt. Aliter venire dicuntur homines & reliqua cor-  
 poreæ se esse mouentia, aliter spiritus, aliter Deus. Veniunt enim &  
 recedunt res corporeæ circumscriptiæ, & vera loco motiva, quam  
 vocant: nec magis fieri potest, ut verum corpus simul sit pluribus  
 locis,

locis, vel aliter sit quām localiter & circūscriptiū vbi cunque sua essentia adest, quām fieri potest ut corpus sit, non corpus: ne corpore quidē Christi excepto, quantumuis gloriose, & iam non in terris sed supra cōlos omnes collocato, de quo ipso August. differens. Si corpus, (inquit) ergo in loco, propter veri corporis modum. Itaque Transsubstantiatio & Consustantiatio, ac multō magis merē Eurychiana illa Vbiqitas, quibus Ascensionis Christi, & eiusdem ē cōlo reuersionis, ipsa denique corporis Christi veritas contradictoriē tolluntur, ab aliis quidem stupida ignorantia, ab aliis vero sola inexcusabili pertinacia defenduntur. Angeli vero, de quibus hic peculiariter agitur, dicuntur quidem esse in loco, sed & quicquidē, id est non ut corpora sive contactu dimensē quantitatis, quæ in Angelis non est, sed tamen definitiū, quoniam infinita non est Spirituum essentia. Hinc etiam sit ut propreterea pluribus simul esse locis non magis possint quām corporatæ substantiæ: & ne definitiū quidem duo simul Angeli uno & eodem loco esse. Hinc sit ut secundū locorum distantiam recte & propriè Deus illos mittere & ipsi mitti, venire & abire passim in sacris literis dicantur, sicut ante Scholasticos Theologi veteres, ac præsertim Didymus & Basilius aduersus ~~τεραπολημάχον~~ disserunt ex factis literis tradiderūt. Sed hic illud quāri potest, ex quo loco Deus illos mittere dicatur. Respondeo, sobrie de his mysteriis esse nobis sapiendum. Sed quum Angeli non temerē cælestes vocentur, statui meritō posse affirmo, supra cōlos ipsos (in quos recipi & sine ullo tropo Christi caro ascendit; vnde etiam venturus est: & in quos ultimo illo die toti verē & citra tropum rapiemur, ibi cum illo & beatis Spiritibus in æternum regnatori) assignatum illis esse domicilium, lucis & gloriae nobis incomprehensibilis plenum. Verē igitur & sine tropo mitti diuinitus ad varia propt̄ Deo libuit ministeria dicuntur: neque vanā & enthuſiasticā est hæc sententia, sicut nonnulli nostra etiam ætate, cōclum & inferos vbi que portentosè collocantes, phanatici potius ipsi appellandi, docuerunt. Nec tamen propt̄era Angelorum ordines cum illo Dionysio recensemus, aut curiosè, quomodo cōsistant, aut quid agat, Angeli scrutamur, quæ nobis sunt priorsus ~~αρχεπουντά~~. Sin vero quāratur, quum Deus vbique sit, quinam ad illum venire, ac proinde ab illo abire dicantur. Respondeo distinetam esse hanc quæstionem à superiore. Itaque sicut illi sua quantius non quantitate circumscripta, tamen proprietate sive definitiæ naturæ, ac etiam locorum distantia respectu ad quos accedunt & à quibus recedunt, propriè & sine tropo abire & redire, accedere & recedere dicuntur, sic ipsius Dei mittentis & infiniti habitatione, à loco in locum transeunt ut à Deo tamen infinito abesse nunquam dici possint. Quoniam autem, et si Deus vbique est, non tantum effectu sed etiam essentialiter, incomprehensibilis & omnia continens: tamen peculiari ratione cōlis id est illis ~~τεραπολησ~~ locis insidere dicitur, propt̄era quod in illis immensam illam &

nobis incomprehensibilem gloriam peculiariter exerit & regnum suum incomprehensibili nobis modo in suis exercet: Idcirco etiam non tantum videre faciem patris, sed videre in cœlis & cœlitus miti-  
ti à Deo quasi ab illius solio discedentes: & ad eum in cœlos Ascen-  
dere & Redire, & in cœlis Deum celebrate passim in sacris literis  
Angeli scribuntur. Deus autem ipse venire & abire, Descendere &  
Ascendere, Adesse & Abesse dupli modo dicitur. Vno tribus per-  
sonis æqualiter in vna & eadem essentia communi, idque  $\tau\alpha\tau'$   $\delta\pi\omega\omega\alpha\delta\varphi\alpha$ , prout vel iudicia sua exercet, vel clementia sua vti-  
tur, quod prolati Scripturæ testimoniis probare necesse non est,  
quum passim occurrant. Altero, personæ  $\tau\theta\lambda\gamma\mu\pi\pi\alpha$  peculiari, id est  
personaliter assumptæ & unitæ sibi humanæ naturæ nostræ respe-  
ctu, cui quoniam non adest simpliciter ut reliquis rebus creatis, vel  
etiam ut eleætis & sanctis suis (sicut Nestorius personam Christi  
diuidens astruebat) sed ita adest, ut humanitas illa quam assumuit  
non sit  $\delta\pi\iota\sigma\alpha\mu\pi\pi\alpha$  in se, sed in illa  $\tau\theta\lambda\gamma\mu\pi\pi\alpha$  persona subsistentiam  
suam habeat: Idcirco venisse in carnem, descendisse ad nos, se exi-  
naniuisse in forma serui, caro idest homo factus dicitur, seruatis in-  
terea semper in illa vnitione singularum naturarū, (assumentis vi-  
delicet in persona  $\tau\theta\lambda\gamma\mu\pi\pi\alpha$ , & illius assumptæ in illa subsistentis)  
proprietatibus. Itaque propter hanc vnitatem à qua emanat per-  
sonæ Christi vnitas, neque  $\iota\lambda\gamma\mu\pi\pi\alpha$  concluditur corporis vel animæ  
humanæ angustiis, neque assumpta humanitas, etiam qualis per v-  
nitatem evasit considerata, sua circumscriptæ dimensionis & lo-  
calitatis fines excedit, quantumvis etiam glorificata. Et qui separa-  
ri naturas somniant nisi ubique est Deitas  $\tau\theta\lambda\gamma\mu\pi\pi\alpha$  (est autem  
ubique) ibi quoque assumpta humanitas, sua corporea essentia sta-  
tuatur, non tantum falso sed etiam stulte istud concludunt. Quia de-  
re satis supérque à nobis non semel hoc ipso in loco est disputa-  
tum. Hoc autem addam quoque superioribus, distinguendam esse  
hanc  $\tau\theta\lambda\gamma\mu\pi\pi\alpha$  vnitatem cum assumpta natura, tum à Spirituum,  
sive bonorum in corporibus assumptis, sive impurorum in dæ-  
moniacis essentiali praesentia & inexistentia, tum etiam ab animæ in-  
corpore humano consociatione. Nam illa quidem talis est ut cum  
corporibus quibus inexistenti illi Spiritus, vnum  $\delta\pi\iota\sigma\alpha\mu\pi\pi\alpha$  mini-  
mè constituant, Manent enim semper duo actu subsistentia in dæ-  
moniacis. Assumpta vero à beatis Spiritibus corpora, sunt tantum  
ad tempus, illorum Spirituum à quibus, ad certum sibi mandatum  
ministerium mouentur, organa & instrumenta: ita ut totam hu-  
manam naturam, sive hominem Angeli assumptissime propriè dici  
non possint. Ista vero animarum in singulis humanis corporibus  
inexistentium consociatio, personalis quidem est (sic enim singulæ  
humanæ personæ constituuntur, & haec tenus Athanasius hac simi-  
litudine vitetur,) sed satis est ut illa ad tertium quiddam efficiendum  
ex illis duabus partibus ut integrantibus, & per se alioqui imper-  
fectis, itidemque ex materia (corpo videlicet) & anima (ut forma)  
compo-

compositum, concurrant, quod proinde ex illa compositione nascatur. At humanitas à filio Dei assumpta neque vt pars cōponi potest cum Deitate rū λόγῳ assumente: cui nec addi, vt augendæ, nec adimi vt diminuendæ quicquam potest; & quiccum, vt cum infinita vnicā essentia, nihil possit eo modo coalescere: quæ deniq; Deitas nullius rei creatæ forma dici, nisi summa absurditate possit. Superest ergo vt illa personæ rū λόγῳ cum assumpta illa humanitate vnitio vocetur Hypostatica, quatenus illi humanitati datum est: vt simile esset &, non in se, sed in λόγῳ, subsisteret, in illo ὁμοιότατον quod est verè ipsis Angelis incomprehensibile θεου, & Emmanuel, quod & θεὸς φωνή dicitur. Sed de his fortassis nimium multa, si quid huic loco conueniat consideremus, nec tamen plus satis, quod ad hæreses hoc nostro seculo interpolatas attinet. Nunc ad Angelos nostros reuertamur.

*Vt adstant coram Iehona.* Adstare istud non simpliciter declarat præsentiam, quum Deo semper sint omnia præsentia, sed tum ordinariam functionem, tum animum ad muneris sui executionē paratissimum, qui nunquam impuris illis Spiritibus inest: vt qui Dei voluntati ne tum quidem obsequatur, quum faciunt imperata & qui (vt in hac historia videre est) verè imperium Dei non specent, sed potestatem malè agendi sibi concessam cupidè arripiant. Itaque obsequium istud in beatis demum illis Spiritibus celebratur Psalm. 103. & alibi. Huc spectat etiam illud quod quasi alis prædicti, & quidem quaternis non semel apparuerunt, (quod de suo illo prophano Mercurio commenti sunt Poëtae) & quod ait diserte Dominus Matth. 18. ipsos faciem patris qui in cœlis est οὐδὲ παρτός intueri: nobis quidem certè tarditatem & ignauiam nostram exprobrantes. Sed illud quoque animaduertendum est Deum Opt. Max. ne horum quidem ministerium adhibere quasi illis indigeat, Regum & Principum instar, qui per pauca soli, ne si quidem velint, obire possunt. Est enim solus Tsadai & οὐλέπης. Sicut autem mundum & res omnes in eo comprehensas condidit, non necessitate vlla, neque vt emolumentum inde aliquod perciperet, sed prout summè bonus est, vt aliquid extaret quod bonitatis illius suę faceret particeps, & in quo agnosceretur, non alicuius sanè commodi causa quod in ipsum conditorem accessione quadam redundaret, sed contra quod ipsis à quo agnoscitur commodo cederet: sic etiam beatos illos Spiritus creauit in quibus homines multò etiam magnificentius quam in hoc mundo aspectabili, potentiam, sapientiam, bonitatem Conditoris contemplentur.

*Et venit etiam Satan inter eos.* Maxinam etiam esse impurorum Spirituum multitudinem appetat saltem ex eorum legione unicum hominem occupante Marc. 5. 9. Sed hīc quoque vt in ceteris rebus cauendum est ne extra diuini verbi fines excurramus. Illud autem constat aliquem esse summum illorum principem, qui nāl<sup>2</sup> ξέρχεται Matth. 25. ver. 41. Diabolus, & tum hoc loco tum alibi sape

Satan & Satanæ vocatur, quæ utique appellatio, quod sit ipsius ingenium ac studium declarat. Diabolus enim, calumniatorem, Satan autem, iuratum hostem & pecuniam declarat, ut loquitur Paul. 1. Tim. 5. 14. & Pet. 1. Pet. 5. 8. illum vocat. Est autem non hominum tam salutis calumniator & hostis, verum etiam ipius Dei, & specialiter quidem Christi, ut Ecclesiæ cui perpetuò infiditatem capit. Quinam enim possit seruis Dei bellum indicere, quin aduersus Dominum quoque insurgeret? Hoc autem utrumque vix in illa historia clarissim apparer quæ in primi hominis lapsus descriptione, ubi opificem simul & hominem, in signe illud Dei opificium, aggressus, hunc quidem, mentitus in opificem, pessundedit, ab illo vero magis ac magis sese alienavit. Et prudubio ad istud perpetuum & irreconciliabile dissidium respexit Dominus, iam tum Satanæ Crucem figens quum his verbis utetur, Inimicitiam ponam inter te & inter mulierem, Genes. 3. 15. Dicitur ergo & ipse Satan venisse, at non ut unus ex filiis Dei, sed inter filios Dei, nempe non eodem quo illi animo. Absit, sed eò pertractus inuitissimus, nempe, ut illum nouerimus cum suis omnibus Angelis, improbitatis suæ administris, sua illa rebellione minime sese eximere Deipotestari & imperio potuisse. Adfuit igitur & ipse, & adest in Dei omnipotentis conspectu, totus tabie ad omne scelus ardens, & odio bonorum in primis efferratus, sed inuitissimus nocendi veniam ab eo petiturus, citra cuius concessionem ne conari quidem, ne dñe efficere reipsa quicquam potest, ut etiam apparet ex historia de porcis, Matth. 8. ver. 31. Num vero, dicet quispiam, opera istius semper male agentis utitur Deus ab omni iniustitia penitus remotus? Omnino certè: non quod iniuste quidquam designet Deus, sed ut illo quantumvis scelerato, interdum quidem ut carnifice, idest modo ad perdendos ac delendos sceleratos, ut Saulem 1. Samu. 16. 14. ut Iudam, Ioan. 13. 2. & alios innumeros: modo ad suos castigandos, ut mulierem illam incurvam Luc. 13. 16. vel probandos & exercendos, ut Iobum in hac historia, utatur: qua in re quoties operam suam adhibet Satan cum suis, minimè id facere existimandus est obsequendi animo, sed quod nocendi opera Dei destruendi potestate sibi concessa delebetur. Est autem hæc doctrina eximiæ consolationis plenaria ex videlicet intelligimus Dei nostri potestate & fræno coerceri omnem istius famelici leonis rabiem: Deum autem nunquam illi quidquam in laos concessum quod ipsorum bono & commodo tandem non cedat, ut nos monet Apost. Rom. 8. vers. 28. & suo ipsius exemplo docet 2. Corinth. 12. vers. 7.

Ver. 7. *Dixitque Iehona ad Satanam, unde venis? At qui nonit omnia Dominus, & quidem ab externo, & absq; vlo cogitationis discutit. Nihil ergo percontatur quasi nesciens, imò ne percontatur quidem cum hoc impuro Spiritu agens, sicuti olim quæsivit ex Adamo, Adā vbi es? Genes. 3. 9. & ex Caino, vbi est Abel frater tuus? 4. 9. non*

non ut disceret quod nesciret, sed ut illū quidem per sui peccati agnitionem & derestationem adduceret ad salutem: hunc verò suo ipsius ore conuictum malè perderet, Sed à Sp̄ωτοραθώ; ista dicuntur, tum ut nouerimus Satanam ipsum cogi iam nunc se se coram Deo ut iusto iudice sistere, cui scelerum suorum omnium rationem reddat: tum ut ex hoc exemplo discamus quoties Deus malis istis instrumentis vritur, non indi ipsis aliquam à Deo ad malum inclinationem, vt pote quæ ipsis insit per corruptionem, sed ab eo ramen illam quasi excitari, qua postea ipse quidem, quanuis pessimo instrumento, bene & iuste veatur: Illa verò mala per se & ex se in strumenta male tunc etiam agant, ita tandem iustas poenas subiatura, quòd iustum Dei opus iniuste execuantur. Ierem. 48.10.

*Et respondens Satan Iehonā dixit, à circumeunda terra & perambulanda.)* Nempe id agens quod hic dissimulat, exponitur autem 1. Pet. 5. 8. tanquam leo rugiens videlicet obambulans & quærens quem deuoret: tyrannidem denique exercens in mundum qui se se illius tyrannidi addixit, qua ratione Princeps mundi vocatur, & ipsius Angeli ~~no~~ quoniam potes dicuntur. Ephel. 6. 12. fræno tamen Domini ubique coërcita ipsorum tyrannide. Sed hic quoque cauendum nobis est, ne ultra verbum Domini sapiamus.

Ver. 8. *Et dixit Dominus ad Satanam, An posuisti cor tuum super seruum meum Iobum, quòd non sit ei similis in terra, vir integer & rectus, Dei timens & recedens à malo.)* Quid valeant hæc epitheta diximus in versic. 1. Ponere autem cor idem hic declarat atque attente quidam considerare. Neque verò nesciebat Dominus nullos cautius & attentiùs à Satana obseruati quam eos qui pietati & integratitudine student, quos vnos nimirum habeat ipsi reluctantes, cæteros pro suo arbitratu transuersos agēs. 2. Tim. 2. 26. Sed sic loquitur Dominus ut illum vrat, & ut aduersatio suo insultet: quum sceleratis minus ut illum vrat, & ut aduersatio suo insultet: quum sceleratis nihil tantopere doleat quam si quod cogitant exequi non possint, ac si diceret Dominus, Noui quidem ego quid perpetuū moliaris, sed hunc saltē lobum inuenisti in quem frustra sis omnia molitus.

Ver. 9. *Et respondit Satanas Domino, dicens, Num gratis timet Iobus Deum?* Vide ut obliquè draco iste serpat, nunquam rectè incendens, sed quod negare non poterat dissimulans, ut facere quoque consueverunt qui ab hoc Spiritu aguntur, Sophistæ præsertim, ab eo de quo queritur subinde ad diuersas questiones sermonē transferentes. Sic hodie quum ex aduersariis quærimus, An Papisticus cætus sit Ecclesia, disputare incipiunt de Ecclesiæ auctoritate. Et quū negatur Consubstantiatio, aut Transubstantiatio aut Ubiquitas corporis Christi, assertur à sophistis pro responsione, quæstio, An non sit Deus omnipotens, & an non verba Christi sint abilonis. Sic locus de Traditionibus Ecclesiae, aduersariis conuictis verbi Scripti auctoritate, est ad vniuersas cōtrouersias vniuersalis Sophistarum responso. Sed ad rem. Inuitus Satā agnoscens vera quæ ipsi

proposuerat Dominus: non modò non cedit veritati, (quoniam enim id faceret in èdacijs auctor,) verum etiam noui inde certaininis aduersus Iobum occasionem arripit, sperans à se rebus aduersis prosterni posse, quem res secundæ auertere non potuerant: vt non immerito nos admonuerit Paulus negotium nobis esse cum iis qui nos & à dextris & à sinistris adoriantur. 2. Corinth. 6. 7. Et hic mihi vide quid tandem esse possit hoc nostro aduersario impudentius simul & audacius, vt hæc eadem mirari in iis desinamus qui hoc ipso Spiritu aguntur. Quam eni m ètote ipsius Dei qui mentiri non potest audiūisset veram & sinceram esse Iobi pietatem & vitæ integratem, andere contra calumniari Iobum quasi non propriè ipsius Dei, sed utilitatis causa amarem, perinde certè fuit atque ipsi præsenti Deo in os vel ignorantia vel mendacijs notam impingere, quum ne ipsi quidem Prophani homines ignorent verè amicos dicinon posse qui amicitiam suis priuatis co mmodis metiuntur & quibus vetus illud proverbiū contuenit, ξει χύτρα, ξη φύλα. Ipsi vero Iobo quantam iniuriam calumniator iste faciat res ipsa postea declarauit, insigni cum victoris Iobi gloria & aggressoris Satanæ infamia: qui tandem esse consuevit omnium aduersus synceros Dei seruos excitatarum à Satana temptationum exitus.

Ver. 10. Nonne tu sepem posuisti super eum, & super domum eius & super omnia quæ sunt ipsius vndique? Hic rursus sele patefacit impuri Spiritus præfracta impudentia, vt quinon contentus Dei de Iobo testimonio contradixisse, nunc etiam audeat calumniam suam falsissimam aperto paralogismo à non causa ad causam, Sophistarum videlicet magister, confirmare. Quænam enim est ista conclusio? Tutaris & tuo præsidio vndique circunscistis Iobum, & ipsius familiam, atque adeò omnibus bonis illum cumulas, Ergo non te Iobus tui sed sui causa diligit & reueretur? Sed & aliis duobus modis in hoc sermone idem Satan prodit ingenium illud suum inuidia & nocendi cupiditate perpetua exæstuans. Vnde enim ista nisi ex eo quod ut iam olim humani generis felicitate in protoplastis nostris parentibus, sic nunc quoque Iobi prospero statu totus vritur? & quorsum ista nisi ut in Iobo ab ea qua fruebatur felicitate deturbando malignitatem illam suam exerceat? Sunt autem hæc nobis diligenter & assidue meditanda, partim ut hostis illius nostri ingenium magis ac magis nouerimus, & cognitum detestemur: partim ut aduersus Sophistas, qui certè nihil aliud sunt quam os & lingua Satanæ veritati & saluti nostræ insidianter, eò cautiùs obseruemus & evitemus. Sunt autem nobis præterea quæ hic dicit mendacijs Spiritus accuratè expendenda, non ut à mendacijs patre veritatem discainas (vera enim & præclara sunt quæ hic effutit) sed ut illum suo etiam ipsius ore refellamus. Nam alioqui, quum ita purus hic Spiritus, non veritatis tuendæ, sed mendacijs specioso veritatis nomine fucandi studio, vera interdum loquatur, ne tam quidem propriè audiendus est quum verum dicit, sed compescēdus, Christi exim-

exemplo, Marc. i. vers. 24. & Pauli Act. 16. vers. 18. Nec vñquam magis sollicitè aures obtutare aduersus illius incantatoris voces operat, quām quum in Angelum lucis sese transformat 2. Cor. 11. vers. 14. Age tamen ex ipso aduersus ipsum discamus quod ipsa veritas illi extortis: & pudeat nos hoc ignorare quod ipse ignorantiae doctor coactus est profiteri: nempe nos & vitam hanc nostram, & quicquid boni vel habemus, vel speramus ab vnius Dei potentia & benignitate penitus pendere. Quod quum ita sit, quānam maior est & certior insania, quām cum mundo & huius seculi hominibus somniare, malis vllis artibus, vel quod iam habetur conservari, vel quod non habetur & expetitur acquiri posse? Et tamen quotus quisque hominum aliter viuit? Quod si præsidium istud diuinum non est vnius hominis proprium sed piis omnibus commūne, quorum cætus est Ecclesia, quam sese Dominus igneī muri & latissimi flaminis instar testatur circumcingere Zachar. 2. vers. 5. & Esa. 66. vers. 12. & Angelorum copiis tutari non modò verbis testatus est, Psalm. 34. 8. verùm etiam oculis ipsis spectandum præbuit 2. Reg. 6. vers. 17. quānam fieri posse dicemus ut tam pauci sese in simum Ecclesiæ recipiant: & ex iis qui eò refugisse videri volunt, tam multi, corpore quidem in Ecclesia, animo verò in medio mundo versentur? nempe quoddin reprobum sensum traditi, nec suæ ipso-rum conscientiæ hoc ipsum clamanti nulos esse in tuto nisi qui diuinitus protegantur, nec eos à Deo protegi qui malis artibus studient, ne ipsis quidem Satanæ, credant, cuius alioquin imperio sestoros committunt. Audiunt enim illum non ut hic loquitur, sed hæc potius mendaciter iactantem, Hæc omnia tibi dabo si prostratus adoraueris me Marth. 4. vers. 9. Sed age, hæc ipsa Satanæ verba in ipsummet retorqueamus, Agnoscis Satan, omnes Dei timentes tutissimo & inexpugnabili Dei vallo circumdari. Quid ergo perpetua illius oppugnatione promoues? Nihil agis profecto, nisi quod certissimum exitium tibi magis ac magis accersis: Ecclesiæ autē quam destructam cupis, ipsem extruis, vt pote quæ quantò infestius illam aggredieris, tantò fortius tibi resistat: repugnationem denique illius promoues inuitus ab iis sordibus, quas tu ex Dei domo euerris, quoties tibi conceditur illius quoque sepem perrumpere. Oportet enim etiā hæreses esse ut qui probi sunt manifesti fiant 1. Corinth. 11. vers. 11. & qui ex sanctis exeunt à te abrepti, ex sanctis non erant. 1. Ioan. 2. 19.

(Operi manuum eius benedixisti & pecus eius exhiberanit.) Quid agitis igitur, auati, fraudulenti, lucri cupidí omnes? Præmonenti saltem Satanæ credite. Nam si benedicit Deus sanctæ & integræ virtutæ hominibus, (cuius integratatis amplam descriptionem infra audiimus capitibus 29. & 31.) efficitur itam Dei vestris capitibus certissime imminere, nec aliud quām exitium metere qui iniuriam sustinent, infra cap. 4. vers. 8. & Proverb. 22. 8. At num sic benedicitur ut lobus quisquis Iobi pietatem & integratatem imitatur? Minime,

Nam ecce , vt tam multos alios præteream, Petrus & Ioannes nec autum habent nec argentum Act. 3. vers. 6. & manibus suis victi-  
tans Paulus didicit etiā egere 2. Corinth. II. 8. & abundante illo di-  
uite epulone, mendicat ulcerosus Lazarus, benigniores canes quām  
illum diuitein expertus, Luc. 16. 19. Immò in hoc nostro iusto Iobo,  
& pauperissimi simul & ditissimi exemplum habemus illustre. Quid  
igitur? An non habet ~~virtus & cetera~~ virtusq; vitæ promissiones? I. Timor.  
4. 8. Habet certè. Sed duo sunt hic nobis in primis obseruanda, V-  
num, propriam & peculiarem piorum felicitatem, quum perpetua  
sit & immutabilis, neque in hac vita , neque in vllis cum ipsa inter-  
cidentibus bonis necessariò sitam esse, quod & res ipsa postulat, &  
sacræ literæ passim docent. Alterum , opes & omnia huius vitæ  
commoda , quanvis quatenus res sunt à Deo creatæ bona sint, ni-  
hilominus tamen , quum ex vsu aestimantur , res esse medias, id est  
bene vtentibus bonas , male vtentibus malas. Et quum homines  
suapte natura ad malum proni sint, atque adeò precipites, etiam iis,  
qui Spitu Dei aguntur Dei beneficentia bene vtentibus, modum  
in summa copia tenere quām sit difficile, ipsius sapientissimi Solo-  
monis exemplo docemur. Hinc efficitur quām optimè Deum suis  
cavere, quum huius vitæ commoda parcè ipsis largitur : (paucis e-  
nī contenta est natura, neque quisquam vivit ēn rē ~~temporē~~. Luc.  
12. 15 ) & contra nunquam seuerius illum avaros & sceleratos om-  
nes viciisci , quām quum illis largitur amplius etiam aliquid quām  
experant. Psalm. 73. 7. Idem est autem de contrario id est de inopia  
& aliis vitæ incommodis statuendum , quæ vt ex hominis peccato  
exorta , naturam quidem suam retinēt quoties à Deo sceleratis in-  
fliguntur vt ab hoc veluti inferorum suburbio ad ipsos inferos  
tandem abripiantur: è contrario verò naturam illam prorsus mu-  
tant, quoties Dominus illis, intra modū semper adhibitis, suos la-  
sciuentes vel reprimit, vel explorat, vt & sibi & aliis melius sint  
noti: vel etiam illis tanquam gloriæ suæ singularibus instrumen-  
tis sub cruce vtitur, æternæ gloriæ pondere infinitis partibus om-  
nes illas miserias superante , 2. Corinth. 4. 17. Verū quid illud est  
Operi manuum Iobi benedicēnum quod Iobus incepisset ex se-  
se operari , & solus operis exitus sit à Deo? Nequaquam. Deus  
enim & manus suorum & omnē carum ad operandum vim, quæ-  
cunque tandem illa res sit, suppeditat, Psalm. 90. 17. particulari quo-  
que beneficentia, cuius insigne exemplum habemus in Befelele  
Exod. 31. 3. Multo magis autem istud agnoscamus in iis oportet que  
non tantum sunt ~~virtus & cetera~~, sed etiam, (si naturæ nostræ deprava-  
tionem spectemus) ~~virtus & cetera~~? Huiusmodi est in primis Regenera-  
tio ex Spíitu, quum Esse cuiusq; à sui generatione incipiat. Neque  
verò sic aboletur eius instrumenti quo Deus vtitur operatio , sed  
ab eo opere quod totum Dei est distinguitur, I. Cor. 3. 9. & 9. 1. Sic  
igitur accipiendum est quod hic dicitur Deus operi manuum Iobi  
benedixisse: ex qua loquendi formula istud quoque discere nos o-  
portet

oportet, quamuis minimè sit Dei manus secundis quas constituit causis alliganda, quasi illis vel non existentibus, vel nobis non a parentibus, sit nobis de promissionibus Dei dubitandum: cum tamen meritò videri Dei beneficia aspernari, vel Deum tentare qui instrumenta ab ipso ordinata & præbita contemnat. Vis igitur aliena huic vita necessaria tibi præstari? laboris viam pro iustæ tuæ vocationis ratione ingredere. Indignus enim est otiosus qui alatur, 2. Thess. 3. 10. quamuis quadraginta diebus Dominus Mosen & Eliam absque cibo nuttierit, Vis à mortbo sanari? utere medicinæ remediis, siquidem potes: sed ne, Azæ exemplo, in medicis spem reponere 2. Paralip. 16. 12. Paulus certè quamuis promissionem Dei amplexus de se & omnibus qui cum ipso erant naufragio non perituri, tamen de fuga cogitantibus nautis, Nisi, inquit, isti in naui manserint, vos seruari non potestis. Vis salutem æternam obtinere? crede, fides autem est ex auditu verbi Dei Rom. 10. 17. Quod denique dicitur, de opere manuum Iobi, non est ita præcisè & necessariò accipiendum quasi ipse manus suas aratro admouerit, vel aliquid eiusmodi exercuerit, quod probabile non est: sed Hæbreorum more, omnis opera vel animi vel corporis, vel utriusque, manuum appellatio vocari consuevit. Habuit autem ille in tam opulenta & numerosa familia in quibus sese dies & noctes exerceret, vt prudens simul & sanctus œconomus: & quibus in rebus sese dies & noctes exercuerit, ipsem et, vt testis idoneus, infra declarabit cap. 29. & 31.

Vers. II. *Verum, mitte, quæso, manum tuam.*) Qum nihil hic peccat Satan quod Deus illi postea non concedat, ac proinde quod nō ab æterno decreverit: cōstat Dei & Satanæ voluntatē hīc concurrens, sed tam diuerso modo quād differt lux à tenebris. Quod enim vult & expetit Satan, pessima vult voluntate, & aduersus Iobum quem cupit perditum, & aduersus Deum ad quem blasphemandū se posse sperat Iobum inflammare. At quod ab æterno decreuit Deus & nunc vult exequi, tum ad suam gloriam maximè pertinet, ut qui in primis in suorum constantia glorificetur: tum ad Iobi salvatorem maximè facit, quum oppressio patientiam, patientia experientiam, experientia spem efficiat, Rom. 5. 3. tum Ecclesiæ toti insigne præbet patientiæ & felicis ex grauißima tentatione exitus exemplum, quo ad fines usque seculorum eruditatur, sicut à Iacobo admonemur. Jacob 5. 10. Non est igitur Deus auctor peccati, etiam si non simpliciter sine permittere, sed etiam volens agere per malum instrumentum dicatur: quod nisi agnoscamus, ubi posita fuerit nostra in aduersis consolatio? & quinam stabit illud Petri, velle Dei voluntatem ut bene agentes malis afficiamur? I. Pet. 3. 17. Sed hoc quidem verum est, malam mali instrumenti voluntatem à Deo non indi, sed à spontaneo malorum motu totam proficiunt, quam Deus ad rectum suum finem dirigat, ex tenebris quoque lucem eliciens, vt ex his Satanæ verbis appetat. Nec enim illi Deus ista, sed ipse sibi pro sua innata malitia suggesterit, qua in re tamē non

idem semper agendi modus cernitur. Nam hoc quidem loco vbia-  
gitur de affligendis piis, Satan scipsum prorsus prior mouet, & Deū  
quodammodo impellit: alibi verò, quum de castigandis malis per  
malos Spiritus queritur, vt i. Reg. 22.19. prior loquens Dominus,  
Quis, inquit, pellicet Achabum vt ascendat & corruat? vt negari  
non possit malas quoque voluntates à Deo ad hoc vel illud agen-  
dum recte & iuste impelli & inclinari, sicut expresse multis locis  
ac præsertim lib. 3. aduersus Julian. cap. 5. docuit August. Sed cur nō  
potius dixit Satan, *Mitte me, quām, Mitte manum tuam.* Nempe fa-  
teri coactus est non modò se nihil aggredi, nisi Deo potestate sibi  
faciente posse, verùm etiam suos omnes irritos futuros conatus,  
nisi Deus illis efficacitatem tribueret, vnde factum vt, in illa de qua  
modò dixi visione, dixerit Dominus, Pellicies & præualebis. Sed  
quidnam vocat Domini manum, inquiens *Mitte manum tuam?* Cer-  
tè semetipsum. Estne igitur Satanæ manus, Dei manus? Omnino,  
non tamen quatenus ipsa mala sese malè mouet, & tot scelera pa-  
trat in Iobum & ipsius familiam: sed quatenus bene illa quoque  
peccante vtitur Deus, vt in serui sui patientia triumphet. Quo etiā  
fensi apertè Assyrios in castigando populo suo virgā furoris sui  
vocat Esa. 43. Jerem. 43. 10.

*Et percutie quicquid eius est.* Vnde verò tanta nocendi libido?  
Nempe in primis ex illa summa impurissimi & crudelissimi Spir-  
itus malignitate: qui, si fieri posset, & nisi à Deo frænaretur, nulli  
prorsus rei creatæ parceret. Deinde ex eo quod proculdubio Iobi  
robuit millies in aliis tentationibus expertus, Satan desperaret de  
victoria aduersus illum damnis vllis obtinenda, nisi ea plaga vulne-  
raretur, quæ nihil illi prorsus reliqui in familia sua faceret: quod il-  
lum non fuisse temerè suspicatum illud demonstrat, quod ne sic  
quidem Iobus vinci potuit.

*Nisi in faciem tuam benedixerit tibi.* Id est maledixerit per *άρτιον*  
opacum vt supra ver. 5. Est autem in eiusmodi phrasibus ex vsu He-  
braicæ linguae subaudienda imprecatio, interdum expressa, nempe  
Sic & Sic faciat mihi Dominus, interdum verò *εὐφημία* causa  
prætermissa. Hoc autem in loco, nihil sibi noui potuit imprecari  
Satan, per se modis omnibus execrabilis. Sed in primis querendum  
est quid illud sit quod audet sibi Satan de Iobo polliceri. Peccatum  
certè longè grauissimum, & tam horrendum vt illud Hebrei nō ter-  
merè sæpenumero per *εὐφημούν* contrario benedicēdi verbo decla-  
rēt, quod à Græcis *βλασφημία* dicitur generali significatione pro or-  
mni conutio & lingue petulantia, qua lreditur alterius existimatio,  
vt accipitur Matt. 9. 3. & 15. 19. & Eph. 4. 31. A Theologis verò peculia-  
ritate hoc verbum accipitur pro iis in ipsum Deū dictis, quibus Deo  
vel tribuitur quod ip̄i minimè conuenit: vel detrahitur quod ip̄i  
proprium est: quorum neutrum sine ingente scelere fieri ne per i-  
gnorantiam quidem potest. Etsi enim aliud est Blasphemare, quām  
Blasphemiam dicere, sicut Mentiri quām Mendacium dicere, tamen

non dubitauit Paulus test. L. 1. blasphemiam faciunt, quanvis per ignorantiam Christo maledixisset, 1. Timot. 1. 13. Oritur autem inribile monstrum istud interdum ex superbia: quod genus blasphemiae fuit illud Pharaonis Exod. 5. 2. & Rabsaces 2. Paralip. 11. & 16. interdum ex ira sic hominem inflamante ut neque sui, neque eius a quo lreditur, praesertim si par esse referenda iniuria non potest, rationem habeat, sed in Deum ipsum insurgat: interdum ex desperatione, que iusta est in multis contristari Sancti Spiritus merces: interdum ex impunè iurandi consuetudine: quæ omnes circumstantia augent, vel imminuunt huius sceleris pondus. Habere autem sibi viuis est Satan has omnes occasiones aduersus Iobum paratissimas. Comes enim est opum plerumque superbia. Quam multæ verò, & quam supra modum atroces iniuriæ Iobum optimo iure exacerbarint apparer ex iis praesertim quæ commemorat cap. 30. Et præter incannabiles illas animi & corporis erumnas in tanta rerum omnium vicissitudine accumulatas, quid prætermisum est ab ineptis Iobi consolatoribus, vnde ad insaniam & desperationem adigeretur? Multum autem hoc Iobum adiuuit quod ita vixerat, & familiam suam sic gubernarat, ut omne blasphemæ genus penitus esset illi familiæ nouum, ac fortassis etiam prouersus inauditum. Sed in summa, quo pluribus & accommodatoribus instrumentis ad Iobum in hanc Charybdim præcipitandū vsus est Satan, tanto est illustrior Iobi quantumvis interdum nutantis, per Dei Spiritum victoria: & tanto illustrius habemus Dei nosquam suos deferentis exemplum.

Vers. 12. *Dixit itaque Iehona ad Satanam, En, quicquid eius est in manu tua est &c.)* Nihil ergo bonorum Iobi fuit in Satanæ potestate ante hanc Domini concessionem, quod usque adeò verum est in sanctis, vt etiam capilli omnes illorum capitis numerati sint Luc. 12. 7. Imò ne in impios quidem, quorum Satan tamen princeps esse dicitur, licet illi quicquid ipsi libet, quanvis ad suum libitum dicatur eos captiuos abripere 2. Timoth. 2. 26. Ostèdit enim Deus magnam etiam paupèrulam in vase iræ suæ destinata Rom. 9. 12. Num verò Deum dicemus quum hoc Satanæ concederet, gratum ei quoque facere voluisse? Nequaquam. Quid enim iniquius foret quam fidum suum seruum inimicissimo suo torquendum in manus tradere? Hoc igitur concedens Satanæ Deus, nihil est ei propriè largitus, sed eum potius effecit suæ ipsius infamiae instrumentum, quum illum potius Iobo traderet superandum: seruo autem suo insigne trophyum iam tum præparauit. Denique & illud sciendum est, quamvis indefinitè loquatur Dominus quasi potestatem faciens, Satanæ quidlibet de Iobi bonis statuendi, nihil tamen aliud negare aliter statuere & exequi Satanam potuisse quam quod Deus decreuisset: arcano motu, causis omnibus seculdis, & earum effectibus, circa exceptiōnem ullam, Dei decreto obsecundantibus: quod negari non potest, quin particularis & singularum terum prouidentia impie negetur. Particularē autem, atque adeò singularissimam prouidentiam esse constituendam, ex eo appetet quod ne ve-

nationis quidam exitus ab ea exceptur Genes. 27. 27. nec passercularum interitus Matth. 10. 29. imo ne arboris quidem cæsare ramus Deut. 19. 5. Et quælo, nisi ita se res haberet, quid nobis, imo quid universo mundo singulis momentis fieret, si tyrannidi Satanæ absolutè subiiceretur?

Tantum in eum ne immiseris manum tuam &c.) Hic videmus Deum in suis exercendis & probandis optimū semper modum tenere. Nouit enim ipse vires nostras, ut pote illarum auctor, supra quas nos tentari nunquam sinit. Quamuis igitur ipsum quoque Iobum, excepta vita, tradere in Satanæ manus decreuisset: inducias tamen illi ad se confirmandum & colligendum concessit: ut primo congressu victor, paratiō ad secundum sustinendum accederet. Sic olim Apostolos suos Hierosolymis paulatim ad extrema quæque perpetienda formaturus, initio coērcuit eō usque aduersariorum rabiem ut nihil prorsus in ipsos Apostolos auderent Act. 2. 43. Postea verò licere ipsis voluit in carcere eos trahere, sed ea conditione ut ultra cōminatōnes nihil tentaret Act. 4. 18. Sic autem illos confirmatos, verberibus demum expostit. Act. 5. 40. donec ad cædes quoque primū in Stephani lapidatione, deinde in Iacobi interfectione veniretur. Cæterū quām pauci sunt hodie, qui vel minima earum calamitatū affecti quibus simul & uno impetu ingruentibus oppugnatus fuit Iobus, non statim clamitarint, ô scelum, ô terra, Disperij, Actum est de me, Quod me vertam miser? ne inpe quod alij non suas opes possident sed ab iis possidentur: aliorum verò Deus venter est. At nos contra discamus, auctore Deo, nos ipsos ab omnibus quæ possidemus non modò distingue-re, verū etiam quoties & prout Deo libet seitūngere: nec si perierint illa, etiam simul omnia, ut pote vana & caduca: nos tamen periisse propterea putemus. Quid autem nobis contrā in eum statim redactis sit statuendum ex eodem Iobo vers. 21. discere nos non pigeat.

Et exiuit Satan è conspectu Iehouæ &c.) id est statim sese in viam dedit ut quibuscumque posset modis Iobum aggrederetur: quam in malè agendo sedulitatem, quām felices essemus si ad bene agendum adhiberemus. Sed ecce, vigilantibus Christi hostibus, & ad illum capiendum sese nocte comparantibus, non modò dormiant, sed ne expurgisci quidem possunt in horto præcipui ipsius discipuli. Dicitur autem istud per ἀριθμοντας, quum nihil possit extra eius conspectum versari, vel ab eo abesse qui ubique est, & cuius oculi tum super bonos tum super malos excubant. Psalm. 34. vers. 16. & 17.

Vers. 13. Factum est die quadam quum filij ac filia eius ederent, ac biberent vinum in domo fratris sui primogeniti. Nunc hic nobis explicatur qualem se Satan præstiterit accepta in omnes Iobi facultates potestate. Quia in re primū hoc est nobis animaduertendum nequam propositum illi fuisse Dei voluntati obsequi: sed sola nocendi, vel

di vel potius perdendi lobi cupiditate fuisse impulsum: vnde patet  
 maximum esse discriumen inter beatorum spirituum & vere san-  
 ctorum hominum obsequium quo Dei mandatis parent ex animo,  
 quod eum diligent, & iustitia (cuius regula est ipsius Dei voluntas)  
 ipsi patefacta delectentur: & istam dæmonum fictam obedientiam  
 ab ipsius Dei & bonorum omnium odio & nocendi cupiditate in-  
 expelibili profecta. Estimanda est enim actio omnis non ex eventu,  
 sed ex agentis consilio & intentione, ut recte quoque in Philoso-  
 phorum scholis docetur. Liceat igitur nobis hac vri distinctione,  
 alios dici Dei seruos actiuem, ac proinde fidos & Deo præcipienti  
 probatos, quorum etiam opera coronat: alios passiuem dun-  
 tam, quoniam videlicet Deus quidem ipsorum opera, vt & alio-  
 rum de quibus diximus, vritur, qua ratione nihil prorsus exi-  
 mitur Dei in res omnes & singulas potestati ac imperio, ipsi  
 vero quod agunt sic agunt ut de nulla re minus quam de Deo  
 cogunt, sed libidini suæ prorsus obsequantur: quo demum  
 sensu Dominus Nebucadnezarem serui sui nomine dignatur, &  
 Egypti regno tanquam strenue demandatum opus executum remun-  
 tur iterem. 27. quem tamen postea meritis pœnis afficit.  
 Hinc quoque discenda nobis est duplex illa diuinæ voluntatis ra-  
 tio de qua pluribus in vers. 21. dicemus. Interdum enim, latissima si-  
 gnificatione, Voluntatis vocabulo intelligimus quicquid Deus de-  
 cernit: quo sensu sine villa exceptione, necessario intelligitur quic-  
 quid in mundo vñquam gestum est, aut nunc geritur, aut deinceps  
 geretur: quum Deo vel iniuto, vel ignorante dici non possit quid-  
 quam fieri, quin imbecillitas illi tribuat, vel Dei prouidentia tol-  
 lat. Neque Deus propterea malorum auctor vlo modo censem-  
 dus est, vt pote qui bene semper & iuste decernat & agat, tum quo-  
 que quum instrumentis male se mouentibus vritur. Interdu vero  
 angustiore significatione id demum velle dicitur Deus, quod per  
 se bonum, id est ipsius Dei naturæ consentaneum est, ideoque ab ipso  
 præcipitur: & nolle quod est malum, vt pote ipsius Dei naturæ re-  
 pugnans, & idcirco ab ipso interdictu: quo demum sensu Lex Dei  
 est istius diuinæ voluntatis summa. Vt roris autem modo Volunta-  
 tis appellatio usurpetur, stat illud Propheta firmissimum Psalm. 55.  
 quod etiam teste vel ipso non semel Platone, confirmatur: Non  
 Deus volens inquirarem tu es. Sed illud quoque verissimum est,  
 vt ex hoc ipso lobi exemplo pater, Deum etiam quæ suapte natura  
 mala sunt, & quibus offenditur decernere: non tamen quatenus  
 mala sunt, sed quatenus bonum etiam est vt mala sint, quibus &  
 malos iuste tandem plecit, & bonos vel castigat vel explorat. Sed  
 age ad rem redeamus. Dico hic nobis impurissimorum illorum spi-  
 rituum ingenium graphicè prorsus spectandum proponi, inexple-  
 bilem videlicet homines perdendi auditatem, qua nihil relinquit  
 intentatum, &, nisi Dei franco quam potentissime cohiceretur, vt  
 non immoritò cum lecone famelico perpetuò nos obseruante con-

conferatur i. Pet. 5. 8. vniuersum statim mundum perderet : mira in omnibus nocendi artibus ~~ταρσηγια~~, & cura in patrandis malis indefessa. Itaque nullam prorsus facultatum Iobi partem intactam relinquit , immo prorsus omnia illius disperdit , exceptis duntaxat iis quorum ut longe aptissimorum ad oppugnandum Iobum instrumentorum opera abuteretur : ipsius videlicet uxore : deinde seruulis aliquot istarum calamitatum nuntiis: præterea aliquot aliis ipsius domesticis , à quibus se derisum fuisse grauissime postea conquerentem illum audiemus : ipsius denique Iobi amicis , quibus nullos grauiores insectatores expertus est Iobus. Deinde quam callidè diem coniuio & hilaritati dicatum obseruat , vt tantò magis ex improviso Iobus feriatur? idque non uno semel ictu, sed repetitis , & certa quadam serie inflictis , ac mutuò sese consequentibus vulneribus ut totidem veluti mortibus vir sanctissimus afficiatur ? Præterea ut sibi persuadeat Iobus nihil hic sibi euenire ex illa mortalibus omnibus communisorte , sed sese velut ab ipso Deo , extra ordinem , ut ab hoste infensissimo oppugnari , & his tam acerbis stimulis tam grauiter saucius in desperatione & apertam blasphemiam ~~euere~~: non vtitur tantum Satan larrunculorum opera , sed cœlum & terram ipsam concutit. Denique acerbissimam illam tam repentina casu liberorum omnium orbitatem , in ultimum locum callidissime reiicit , cui tolerandæ longe maximæ calamitati prorsus imparem illum fore tot antea vulneribus prostratum confidebat. Non est igitur cur Iobum miretur in illis suis eiulatibus , accedentibus ad hæc omnia imprudentium amicorum iniquissimis calumniis exacerbatum , non eum semper modum quem oportuit tenuisse. Sed hoc potius admiratur , & in nostrum usum conuertamus , quod tanto impetu ad ipsum usque desperationis ac blasphemiarum limitem prouolutus , in ipso tamen huius veluti fossæ labro , diuina virtute suos nunquam deserente fretus , substiterit: ac tandem de Satana & scipio inuidia constantia superatis , quanto fuit vehementius oppugnatus , tanto gloriostorem ex hoc certamine victoriam reportarit. Hæc autem nobis in illo nostro capitali hoste consideranda tum hoc loco tum alibi passim in sacris literis proponuntur , non ut tanquam impares cum illo paciscamur ad mortem : nec etiam ut illum tanquam imbellem & imbecillum hostem aspernemur : sed ut quum nobis non propriè cum carne & sanguine negotium esse nouerimus: sed aduersus spirituales illas malitias , quæ sunt in sublimi , nec temere ab Apostolo , sicut etiam ex hac historia animaduertimus , principes aeris vocantur , Ephes. 2. 2. & 6. 12. omnibus illorum viribus & astutis spiritualem illam armaturam Dei , sedulè momentisque omnibus opponamus : idque in primis quum aliqua induciarum specie nobis blanditur , petita diminitus illa sancta constantia , qua fit ut neque rebus prosperis effercatur , nec aduersis deiciatur. Pudeat nos denique de nostræ vitæ curriculo pro nostræ vocatio-

vocationis ratione conficiendo minùs esse assiduè sollicitos, quām sit Satā ad malē agendum intentus, de nobis opprimendis assiduè laborans.

Vers. 14. Et venit nuntius ad Iobum qui ei diceret, Boues arabant, & asina pascebantur ad manus eorum, id est, ad dextram & sinistram illorū: nobis videlicet quietè sedētibus, & neq; procul absentibus, neque in alienos agros aberrantibus armentis: sed nobis sedulò ad opus nostrum intentis, & nihil minùs quām quod euenit expectantibus: quæ omnia ab hoc seruulo commemorantur, vt hanc calamitatem Iobus non accidisse seruorum suorum culpa, sed aliunde in se comparatam intelligeret: quæ circumstantia grauiorem hunc casum reddebat. Quòd si tunc quoque nobis maximè Satan imminet quām vigilamus & in opus nobis à Deo demandatum sedulò & solicetè incumbimus, quid fieri negligentibus & imparatis? Sit igitur ille nobis tum maximè suspectus quām abesse à nobis quām longissimè videtur: cuius rei triste quidem sed illustre exemplum nobis magnus Apostolus ille Petrus suppeditat, abnegato tunc demum Domino suo, quām de illo nunquam deserendo cogitaret, suis magis viribus fidens quām eius de qua admonitus fuerat infirmitatis libi conscientia.

Vers. 15. Et irruerunt Schabæi, & rapuit eos, & pueros percusserunt ore gladii, & euasi tantum ego solus (inquam) ego, ad (hoc) nuntiandum tibi.

Schabam hic accipe pro Sabæis Arabiæ populis Huffidi vici-nis ad Meridiem, sic vocatis à Scheba Cethuræ nepote, Genes. 22. 3. quorum fit etiam mentio Ezech. 27. 23. non autem à Seba filio Chuz Gen. 10. 7. cuius regio creditur fuisse Meroë in Aethiopia sub Ægypto, & cuius reginæ fit mentio 1. Reg. 10. 1. & Actorum 8. 27. Fuit autem ab omni ævo gens Arabum, vt & adhuc nunc est, latrociniiis infamis, vt non multum laborare Satanam oportuerit in illicet ad hoc scelus impellendis. Quinam autem Satan possit hominum animos impellere, an videlicet externis solis obiectis, aut visis extraordinariis ac nocturnis in somniis: an verò arcane etiam quoddam motu in animis nostris excitato, curiosis hominibus scrutandum relinquamus. Certè non temerè dicitur Diabolus in cor iudeæ ingressus: & mira est inter spiritualem animi nostri naturam & spiritus illos cognatio. Quum verò satis supérque constet quanta sit Satanæ in nobis ad quodvis malum impellendis potestas, quo-cunque tandem ille modo se se animis nostris insinuet, potius de illo repellendo, quām de illa quæstione laboremus. Quòd autem Hebræi tradunt hunc nuntium, & alios quorum postea fit mentio, fuisse dæmonas à Satana summissos, nulla nō leuissima quidem coniectura nütitur, & iater Rabbinicas fabulas est numerandum.

Vers. 16. Adhuc iste loquebatur & alius venit, dixitque Ignis Dei decidit è caelo & exarsit in oves, & in pueros & deuorauit ea, & euasi

*tantum solus ego ad hoc tibi renuntiandum.*

Hic magis ac magis se prodit illa Satanæ, capitalis hominum hostis, tum ad nocendum auditas, tum in arte nocendi veteratoria calliditas. Addit enim vulnus vulneri qui nunquam sibi in nocendo satisfacit, illud quoque malitiosè prospiciens non posse tam firmum athletam vñica plaga prosterni. Summa autem istud versutiæ est quod nec simul vulnerat, sed sigillatim ictus repetit nec inter ista inflictarum plagarum interualla, vel cantillum Iob spatii ad colligendum animum relinquit. Hinc autem etiam illud discamus, quanvis Dominus suos quidem quos perdere nunquam constituit, sic castiger plerunque, testibus omnium temporum exemplis, vt vel plagas non ingeminet, vel sic ictus repeatat, vt primo obito certamine, suos vclut tyrone, ad alia grauiora subeunda sensim assuefaciat, erga reprobos autem & iusto iudicio destinatos multa quoque tolerantia vtatur, admonente nos ea de re Apostolo Rom. 9. 22. non esse nihilominus istū sic agendi morē perpetuū, sicut ex ita Iobi exploratione liquet. Cōparemus igitur nos aduersus durissima criā quęq; & quidem in primis istud oportet eos meditari qui multas iam ex Satana victorias reportarunt: qualis fuit hic noster Iobus tum demum acerrimè oppugnatus quum tot iam victorias esset adeptus. Stat tamē illud perpetuū verum, non sincere Dominum vt, superatis quas ipse nobis largitur viribus, penitus optimamur. Discant verò Christiani etiam omnes huic impuro spiritui longè dissimiles, alieni prorsus esse ab omni nocendi cupiditate: iustum etiam iram temperare: clementes, mitentes, denique misericordes esse, & benignissimum illum patrem imitando, malum beneficiis rependere. Ceterū ostendit etiam hic locus impuros illos Spiritus non temerè ab Apostolo vocari aēris principes, sicuti suum illam Iouem horum dæmonum principem Græci & Latini multis propterea epithetis cognominarunt, *νεφελέως, οὐρανού, fulgoratorē, tonantē* vocantes: qui tamen vel minimum quiddam in cœlo vel in terra mouère nisi Deo concedente, non possint: Sed Dominum quidem illorum opera quoties ipsi libuit in huiusmodi excitandis tempestatibus vti, ipsos verò donec in abyssum mitrantur, in aēre & aliis mudi partibus versantes, & nulla re magis quam omni rerum confusione, & hominum prælertius exitio gaudentes, adde etiam omnium naturalium cauſarum ad excitandas omnes eius generis impressiones requisitorum summè peritos, quam facillimè & quam libentissimè Deo concedenti vel etiā imperanti, suam in his rebus operam præstare constat, sagarum etiam & Magorū omnis generis adhibito interuentu. Qua de re quum tam aperte, tam multis, tam certis & sacrarum litterarum testimoniis, & omnium seculorum apud omnes gentes hīt oriis constet, mirum est ac penè incredibile, adhuc inter Christianos, præsertim Magistratus ac Iudices, inueniri qui vana & fictitia hæc esse omnia existiment. Sed & illi grauem reprehensionem

nem merentur, qui, admonente nos Deo per aëreas istas impres-  
siones horrendas, de iusta sua in nos indignatione, & potentissi-  
mis illis ad elementa omnia, Deo iubente, commouenda Spiritibus  
aduersarii capiti nostro imminentibus, fortitudinis alicuius esse  
putant ad fulgetra & tonitrua non expauescere, repugnante pro-  
fecto ipsa rerum natura, ac ipso sensu communi, ac etiam expressa  
Sancti Spiritus auctoritate, qui tonitrua non temerè Vocis Dei  
appellatione dignatur. Quinam autem Satanæ fuerit concessum ut  
non tantum in pecudes, sed etiam in homines ipsos Iobi seruos v-  
que ad necem lœviter, dicemus, Deo faciente, in versiculum 18.

Vers. 17. Adhuc hic loquebatur, & alius venit qui dixit, Chaldaei  
posuerunt tria capita (id est, constituerunt tres acies cum suis duci-  
bus) & effuderunt se in camelos, & rapuerunt eos, & pueros (id est, ser-  
uos) percusserunt ore gladij, & euasi tantum ego, solus, (inquam) ego ad  
(hoc) indicandum tibi.

Rorsum nullum datur Iobo spatium ad sese prioribus duobus  
vulneribus patienter & moderatè ferendis comparandum. Deinde à  
minoribus calamitatibus astutè paulatim Satan ad grauiores pro-  
greditur, & ipsas etiam circumstantias variat, vt Iobus cœlitus, &  
ab omnibus terrarum patribus oppugnari sese cogite. Ceterum  
Chaldaeos initio, &c, vt ex hoc loco apparet, iis quibus hæc gesta  
sunt temporibus obscuram gentem fuisse constat, Assyriis obno-  
xiā, quos tandem oppreserunt. Fuerunt igitur & isti latrociniis  
deduci: quamquam, vt appareat, Sabæis illis Arabibus potentiores, vt  
in illis turmatim colligendis & ad inuadendos Iobi Camelos non  
diu fuerit Satanæ laborandum. Pudeat igitur homines verèpios  
minùs esse ad bene agendum sedulos quām sint scelerati ad quod-  
vis aggredendum scelos prompti & alacres. Neque nobis etiam  
debellatum esse Satanam persuadecamus uno & altero certamine  
defunctis, sed ad nouos potius & quidem grauiores insultus matu-  
rè nos subinde comparemus, & bellum proflus dœnovd'or cum hoc  
aduersario geramus.

Vers. 18. Adhuc iste loquebatur, & alius venit & dixit, Filij tui &  
filiatae edebant & bibebant vinum in domo fratris sui primogeniti.

Vers. 19. Et ecce ventus magnus venit a trans desertum, & impe-  
git in quatuor angulos domus qua cecidit super pueros, & mortui sunt, &  
euasi tantum ego, solus ego ad(hoc) renuntiandum tibi.

Quatenus & quomodo Satan hunc ventum excitare, conceden-  
te videlicet Domino, potuerit, paulò ante exposuimus in vers. 16.  
Fuit autem hæc plaga tantò ceteris prioribus grauior, quantò pa-  
tribus, præsertim piis, chariores sunt liberi quām ceteræ res om-  
nes: id ē que in ultimum locum à Satana dilata, vt Iobuin antea ve-  
luit ad terram prostratū, hoc veluti postremo vulnere penitus con-  
ficeret. Deinde nullam quoque circumstantiam prætermisit Satan  
in hoc facinore patrando, vnde acerbior fieret hæc calamitas. Inci-  
dit enim de repente & tum demum quum de nulla re minùs quām

de morte cogitaretur, neque id factum fuit casu quopiam in rebus humanis visitato, ac si videlicet ruinam antea minata fuisset dominus: sed velut Deo sua ipsius manu funditus ædes subvertente. Denique non unus duntaxat aut alter ex filiis occiditur, sed omnes vñâ & eâdem ruina opprimuntur. Immo nec filiabus etiam, nec seruis domesticis parcit Satã, vñico dñi axat excepto seruulo, cuius ministerio ad hæc omnia in ipsius lobi caput veluti conuertenda abutitur. Quo non igitur tempore, quo non loco nobis aduersus tam potentem simul & tam vñfrum aduersarium excubandum est? Sed interea triplex hic occurrit grauissima quæstio, vna an facultatum lobi nomine in quas Dominus potestatem Satanæ concesserat, liberi & serui ipsius comprehensi fuerint. Altera, si res ita se habet, quo tandem iure Deus in hac exploratione lobi, tot homines non alio loco quam bruta animantia videatur habuisse, quum patieret & sine discrimine sint omnes interfici. Tertia, quid sit de liberorum & seruorum lobi sic miserabiliter interfectorum salute statudum: ad quæ tria sic ordine respondere. Satana n̄ igitur dico quantum sceleratissimum in veritate ad fallēdos homines deprauanda calumniatorem, vnde & Diaboli appellationem nactus est, ramè rectè & ex iphius Dei sententia interpretatum fuisse illa ipsius permissionis verba, *Quicquid eius est in manu tua est: Deo alioqui non quam ipsi permisuro, ut vel tantillum quidpiam exequi posset præter suam concessionem.* Sed & communis omnium gentium iure tum seruos in dominorum, tum liberos in parentum bonis censos fuisse constat, adeò quidem ut domini in seruos habuerint vitæ ac necis potestatem initio huius tantæ potestatis, ut verissimile est, inde facto, quod prima seruitutis origo sit à belli iure profecta, quotiescunq; viætos interficeret, vel illorum vitæ, qua libuit condizione, parcere. Patribus autem vendere quoque filios suos licuisse, & quidem tertio apud Romanos, constat ex duodecim tabularum legibus: inde etiam orta emancipationis formula. Neque id fuisse apud ceteras gentes insitatum liquet ex iis quæ hac de re cauet Dominus Exod. 21. 7. ins illud minimè patribus in populo suo adimens, sed dominorum duntaxat potestatem, quod ad Hebraeorum liberos ita venundatos attinet, moderans. Quinetiam post Dominorum ius in seruos, & patrum in liberos, multis legibus temperatum, Constantinus Christianus Imperator patribus, fame extrema vrgente concedit, certis tamen adhibitis de redēptione conditionibus, liberoram venditionem l. 2. Cod. de patrib. qui lib. distraxerunt. Esto id vero dicet quispiam. At istud planè durum, & ab iphius Dei summa æquitate penitus remotum videtur, ad probandam vñius lobi patientiam, tot homines Satanæ non aliter quam bestiacum greges & armenta ad necem usque intentâdam exponere, qui nullus alioqui culpæ admissæ arguantur: quod certè hominum nemo nisi detestanda & plusquam immani fœtia fecerit. His autem obiectio-

objectioni sunt hæc duo certissima opponenda. Vnū, nullis finibus aut limitibus circumscriptam esse Dei conditoris summam & propriè d'lxpalo enl' potestatem: alterum, hanc Dei voluntatem per quam de quibusuis rebus suo vnius arbitrio decernit, non aliunde quam à se se vna pendere: id ēque semper iustum esse, quum hæc ipsa eius & potestas & voluntas, sit omnium rectè decretorum & factorum norma & regula. Non enim oportet priùs aliquid in se & sui natura iustum esse quam id Deus velit (quia tunc Dens ex rerum ipsarum natura quidpiam decernendi vel non decernendi cōsilium sumeret) sed ē contrario sunt iusta Dei decreta easil àque omnia, quoniam Deo placent. Homines autem contra in deliberando & decernendo normam sibi habent diuinitus præscriptam discriminis inter iustum & iniustū: quam si lequantur, tunc demū iuste decernere & agere dicuntur, sicut meritò iniusti censentur si ab ea vel tantillum siue κατὰ τὸ ὑπόστοιν, siue κατὰ τὸ ὑπέρ τοῦ recesserint. Ista vox igitur, *Sit proratione voluntas*, planè quidem detestanda est, si hominibus attribuatur: de Deo verò iustissimè & religiosissimè dicitur. Consiliorum autem & decretorum ac factorum diuinorum ratio & causa interdum quidem nobis manifesta est, vt quum hominum peccata siue in suis castigat ipsorum bono, siue in suis hostibus ipsorum exitio, vlciscitur: interdum verò occulta est, nunquam tamen iniusta: & quia captum ipsorum etiam Angelorum superat, adoranda semper est, curiosius scrutanda nunquā, ne ab ipsius Mæestate absorbeamur. Sufficiat igitur nobis statuere iustè Deo Opt. Max. licuisse tum filiorum tum servorum Iobi vita ad Satanam sua ipsius crudelitate debellandum, ad suam in conseruandis suis potentiam declarandam cum summa bonitate coniunctam: ad proponendum Ecclesię singularis patientia exemplum: ad patefaciendam deniq; nominis sui in isto de Satana trivio gloriā pro arbitrio suo vti. Nam his etiam rationibus nituntor perpetua illa sub cruce cruentissima quidem certamina, sed quæ totidem sint tandem gloriosissima trophya, de quibus scribens Petrus 1. Pet. 317. non dicit vel temerè vel Deo iniuto obnoxiam esse Satanę & tyrannorum rabiei Ecclesiam, sed prestat, inquit, vos bene quam male agendo affligi si ita vellet Dei voluntas. Et Ecclesia Psalm. 44. misera illa sua, in hac vita, conditione exposita, hæc omnia, inquit, nobis euenerunt, quanvis tui non simus obliti, neque secundum tuum violauerimus. Iam verò quod ad istorum salutem vel exitium attinet, quos Satan non sine iusta Dei concessione sic interfecit, non est cur illos propterea cum Dei indignatione sublatos ē vita, & æterno exitio addictos patemus. Imm̄d suadet charitas vt sic cum illis bene actum esse existimemus, ac præsertim cum iphus Iobi liberis tam sanctè & religiosè apud tantum patrem educatis. Absit enim etiam vt quanvis diluvium accersuerit sibi mundos infinitis peccatis, tamē singulos qui in aquis illis submersi interierant, æterna morte multatos credamus: vel sexaginta tria illa hominum millia quibus Deus Daui-

dem propter numeratum populum castigavit, vel quoties flagellis pestis, famis, aut bellorum Deus mundi contumaciā vlciscitur, vel perire quotquot sic intereunt, vel temere & furiosè, vt homines impotentes solent, Deum hos & illos exitialiter ferire nobis persuadeamus.

Verf. 20. *Tunc surrexit Iob, & lacerauit pallium suum, & rotundit caput suum, & procidit in terram & incurvant se.* Haec tenus quid Satanæ in Iobum concesserit Deus, & quid in Iobum Satan ministerorum suorum opera patrabit, audiuiimus: Nuc autem qualem hic fæse Iobus & quantum tot & tam grauibus simul acceptis vulneribus præstiterit audiamus. Age verò primùm sigillatim ista expendamus: deinde à quo affectu sint profecta consideremus. Primùm ergo dicitur Iobus *Surrexisse*, quæ vox apud Hebræos de cuiusuis noui operis aggræssione dicitur, hic verò quieti illi & tranquillitatí opponitur qua prius fruebatur Iobus, sine stans, sine domi sedens tristissimos illos nuntios acceperit. Laceratio verò pallij, & eomæ deroncio & in terram prostratio vñtrata fuerunt apud illas gentes luctus signa, quæ postea Dominus in populo suo moderatus est Leuit. 19. 27. & Deut. 14. 1. Qua de re præcipiuntur quoque multa cap. Ecclesiastici 22. Sed quod hic postremo loco dicitur, hanc Iobi prostrationem in terram ostendit non ab impatientia, sed è contrario ab animo lugente quidem, sed tamen religiosè & renenter fæse Dei voluntati subiiciente fuisse profectam, quod ipsa Iobi verba postea declarant. Vox enim illa procidendi, non quamvis corporis inclinationem, sed eam demum quæ adorationi vel ciuili vel religiosæ conuenit propriè declarat. Et hæc quidem de rebus ipsiis dicta sunt. Nunc verò ista non impatientiæ animi, quod facilè suspicari quispiam posset, sed moderatissimi, & cum summa pietate coniunctissimi luctus signa fuisse, & quæ tela Satan in Iobum fuerat iacula, ab isto fortissimo athleta non tantum quæ oportuit animi magnitudine excepta fidei vmbone impenetrabili, sed etiam in ipsum iaculatorem retorta fuisse ostendamus. Primùm ergo memiserimus Iobum non ad primum vel alterum vel tertium, sed ad quartum deum nuntium, placidè tribus prioribus auditis, & quidem non ut consternatum, sed ut Dei manu experrectum, & de sua testanda pietate velut auris vellicatione commonefactum surrexisse: minimè etiam ut, quod pertinaciter Deo reluctantibus solent, velut erecto obfirmatoque gestu corporis, Deo resisteret: sed contraria surrectione ad humiliam adorationē fæse componeret. Ipsius autem, ut prudenter Cyprianus hos omnes insultus paucis expendit, cui simul irrogata rei familiaris iactura fuerat, orbitas numerosæ & charissimæ fobolis inficta, diuité in censu, ditioré in liberis, tam repente nec ut dominū nec ut patrē, in tam iusto luctu, neq; in Deū neq; in homines, neq; in fæse peccasse quis nō miretur? Qua de re pleniū in proximū versiculū dicemus. Hoc autē suo luctu tantum abest ut peccarit Iobus, ut contraria si prorsus *ānathē* fæse

præ-

præbuisset, maximè fuerit reprehendendus. Nota enim est illa in-  
 stissima Dei conquestio, Ierem. 5.3. Percutis eos, sed non dolēt, con-  
 sumis eos, renuunt erudiri: reddunt faciem suam obfirmatiorem  
 petra, renuunt conuerti. Et siue propter peccata castigemur, siue  
 sic à Domino exploretur fides nostra, & benefacientes affligamur  
 1. Petri 2.20. obseruandum semper est illud eiusdem Petri 1. Pet. 5.6.  
 Submitite vos ipsos potenti manui Dei, ut vos in tempore extol-  
 lat: Quò etiam nos Iacobus, Iac. 5.11. hoc ipso proposito Iobi exem-  
 ple reuocat. Itaque affectus ipsos semel damnantes Stoici in illo  
 suo sapiente quem rectè tradit alicubi Cicero nunquam reipsa ex-  
 cituisse, in naturam ipsam & in Deum ipsius auctorem grauissimè  
 peccarunt. Et rectissimè Gregorius in hunc locum testatur hoc suo  
 luctu Iobum tantum absuisse à peccato, ut contra ex vtraque Legis  
 diuinæ tabula egerit quod hic egit, suum & in Deum ipsum amo-  
 rem ipsius voluntati acquiescendo, & in liberos paternum, & in  
 seruos herilem amorem suum simul restificatum. Rectius igitur  
 multò Peripatetici affectus ab ipsa natura insitos & quibus sub bla-  
 tis homines in truncos & stipites transformarentur, non tollen-  
 dos, sed ad mediocritatem reuocandos esse docuerunt. Sed & iudicem  
 præclarè multa de ista mediocritate tradiderunt: sed ita vi hic quo-  
 que manca sit multis modis humana omnis sapientia. Nam neque  
 præcipios naturales affectus satis cognoverunt; neq; à natura ipsa  
 insitos ab iis quæ eiusdem corruptio inuenit satis probè discreue-  
 runt, illius videlicet mali fontem & originem penitus ignorantes;  
 ac multò minus scientes quo remedio vitia illa corriganter, & na-  
 tura in integratatem suam restituatur. Hæc enim omnia solum Dei  
 verbum docet, & solus ille Dei Spiritus in eorum cordibus efficit,  
 qui non sunt amplius sub peccato sed sub gratia. Rom. 6.14. Gal. 5.  
 18. Affectus autem naturales ac præsertim σοργας φυσιας non esse  
 επιλογη, sed κατα τη peccata, quatenus videlicet carnis contagionem  
 sapiunt, docent etiam sanctissimorum virorum exempla nobis ad  
 imitandum proposita in Iacobo, Iosepho, Davide, Ieremias, & ceteris  
 eiusmodi: vnde illud Pauli, Quis vestrum offenditur, & ego non  
 vror? 2. Cor. 11.29. Denique peccator fuerit Christus oportet, quod  
 absit ut coiquam in mentem veniat, si intimo misericordiae sensu  
 tangi, & super mortuis ipsis illachrymari inter vitiosas animi ægri-  
 tudines recensere cum Stoicis potius quam cum Christianis opor-  
 tet. Quem autem modum vetus illa purior Ecclesia in sanctorum  
 exequiis & mortuorum luctu tenuerint, ex ipsorum scrip-  
 tis apparet: qua de re egregiè multa nec tamen omnia satis purè do-  
 cet Chrysostomus Homil. in Iohann. 8.4. & 6. in epist. ad Thessalon. I-  
 dem Homilia 42. in priorem ad Corinth. Iob, inquit, fleuit ille qui-  
 dem, sed quod sat is erat patrem liberorum amantem, & mortuos  
 cutantem. Neque tamen nobis audiendus est idem ille pater, pre-  
 ces pro mortuis adiungens illorum exequiis, quod non modò nul-  
 lo neque Dei verbo, neque purioris illius Ecclesiae testimonio con-

firmatur, verum etiam ceterissima ratione ipsorummet patrum  
adversitate tradentium auctoritate conuellitur: qua de re alius erit  
in tertium huius libri caput dicendi locus.

Vers. 21. Et dixit, Nudus egressus sum ex utero matris mea, &  
nudus reuertar illic. Ichona dedi, & Ichona abstulit. Sic nomen Ichona  
benedictum.

Ex his demum Iobi verbis intelligimus unde profecta sit & quod  
spectat ista vestium laceratio, capitis deconsilio, & ad terram profl-  
tratio, nempe non ex impatiētia, nedū ex desperatione, qualē suum  
Achillem in Patrocli morte ~~rapere~~ rapit Homerus describit: sed  
ex flagellarum grauissimo quidem sed tamen adeò moderato sensu,  
vt, pro rō boniorum tā repente amissorum deploratione, non mo-  
dō seipsum soletur melioris vitæ spe, quod postea crescentibus cala-  
mitatibus pleniū etiam expressit. verum etiam in gratiarum actio-  
nem erumpat: tantūm abfuit vt, quod futurum sperabat ipsius ca-  
lumniator, in Deum veluti flagellatorem iniquum insurgat: quæ  
virtutes singulæ planè admirabiles & diuinæ, sigillatim sunt nobis  
expendenda. Paucis enim voculis constat hæc oratio, sed expres-  
sissimis, quamuis sit verisimile sumnam potius orationis Iobi sic  
fuisse paucis ab huius historiæ scriptore comprehensam, quam sin-  
gula ipsius verba perscripta.

Et dixit. Non fuit igitur ita perculsus, quamvis tot grauissimis,  
& quadruplici impetu summo repetitis ictibus perculsus, vt q[uod]asi  
lapis obmutuerit Nabal's illius exemplo. 1. Sam. 25. 37. & vt de Nie-  
be fabulantur poëtae. Nec etiam, quod idem poetæ de Hecuba  
commisicunt in tabidum canem est conuersus: sed corpore qui-  
dem prostratus, mente vero à suis tot damnis tantaque & tam re-  
pentina rerum omnium commutatione, auersus, in Deum respi-  
ciens, fidei ac spei alterius vitæ plenus sancte loqui cœpit. Denique  
tunc quoque factus est potentia diuinæ cum summa iustitia, cuius  
tamen causam ipse ignorabat coniunctissimæ, apud familiam suam  
præco & verè Episcopus, quem id minimè expectaret Satan.

Nudus sum egressus ex utero matris. Primum hic nobis est de  
nuditate agendum, quæ nobis duplex in scripturis proponitur: una  
exterior, quæ partim hoc corpus, partim externa omnia huius vitæ  
commodat & spicit: altera interior, quæ verorum animi bonorum  
priuationem declarat. De hac autem specie posteriore Iobum hic  
non agere declarat tota ipsius oratio, ex qua intelligitur nunquam  
illum fuisse veris illis animi bonis, fide videlicet & æternæ vitæ  
spe, & asserendæ gloriæ Dei zelo locupletiorem, quam quem ad  
summam reliquorum omnium bonorum inopiam esset redactus.  
De priore ergo illa nuditatis specie nunc agamus, quam conside-  
rans Moses Genes. 2. 25. Erant autem, inquit, ambo illi nudi, Adam &  
oxore eius, neque pudebat eos huius nuditatis. Neque id verò mirum,  
quam ante ingressum peccati in mundum nihil esset in villa opifi-  
cij mundi patre pudendum: & in homine præsertim, à capite ad  
calcem,

calcem, præstantissima quædam humani totius corporis, & singu-  
 latum eius partium pulchritudo ac decus sapientiam opificis com-  
 mendarent: nec dum etiam cœperat illa elementorum intempe-  
 ries quæ vestitus subsidium vllum requireret. Hallucinantur ergo  
 magnopere qui nostros illos primos parentes existimant non id-  
 circa erubuisse quod nihil esset in ipsorum corporibus puden-  
 dum, sed quod infantium nunc nascentium instar, essent in statu, ut  
 ipsi loquuntur innocentia, id est non multum à bestiis different,  
 nondū intellectu turpis & honesti discrimine: quæ sententia sacræ  
 illi historia ex diametro repugnat. Quanvis autem si Adamus noa  
 peccasset, nascituti proculdubio nudit tunc quoque fuerint homi-  
 nes: de illa tamen nuditate Iobus hic non agit, sed de altera quæ  
 peccatum est consecuta, & cum iis in commodis coniuncta, quibus  
 nisi, variis modis, misericors ille hominis conditor, prospiceret qui  
 primos illos homines pellibus vestiuit, iampridem humanum ge-  
 nus interisset. Et hanc quidem nuditatis conditionem meritò pro-  
 phani quoque scriptores inter maximas miserias recensent, sed  
 horrenda cum impietate, & detestandis blasphemis, ut qui hanc  
 nuditatem, (cuius authorem falsò alij quidem naturam ipsam, alij  
 Deum statuunt) ab illa superiori non discernant quam ignorarūt.  
 & quæ fuit non miseria, sed maximum hominis ornamentum: Nec  
 etiā illi animaduertunt ingratì quām multis commodis haec mi-  
 seriam Deus, in ipso iudicio misericors, temperarit. Qua dñe age-  
 dum loquentem ipsum Plinium in septimi libri naturalis historiæ  
 procœmio audiamus. *Ante omnia, inquit, natura nouerat unum homi-*  
*nem animantium cunctorum alienis velat opibus: ceteris varie tegumen-*  
*ta tribuit: testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pen-*  
*nas, squamas, vellera: Truncos etiam arborisque cortice, interdum gemi-*  
*no, a frigoribus & calore tutata est. Hominem tantum nudum, & in nuda*  
*natu, natali die abiicit. Hæc ille: cui posset fortasse condonari origi-*  
*nis illius mali ignoratio nisi hæc ipsa esset iustè humanæ naturæ in-*  
*ficta pena: sed illi profecto ignosci non potest, quod etiam si natu-*  
*ram Dei loco substituat, tamen quum in eam quam vult omnium*  
*terrum esse conditricem, cadere non possit vel odium, vel inuidia in-*  
*id opus quod nondum extaret, nec etiā vlla in operibus suis con-*  
*dendis adiuuaria: suspicari & coniicere certè debuit, neque homi-*  
*nem, neque ea quæ hominis causa sunt condita, in eo statu per-*  
*mansiisse, quem initio à conditore acceperunt. Deinde quum multò*  
*sit quiddam præstantius tot aduersus quantum quis miseram hanc*  
*nuditatē parata suo arbitrio feligere ex tot rebus creatis remedia*  
*quot sunt singulis illis ad hominis vsum attributa vel amēta, quam*  
*aliquo vnicō, velis nolis, contentū esse oportere: hæc certè nuditas*  
*quānus à peccato, qualis nūc est, profecta, miseriiores homines cæte-*  
*ris animantib' nō reddit. Qua de te si singulas res illas compellatēt*  
*impij isti homines, & illæ respondere interrogantibus poslent, ro-*  
*tidē testimoniis hæc istorū prophenorū impietas coargueretur. Vt*

autem ad Iobum nostrum redeamus, hæc ipsa est nuditatis species de qua hic agitur: sed longius tamen trahenda. Nec enim hic nudus opponitur duntaxat vestito, sed etiā ita significatur omnium illarum opum spoliatio quibus abundas Iobus, idque cum optima fatma & existimatione, inter omnes illos populos eminebat. Propor namus autem nobis quid agere in minimis etiam interdum dannis homines, paucissimis exceptis, consueverint, & tum demum quanta hæc fuerit animi magnitudo cognoscemus. Nudus, inquit, exiui ex utero matris, ac si diceret, Video me quidē non simpliciter ex locupletissimo repente ad aliquam inopiam, sed ad egestatē redactum. Immo quæ tam tēpētē mihi diuinitus potius quām humanitus accidisse video, pauculorum etiam eorum quæ mihi supervent spoliationem interminantur. Esto id verò. Mihi tamen noui propriè nihil hic accedit, sed tum potius quum Deus ille meus conditor nascentem operiret, & tandem tot tantisque hu ius vitæ commodis bearet, tum ipse mihi nouum aliquid tribuit: quo nunc ipse me spolians, quæcunque tandem causa huc illum impulerit, ad priuam illam & veterem conditionem me renovat, quod cur æquo animo non ferrem? Sumus oīnes certè ea conditione nati, cuius admonerī me operā p̄tētū fuit, ne mihi tantæ diuitiæ obliuione in mortalitatis meæ & melioris illius vitæ inducerent. Hæc igitur ille, non cum Deo expostulans, non præteritam felicitatem requirens, non denique de futura deinceps in hac vita conditione sua laborans: sed præterita boni consu lens, & in illa ipsa mutatione proficiens: atque adeo lucem ex ipsis tenebris eliciens. Itaque rectè quidam testatus est, Iobum ar mittentem opes sine dolore, ostendisse satis supēr que se illas non possedisse cum eo amore, à quo nos passim Spiritus Sanctus in sacris literis dehortatur.

*Nudus reuertar illuc.* Num verò in uterum matris? Nequaquam profectò nisi fortassis usum fuisse Iobum dicamus à tāvānā dōt in matris nomine, à quo terra, magna nostra mater etiā à prophanicis scriptoribus cognominatur, habita nimirum nostræ illius è terra primæ creationis ratione. Sed præstat relationum hoc accipere de non expressio antecedente, vt satis per se noto, sicut annotat Dominus Mercerus ex illo loco Ecclesiastis 3. 17. *Illic omnia iudicabit Dominus*, nempe in iudicio illo extremo, sive futuro seculo, quod tamen antea non fuerat expressum. I. L L V C ergo idem declarat atque in sepulchrum, ex illis Dei verbis, Pulus es & in paluerem reuertiās. vnde illud Ecclesiastis 5. 15. *Quemadmodum egredius est ex utero matris suæ, nudus reuertitur, & illud Apostoli*, Nihil intulimus in mundum, nec efferre quidquam possumus. I. Tim. 6. grauitate simul & falsè alicubi iridente Chrysostomo ineptissimas illas quorundam in vestiendis ipsis cadaueribus impensas. Ceterum, etiam si Iobum hic dicamus de sui integrum restitutio spem abiecisse quum sic loqueretur; causa tamen

tamen non est cur propterea desperabundi hominis hanc vocem esse existimemos. Dicit enim istud etiam communis sensus piis quoque hominibus, ut ex praesenti rerum suorum statu miserissimo, de se quoddam hanc vitam attinet auctum esse parent: non tamen praeceps & necessariò, sed duntaxat quod ad humana consilia attrinet, & ita ut nihil istud ad æternæ salutis spem pertineat. Immò etiam in grauissimis temptationibus quoties ipsi sancti desperationis forces pulsantur nunquam tamen in eo statu ~~et extorquentes~~, testibus non uno in loco psalmis, & Ezechiae præfatum illa lugubri deploratione. Sed potius omnino existimo ita restatum esse lobum, non tam quid putaret de se fuisse apud Deum decretum, sicut dicebat David, Mūratio hæc dextræ excelsi, Psalm. 77. II. quām sc̄ paratissimum esse extremam etiam nuditatem ad mortem usque patienter tolerare, siquidem ita Deo visum esset: nedum ut de ista bonorum omnium spoliatione cum ipso vellet expostulare.

*Iehoua dedit, & Iehoua abstulit.* Quoniam videri in speciem possit mera hæc esse blasphemia, qua lobus non modò mutationē Deo tribuat, verum etiam Deum statuat eorum omnium scelerum auctorem quæ tum à Satana, tum à latronibus illis Sabæis & Chaldaeis patrata fuerant. Idcirco primum omnium de hoc lobi dicto probandum nobis est, illud non modò impie dictum non fuisse, verum etiam piè pro rorsus ac religiosè cogitatum & pronuntiatum fuisse. Deinde istius pronuntiati quis & quantus sit usus ostendam. Status autem huins questionis est, non An Deus auctor sit ullius mali, (quod sanè fateor ne cogitari quidem, quod & ipse Plato disertè testatur, sine horrenda blasphemia posse): sed, An vere dici possit, ac etiam debeat, aliquam atque adeò summam ac præcipuam Dei tum voluntatem tum actionem semper iustam, iis etiam omnibus & singulis interuenire quæ iniustissimè atque adeò sceleratissimè in mundo geruntur: quod ego religiosissimum esse statuo, nonnulli cōtra ut in Deum ipsum contumeliosissimum detestantur. Aio igitur hæc in primis esse ponenda de quibus ambigere nemo possit, quin, non modò innumerabilibus diuini verbi testimoniis, verum etiam ipsa de Deo recta & communi ~~conscientia~~, ipsiusque conscientia testimonio coarguatur. Sunt autem ista.

1. Deum rerum omnium & singularum existentiarum sine ulla exceptione sicut conditorem, sic etiam administratorem & gubernatorem esse.

2. Deo igitur neque invito & reluctante (nec enim alioqui esset omnipotens) neque ignorantē & illud non curante: (nec enim esset alioqui rectus mundi gubernator) geri & evenire quidquam posse.

3. Non tantum igitur evanta rerum, sed etiam causas omnes secundas à Deo, non certè nesciente sive otioso, multò minus coacte & ab invito, sed à deceernente ac volente moueri, regi, & ad fines suos perducī.

4. Omnia igitur & singula decernente, volente & operante  
Deo fieri.

5. Dei ut summè iustissimè & sapientis voluntatē non esse vel ex  
statu rerum quas condidit, (sunt enim nunc ex iis quædam bona, quædam mala) vel causarum quibus vtitur, qualitate (quædā enim  
ex illis benè, quædam malè, quædam nec benè nec malè, quædam  
denique nullo modo se mouent) æstimandam, sed contrà iustè sem-  
per Deum velle, mouere & agere quæcunque vult, mouet & agit,  
id est omnia ac singula. Hæc qui negat Deum negat. Immo inquires,  
sicut tollitur omne inter bene & malè cogitata, dicta, vel gesta discri-  
men, atque adeò Deus ipse, quæ summa fuerit blasphemia auctor  
omnis mali statuitur. Absit. Consecutionis autem istius falsitas  
rursum certis istis axiomatibus refellitur.

1. Et si Deus nullis mediis causis ad res omnes quas condidit  
vniuersaliter & ligillatim regendas, & ad fines sibi propositos per-  
ducendas, non magis indiget quæm materia aut vestibus & ferrari-  
mentis egebat, quum illas ex nihilo & solo imperio suo conderet:  
nihilominus tamen causas quot & quales voluit condidit & dispo-  
suit, quibus non necessitate, sicuti somniarunt Stoici, sed libertimè  
ad quidquid sibi liber, quandounque & quomodocunque liber  
peragendum motis vtitur.

2. Sunt autem hæc instrumenta in triplici differentia. Quædā  
enim sunt merè ~~tabiliud~~, vt inanimatae res omnes, sic vel ab ipso  
Deo ~~creaturæ~~, vel à causis aliis secundis motæ, vt selenullo intrinseco  
motu impellant. Quædam sic extrinsecus mouentur, vt simul sese  
etiam ipsa mouant naturali quodam appetitu, sed citra intelligenti-  
tæ & rationis vnam præsentem: cuiusmodi sunt bestiæ omnes,  
quarum diversos gradus nihil opus est nunc attingere, & quæ pro-  
priea propriè nec bene agere, nec peccare dicuntur. Quædam de-  
nique sic mouentur ~~extra se~~, vt quum, intelligentia & ratione  
prædicta sint, sint etiam ipsorum aliquæ agendi partes vnde pro-  
prium ipsorum opus nascitur.

3. Haec res postremæ huius speciei, nempe Angelī & Homines,  
bonè fuerūt omnes & singulæ ab initio conditæ, sed integritate per-  
se mutabili prædictæ quia solus Deus est per se immutabiliter bonus.

4. Hinc factum (idque non absque Dei iustè semper agentis  
& ita suæ tum iusta securitate seueritati, tum benenignissimæ decla-  
randæ in Christo misericordiæ aditum patefacientis decreto) vt in  
intrinseco illo suo spontaneo motu, ab illa integritate, Angelō-  
rum quidem pars humanaum autem vniuersum genus in primo il-  
lo Adamo, exciderit.

5. Lapsus iste nec Angelos illos nec homines abolevit, sed na-  
turam duntaxat eorum deprauavit: vique adeò tamen vt intrinse-  
cus omnis illorum motus, manens qualis nunc est, nunquam nisi  
malè sese moueat, ac proinde nunquam verè bonum, sed vitiosum  
semper opus edat.

6. Hoc

6. Hoc vitium in perditis illis Angelis nec correxit vñquam, nec corrigit Deus, vt ex sacris literis appetat: emendauit autem semper, emendat & emendabit in iis quos, pro immensa sua misericordia, ex vniuerso hominum genere, in Christo & per Christum saluti destinauit, qui sic à Spiritu Sancto illustrati in intellectu & in voluntate, efficaciter sanctificati, sicut bene à Deo mouentur, sic etiam bene & ipsi se se mouent, vt bonum & rectum sit tum Dei ipsos mouentis, tum ipsorum se se non secundum carnem, sed secundum spiritum mouentium opus.

7. Ut autem Dei per illa se se quoque mouentia instrumenta semper iustum opus, ab altero seu viciolo seu recto instrumentorum se se quoque mouentium motu & opere distinguatur, trahita est à veteribus patribus inter Dei Actionem & eiusdem Permissionem distinctio, tam vera & necessaria, si recte & ex illorum sensu intelligatur, quām falsa & in blasphemiam nos pertrahens, ut est à Sophistis depravata.

8. Qui enim ne Deus alioqui malorum auctor censeatur, hanc permissionem à Dei voluntate separant qua res omnes sine vlla exceptione, sunt id quod sunt: & præsciri tantum contendunt, non autem decerni vident quae agunt mala & peccantia instrumenta, primā omnium opera Dei semper iusta, quibuscumque tandem vratur instrumentis, cum instrumentorum sele malè mouentium operibus, inscientissimè confundunt. Dein longè maximam partem omnium eorum qæ in mundo geruntur Dei ordinationi & decreto eximunt, quum infinitè plura malè quām benē gerantur: ac proinde à uox patropulu illam diuinam vim à qua non tantum certe rerum eventa, sed etiam ipsa & motus earum omnes dependent, in artissimas angustias redigunt. Præterea piis vexatis à Satana & ipsius instrumentis, potissimum hanc consolationem eripiunt, qua sit vt ex ipsius verbo, persoasi simus Satanam & eius ministros non modò nihil reipla efficere, sed ne aggredi quidem aduersum nos, nisi sic Deo volente & decernente posse. Denique manifestè impium esse dico existimare quidquam vel minimum existere vel fieri vñquam potuisse vel posse, quām quod Deus ipse non certe nesciens vel otiosus, nec inuitus, sed ab æterno volunt.

9. Itaq; quod ad Deū ipsum & propriū eius opus attiner, benē semper vult, decernit, gerit, quicquid ipse per quemcunq; quādōcunque & quomodocunq; in mūdo gerit, id est quicquid in mundo fit & evenit, & generaliter & sigillatim. Instrumentoru autem mediorū se se quoque mouentium respectu, quamuis bene semper quoque illa moueat: proprietatem agere &, vt efficaciū Græci loquuntur, ἐπηρέως dicitur in bonis, id est benē se se mouentibus instrumentis, putā in bonis spiritibus & in suis regeneratis: bonos videlicet motus in illis creans, & creatos souens, & ad rectum effectum perducens, ita vt boni quoque instrumentorum se se mo-

uentium operis gloria ad illum ut iverè illius auctorem & ueritatem propriè sit referenda. Ad malaverd instrumenta & malè sese mouentia quid attineret, nempe ad damnones & omnes non regeneratos, vel regeneratos, secundum carnem tamen peccantes: nequaquam in illis agere dicitur, ut qui prauitatem nullam ipsis indat vel insipiet, sed quā in illis reperit non compescendo, illis permittat & potestatem faciat secundum illam malè sese mouendi & illius in malum actum exerendæ: justè id tamen ipse semper illorum prauitate vrens, nempe vel malos vel iustus iudex, inter se commitens: vel ut benignus pater suos vel per mala quoque instrumenta castigans: vel ad nominis sui gloriam & suorum comivodum qui buscunque libuit modis exercens.

Et hæc quidem inficiari præfractæ certè fuerit impudentia quæ tum ab ipsa naturali diuinitatis notitia refellitur, tum singulis penè sacrarum literarum paginis coarguitur, & ab Augustino præsertim ex professo plurius scriptis, ac præsertim libro 3. contra Iulianum capite 5. diligentissime refutatur: quibus postitis quid hac de re tota sit statuendum satis superque liquere existimo. Ne quis tamen queri possit me non ex verbo Dei sed rationibus humanis agere, quærum impropriè vel cum blasphemia dicatur Deus ipse Iosephum misisse in Ægyptum, Genes. 45. excitasse Pharaonem ut in eo seipsum indurante potentiam suam demonstraret. Exod. 4. 21. tradidisse Davidis uxores filio ipsius Absalom. 2. Samuel 12. 11. incitasse cor Davidis ad numerandum populum 2. Sam. 24. 1. præcepisse Semeo ut Davidi malediceret. 2. 16. 10. Sic profectò Medos & Persas Dominus vocat sanctificatos suos & iræ suæ instrumenta. Esa. 10. 5. & 13. 6. & Babyloniorum rex securi & serre comparatur. Esa. 10. 15. sic defectionem 10. tribum vocat opus suum. 2. Paral. 11. 4. Sic affliguntur pijs ex Dei voluntate ac prædestinatione. Et ut præstantissimum omnium diuinorum operum, nostri videlicet redemptionē in medium adferamus, sic illa prima verità Apostolica Ecclesia tota, minimè certè blasphema, sed ipso Spiritu S. impulsore locuta, clamat Herodem & Pilatum, quanuis nihil tale sanè cogitantes, idè conuenisse ut exequerentur quæ manus illa Domini & consilium definiterat ut fierent. Ex quibus omnibus testimoniis & penè infinitis aliis tum vanissima illa inter Dei Permissionem, & voluntatem, inter Decretum & Actionem repugnantia refellitur: tum instissima semper illa Dei opera à malis malorum instrumentorum operibus sanctè discernuntur. Deū autem peccatis quoque vlcisci peccata, idque efficacissima sua ut iustissimi judicis, voluntate & potentia: & quemadmodum scirissime dicit Augustinus, quanuis mala semper mala sint, bonum tamen esse ut sint etiam & mala quæ iuste postea puniat & vlciscatur Deus, indè manifestè liquet quid dare dicitur Reges in ira sua Nehem. 9. 37. & Iobi huius nostri. 34. 30. miscere Spiritum erroris. Esa. 19. 14. corda indurare & inuertere, oculos excæcare, vino vertiginis inebriare

briare Exod. 4. & 7. & 9. & 10. & 11. & 14. Deut. 2. 29. Ios. 11. 20. & 1.  
Sam. 2. 25. & 2. Paralip. 22. 7. & Psal. 105. 25. Sic etiam lui contemptum  
vicitur Deus, tradens in reprobum sensum. Rom. 1. 28. mittens  
erroris efficaciam ut credatur mendacio 2. Thess. 2. 11. Ezech. 14. 9.  
& Spiritus etiam malos immittēs addito nocendi precepto, & data  
ad fallendum efficacitate 1. Reg. 22. 22. & 2. Paralip. 18. 21. Denique ut  
tandem ad Iobum nostrum accedam, num vel inuitus vel otiosus  
Deus Satanæ malè & sceleratè se ipsum mouenti respondit, Quic-  
quid eius est in manu tua est? Num blasphemans Iobus ad Deum  
transfert Satanæ vel Sabæorum & Chaldeorum scelera, ac non po-  
tiū ad Deum ipsum assurgens nihil illis in se licuisse agnoscit, &  
diuinum opus, in quo, licet eius causas ignoraret, torus acquiescit, à  
Satanæ & illorum grassatorum opere distinguit? Et de hoc quidem  
plus satis.

Antequād autem progrediamur, occurrit hic nobis nodus non  
parui momenti, & diligenter explicandus, *Iehova dedit*, inquit Io-  
bus, & *Iehova abstulit*. Num, quælo mirabilis, mutato, vt homines  
solent, siue iustā aliquā ob causam, siue levitate in homines ami-  
cissimos animo? Nullaenī prorsus mutatione in Dei voluntatem  
cadit, ac proinde quidquid eiusmodi in scripturis dicitur per ar-  
tefactū ab ēterno intelligendū est: & quamvis sēpissimē homines  
non nisi sua culpa, & p̄sēctim quodd patientia Dei abutantur, pu-  
blicē ac priuatim horrendas mutationes experiantur, tenendum  
tamen illud est nullam prorsus cadere, vel levissimam mutationēm  
in Dei voluntatem & decreta, sed potius quęcunque mutantur (ni-  
hil autem est penitus firmum, & semper idem sub cœlo, vt inquit  
sapiens) idcirco mutari, quoniam immutabile decretum sit à Deo  
de rebus omnibus ac singulis quandoque libuit mutandis. Tan-  
tum abest igitur vt Deus res mutando mutetur, vt contrā muta-  
bilis censendus fyerit, nisi mutarentur ea quorum mutationem ab  
ēterno & immutabilitate d̄crevit. Est autem unus ipse prorsus &  
à seipso immutabilis, beatis illis Spiritibus qui ab origine sua nō  
descierunt, istud immutabilitatis beneficium, Dei conditoris vir-  
tuti, suos tueri ac conseruanti acceptum ferentibus: & suam e-  
tiam immutabilitatē debitur illi in vita ēterna electis, postquā id  
quod est per spēm in ipsis inchoatū, re ipsa fuerit in illis impletum.  
Mundus autem iste, mundanāque omnia perpetuae rotationi ob-  
noxia sunt, vt copiosissimē docet Ecclesiastes. Sed in his obseruan-  
dum est multiplex discrimē. Quædam enim sic mutantur, vt tamen  
salua maneat, nempe cœli & elementa, extremo illo die non nisi  
ad renovationem mutāda, qua de re tamen sobriè & intus Dei ver-  
bum sentiendam est: quædam verò prorsus intereunt nunquam  
restituenda, cuiusmodi sunt omnia omnium specierum individua,  
sigillatim nunc, prout Deo visum est, nascentia & intereuntia, &  
vniuersaliter tandem die illo diuinitus definito abolenda: exceptis  
dūtaxat hominibus, quorum animam quidem, quod ad substan-

tiam ipsam attinet, dissoluere mors nequit, sed qualitatem bonam & integrum in prauam & corruptam mutat originis peccatum, quod vocamus: corpus autem eadem illa mors non nisi ad tempus dissoluit, vel beata illa immortalitate donandum, vel infelicitissima perpetuitate multitudine. Quod autem de mundo & mundanis rebus ipsis omnibus existentibus dixi, de mundana quoque omni administratione sentiendum est, & iis omnibus, quæ ad terrenam hanc vnicarum vitam spectant. Quinam enim & quorsum expletis huius mundi & terrena vita periodis illa perdurarent?

Spiritualis autem & Ecclesiastica sacri ministerij politia minimè quidē in mundanatum illarum rerum numero cœlatur, quas non tantum inconstantes, verū etiam proflus euanidas esse diximus: sed nihilominus mira quoque vicissitudini obnoxia, non quidem suapte natura, sed Deo suos vel sic probante ut docetur Psalm. 44. 18. vel iustis suis iudiciis castigante. Hinc sit igitur ut externæ illæ sacri ministerij notæ, quanvis in vera Ecclesia sunt essentiales, tamen aliquatenus alterentur, intercumpanuntur, intercidantur, usque adeò nonnunquam ut Deo potius quam hominibus sint conspicuæ, 1. Reg. 19. 18. Iud. 17. 6. & alias læpe, hoc quoque extremis iis temporibus, in qua nos incidimus, futurum prædicente Christo Luc. 18. 8. Paulo. 2. Thess. 2. 3. Ioanne denique Apocalyp. 12. 14. Nonquam tamen penitus illas aboleri hoc durante mundo posse certum est, tum experientia tum etiam ratione. Semper enim emerit & emerget ex mediis quibuscumque fluctibus Ecclesia, potentissimi: & clementissimi Seruatoris sui manu velut ex ipsis quoque inferis, illam sursum attollente. Deinde, deleta penitus fide, deleri quoque Ecclesiam, id est Christi inhisce terris regnum, necesse foret. Fides autem est ex auditu verbi prædicati. Stabit igitur semper stante mundo, aliqua verbi salufici annuntiatio, interdum eminenſ & publice quibusvis illam intueri volentibus conspicuæ: interdum rara, & per pastorum negligentiam vel improbitatem, & Spiritu mendacijs veritatis sedem occupante, priuata duntaxat inter oues dispersas, qualē Ecclesiam veterē inuenit Samuel 1. Sam. 3. 1. & Christus ipse Matth. 9. 36. Adimplero vero electorum numero Apocalyp. 7. 11. & ad triumphum adueniente Christo, omnis illa spiritualis administratio colligēdis electis destinata, proculdubio tunc cessabit, filio pacatum regnum Deo patri tradentē, ut diuinissimè docet Apostolus 1. Corinth. 15. Ad æternum & vero quod attinet id est spiritualia & Æterna illa dona de quibus copiosissimè differit Apostolus 1. Corinth. 12. quædam ex illis sunt temporaria, quædam perpetua. Et ex istis rursus alia, ad extreum usque vita spatiū duntaxat perdurantia, alia in æternum in iis quibus concessa sunt persistura. Temporaria sunt quæ sunt nonnullis quoque reprobis cum electis communia, ut ex Bileami exemplo liquet: & ex eo quod multi sunt vocati pauci electi. Matth. 22. 14. Imò ne ij quidem

Quidem semper sunt efficaciter vocati per quos Dominus electos  
vocat. Matth. 7. 22. Sic ablatum fuit Sauli Prophetæ donum, sic e-  
gregia plurima dona Iudas ille proditor miserabiliter effudit: sic,  
deficiunt non nulli à fide illa πονηρίᾳ, quos dæmonium illud ab  
ipsis egressum cum aliis septem nequioribus inuadit Matth. 12. 45.  
Sic hodie nulos experitur Ecclesia grauiores hostes iis de quibus  
agit Apostolus Act. 20. 29. Sed & in ipsis piis dona illa interdum in-  
terciduntur, & quodammodo ad tempus evanescunt Spiritum  
Sanctū contrastantibus, ut tristissimum Davidis adulteri & prodi-  
toris homicidæ exemplum docet, non temere suos toties de per-  
petuis excubiis admonente Domino: iridemque suum Timoth.  
Apostolo admonente ne donum Dei in se languescere patiatur,  
sed ut illud potius studeat ἀναποτελεῖν. Denique illud quoque scien-  
tia est, non pauca ex illis πειρατικοῖς, veluti linguarum, sanatio-  
num, prædictionum particularium dona, ad tempus duntaxat,  
nempe ad miraculis quoque confirmandam Apostolicam doctri-  
nam primæ illi Ecclesiæ Christianæ collata, paulatim quoque de-  
fuisse. Matth. 16. 20. Quorsum enim hæc sigilla tabulis toties iam per-  
illa miracula confirmatis nunc apponere entur? Perpetua verò πνευ-  
ματικा & penitus immota sunt quæ Deus exequendo æterno salu-  
tis in recipienda suo tempore eligendis & vocandis decreto subordina-  
uit, quæ propterea Paulus ἀμεταμέλητα vocat. Rom. 11. 29. ab eodem  
paucis connumerata. Rom. 8. 30. Talis est igitur efficax vocatio, ve-  
ram fidem, spem, & charitatem in electis, quo momento Deo vi-  
sum est, dignens, vnde iustificatio ex fide, & tandem glorificatio  
consequitur. Sunt enim ista perpetuo inter se nexus inseparabili  
coniuncta: quod nisi statuamus ut certissimum, nunquam con-  
scientia nostra pacificabitur. Nam alioqui necessariò consequetur  
vel Deum esse mutabilem, qui possit velle perdere quem voluit ser-  
uatum: vel fidei conditio Euangelicæ promissioni adiuncta, non ab  
immutabili Dei decreto, sed à voluntate hominis pendebit: quorū  
illud blasphemum est: istud merè Pelagianum: ut infinita penè de  
firmitate salutis electorum testimonia in Propheticis & Apostoli-  
cis scriptis disertissimè expressa prætermittam. Sunt tamen duo in-  
tabilitas tum in singulibus electis personis, tum in Ecclesia  
propriè sic dicta, id est vniuerso electorum & verè credentiura  
omnium cœtu: non autem in his vel illis particularibus Eccle-  
siis, gentibus, populis, urbibus vel familiis: neque in Ecclesia vñ-  
que adeò catholicè sive vniuersaliter considerata, ut etiam hypo-  
critas reprobos cum verè credentibus & electis comprehendat.  
Sic enim excidisse Iudeorum gentem videmus ab Euangelijs & sa-  
lutis fœdere, nunc ad Gentes translato: & Paulum non temere i-  
dem iudicium gentibus iam pridem minatum esse docet totius  
penè orbis terrarū ad Mahumetismū defectio, & Romana illa me-  
retrix non desinens tot Reges & populos inebriare: nullo interim

ex Iudeis vel gentibus electo & verè credente, pereunte vel vñquam perituro. Deinde sciendum & illud est, ex præcipuis illis ~~oritur~~  
~~paratus~~ donis, quædam cum hac creditum vita desinere: quædam hic tantum inchoari, quæ in æterna demum vita perficiantur, Prioris generis sunt vera etiam illa fides, & spes: non quodd natura sint fluxæ & euanida: sed quoniam impletis & ad finem suum productis omnibus iis quæ in hac vita, partim ut iam præterita, partim ut futura crediderint & sperauerint electi, nullus iam erit Fidei nec Spei locus. Cognitio autem Dei, qua nonnisi ex parte illum hic viuentes cognoscimus, reali ipsius prælentia & conspectu, in futuro seculo, perficietur: & charitas qua Deum ipsum & fratres frigide admodum in hac vita diligimus, carne aduersus Spiritum adhuc pugnante, ibi nos cum Deo ipso & beatis omnibus inexplicabili quodam modo coadunabit, 1. Cor. 13. 8. & deinceps: perfectè tunc demum implenda illa Christi ad mortem pro nobis properantis petitione, quæ com memoratur Iohann. 17. 22. & deinceps. Et de his quidem hactenus à me dictum esto aduersus perniciosissimos illorum errores, tum qui fucatam illam suam meretricem pro vera virginie Eccl. ha nobis obtrudere non contenti, & eo abutentes quod aboleri nequit Ecclesia, semper illam splendere suo illo personato vultu comminiscuntur ut se ipsos & alios fallant: tum qui Spiritum Sanctum & veram quoque fidem sæpenumero non tantum quodd ad vim suam exerendam intercludi (quod sanè fatemur, & quotidiana exempla demonstrant) verum etiam penitus amitti & extingui falsissimè docent, sic ipsimet euertentes verū illud Fidei & Spei nostræ in grauissimis præsertim temptationibus fundamentum. Ut autem ad Iobum nostrum regrediamur, quum, ut ex proximè sequenti membro apparet, hæc loquutus sit Iobus fidei & spei plenus, ut qui torus ad Deum laudandum feratur: consequitur hæc illum intelligere de externis illis duntaxat bonis quæ prophani quoque Philosophi ab internis distinxerūt: & Epictetus in illo aureolo suo Enchiridio penes nos non esse testatus, multa inde deducit argumenta honorum istorum iacturæ patienter ferendæ. Sed istorum certè nemo veram istam Iobi sapientiam nouit. Nam alij fortunæ hæc bona vocant, quasi fortuitæ accedant aut recedant: alij in illorum natura fluxa & caduca subsistunt: & Epictetus ad stuporem potius & ~~avagatio~~ quæ ad veram & certa firmaque ratione suffultam patientiam animos hominum instruit. Iobus autem noster quum naturali tum spirituali & ~~væpœum~~ Dei notitia instructus, quarum illa inanes Philosophorum maxima ex parte ~~malorum~~ omnes conuincit ab Apostolo notatos Rom. 1. 21. ista vero alteram natu virtutio obscuratam illustrat ac perficit, ad Deum unum sese totum conuertens, singulare nobis accersendæ & obtainendæ in omnibus istiusmodi calamitatibus patientia exempli præbet. Oriens enim in istis temptationibus impatientia, alios quidem ad blasphemiam, alijs ad vindictam, alios ad varias turbulentorum affectuum species,

cies, alios denique ad desperationis scopulum abripit, quoniam cogitationes omnes suas desigunt aut in res ipsas amissas, quarum amissione, prout in illas affecti fuerunt, commouentur in eos à quibus se læsos existimant. Contra verò qui rectè ad Dei prouidentiam assurgunt, &c, exemplo Iobi, Deum agnoscunt rerum omnium, etiam singularium iustissimum & sapientissimum gubernatorem, illi demum tutissimum & pacatissimum portum inueniunt, in quo quantumuisasperis tempestatisbus iactati conquiescant. Non omnes tamen ita ut lobum erigit & tranquillat ista de Deo cogitatio, quam videmus sceleratissimis etiam in eiusmodi casibus in mentē venire. Itaque accurata distinctione hic opus est. Quemadmodum enim ei qui furto res aliquas amisit non facit est furtū auctorem inuenisse, præsertim si talem illum esse deprehenderit ut res suas ab illo nec vi nec iure vñquam extorquere possit: sic non quisquis in calamitates eiusmodi prolapsus cum Deo sibi negotium esse cogitat, inde solatium percipit: sed is demum qui de Deo rectè simul & sanctè cogitat. Daigitur mihi quempiam ex diuine pauperem repente factum, vel aliqua etiam multò leuiore calamitate commotum, cui vñica Dei vltoris potētia in mentem veniat, quid aliud ex ipso audieris quam vel meras aduersus ipsum Deum blasphemias, vel horrendas penitus desperantis vociferationes? Da etiā mihi qui sibi suorū scelerum conscius quibus hanc calamitatem sese promeritum agnoscat, cum Dei potentia iustum eius iudicium nec quidquam amplius coniungat: mirum nī Saulis vel Iudee proditoris exemplum imitetur, vel rotam vitam in summa miseria transfigat: scriptura propterea conscientiam peccati vulnera lauaciam descensum quandam ad inferos appellante. Samuel. 2. 6. Quid ergo? Neimpe, qui pœnas sibi peccatorum suorum infligi iudicat, quod statuere plerunque debemus, is quem Dei potentiae & severitatis vero & intimo sensu coniungat necesse est immensa ipsius bonitatis ac misericordiae non modò notitiam illam quam ratio ipsa dicit ex infinitis testimonis sursum ac deorsum sparsis & in quorumuis hominum oculos incurribus, verū etiam <sup>ad popiz</sup> illam quam vnicus Spiritus Sanctus docet in Ecclesiæ schola, testimonium reddens singolorum electorum spiritui, quod Deus sit clementissimus illorum pater, cor illis tribuens peccatorum suorum sensu attritum, sed vicissim ipsius misericordia per fidem apprehensa miris modis sensim exhilaratum, ac plenè tandem pacificatum. Quid si quantumuis se maximum esse peccatorem agnoscat, tamen iustis coniecturis motus sentiat sese non tamen propter suum vllum peccatum affligi, sed aut diuinitus explorari, ad patientiam exerceri, aut ad illustrādām Dei gloriam sic vocari, tum sanè ad Deum ipsum rectè respiciens, non modò consolationis, sed etiam incenarrabilis cuiusdam gaudij materiam & argumentum statim inuenit. Quid enim vir bonus potius appetat, quam probanda sua probitatis occasionem sibi præberi? Quis stu-

diosus scholasticus magis optet quām ut ex rudi alphabetario tandem eruditus perpetua exercitatione reddatur? Quid fuerit bene valenti optatus quām ut τροφυλακτοῦ remediis superuenturos alioqui morbos euitet? Quid denique ardentius exoptet strenuus miles, & Imperatoris sui augendæ gloriæ verè studiosus, quām ut vel ipso sanguine suo profuso victoriam & triumphum illi acquirat? In quo certaminis Christiani genere tenendum illud est speciale, nullos gloriosius vincere quām qui in hac pugna mortem, non certè mortem, sed quæ sit ad veram & sempiternam vitam aditus oppertunt. Sed quid si ut hīc nostro Iobo vñscēnit, in istiusmodi calamitatibus, neque nos pungat conscientia, neque tam duriter probare nos Deus velle nobis videatur, fluctuet denique mens, quorsum id fiat penitus incerta? Tum sanè omnibus omissis dialogis hæc laus est Deo tribuenda, quòd licet nobis occultis decausis Deus sic de nobis statuat, nihil tamen quibuscumque instrumentis aduersum nos vtatur, nisi sapientissimè & rectissimè agat, ut pote qui sit ipsamet Sapientia, & ipsummet Iustus simmò, quantumcumque repugnet caro, nihil nisi suorum bono & maximo commodo decernat, vel factum velit: ut pote benignissimus suorū in Christo pater ac redemptor, ut loquentem hunc nostrum fortissimum athletā in ipsa huius αγώνος Ἐμπάρδ audiemus. Sed age, ut quanta hæc animi magnitudo fuerit pleniùs etiam perspiciamus, agendum propius consideremus quot & quanta monstra Iobus hac diuinæ prouidentiæ veluti clava confecerit. Rarissima profectò semper fuerunt eorum exempla, qui vel opibus destituti illas totis viribus non appetant, vel qui nativè facti diuites, spem in illis suā non reponant: meritò clamante Christo, perdifficile esse ut diuites in regnum cœlorum ingrediantur, & Paulo avaritiam non semel idolatriam appellante. At noster Iobus infra coactus aduersorum importunitate πειστολογίων cap. 29. manifestè ostendit se illas non possedisse cum amore, ut inquit Gregorius, quas absque villo dolore, & quidem simul omnes, & tam repente amavit. En igitur non tantum πειστολογίav, sed etiam ipsam φιλαρηπίav, sc̄uissimum utrumque monstrum, debellatas. Excidisse illum postea omnibus quibus antea eminebat honoribus ac dignitatibus ex ipso met intelligemus. Nusquam tamen illa requirit. En igitur rursus aliud duplex monstrum sc̄uissimum & multiceps, φιλοτιμίav videlicet & πειστολογίav sub Iobi pedibus prostratas. Acquiescit enim totus in unius Dei tum dantis tum auferentis volūtate. Quid autē illi caro fuggerere facultatibus omnibus suis tam repente spoliato potuit, quām summam, diffidentiam, atque adeò aditum ad desperationē vel pessima quæque consilia illi patefacere? Contrà verò ne hoc quidem illi videtur in mentem venisse, assueto nimis in Dei prouidentia spem omnem suam reponere. En igitur insignem de huius vitæ amore præpostero, & illa omnium penè scelerum magistra, diffidentia videlicet, simul profligatis triumphum. Quām potuit

potuit autem illum procul extra omnis moderationis fines abriperi decem liberorum vnico tam repentinō & penē inaudito casu amissio? Atqui ne verbo quidem istud attingit Iobus, quanuis minime ἀσοργός, vt ex diligentissima illorum educatione, apparet. Enigitur σοφὴν φυσικήν, id est paternum affectum omnium ardenterissimum, & in quo videmus tam multos, Davide quoque ipso in primis teste, virtutis etiam specie in alterutram partem peccantes, vera mediocritate temperata. Verè igitur magna, ingens, sublimis fuit hæc Iobi patientia, quam nobis donet Deus, vt aliquatenus saltem imitetur.

*Sit nomen Iehova benedictum.* Vide hic verò vt noster Iobus de Satana triumphet, tot de quibus diximus victorias hoc nouo trophæo cumulans. Non enim illi satis est tot damna æquo animo tulisse, nec in Deum ullo modo insurrexisse: verū etiam quasi quot maximis damnis, tot acceptis beneficiis, Deo vt beneficentissimo gratias agit. Docebat enim cum Spiritus, imposito carni silentio, patrem illum cœlestem, filii suis, ex quorum numero se vnum esse re ipsa didicerat, ne velle quidem posse sine malè consulere: ac proinde quicquid ipsius manu charis illis suis mittitur, quum illum bono tandem cedat, non modò non esse inter mala recensendum, sed etiam inter beneficia numerandum. Nomine verò Dei Deum ipsum intelligi in sacris istis libris notum est, idque non sine emphasi, nempe vt ad veram & perfectam εὐχαριστίαν nouerimus non tantum cordis fidem, sed etiam oris confessionem requiri.

22. *In hoc toto non peccauit Iob, neque tribuit insultum, (id est absurdum & indignum quidquam) Deo.*

Quum verum sit de toto Iobi superiori sermone hoc Spiritus S. testimonium, temerè & frustrè nonnulli, quod suprà pluribus ostendimus, ad illam suam voluntatis & permissionis falsam repugnantiam refugiunt, vt locutionem hanc, Deus abstulit arbitrio suo emolliant. Habemus autem hoc loco præterea veram blasphemiam definitionem, quam ad prioris tabula violationem restringitur: scilicet videlicet illud gravissimum significans, quo fit vt ipse Deo, conuiciandi animo, vel quod ipsius naturæ intimè proprium est ipsi detrahatur, vel quod est ab ipsius natura penitus remotum ipsi tribuatur: quæ definitio nobis deinceps ad lobum in asperioribus illis sequuturis certaminibus à blasphemia absoluendum prodierit. Nō est igitur blasphemus habendus quisquis blasphemia dicit: sicut aliud est, teste Cicerone, Mendacem esse, quam Mendaciū dicere. Oportet enim blasphemandi & voluntatem & studium accedere, quod Moses nominis Dei expressione. Leuit. 24. 16. & per Manum excelsam, Num. 15 30. significavit. Sed & teste ipso Christo, Matth. 12. 31. non vñus est huius peccati gradus, qua de re alius erit dicendi locus. Quod autem Græcus interpres & vulgata editio Latina priori huius versiculi membro adiiciunt, In labiis suis, deumptum meritò videtur ex 10. sequentis capitatis veris sculo, & mihi

placet Mercerj nostri sententia, qui prius membrum ad animum, posterius ad os ipsum refert, ut significetur Iobum, nec animo cogitasse, nec ore effudisse quidquam Deo & opere & indignum: Satan sic intus & foris superato.

## C A P V T I I .

Vers. 1. *Et fuit dies quadam, & venerunt filii Dei ut starent apud Iehouam, & venit etiam Satan in medio eorum (id est inter eos) ut staret apud Iehouam.*

Quæ superiore capite generaliter diximus de diuina prouidentia, sic nobis per ἀνθρωποντάθεαν representata nihil attinet repertere. Quum tamē vitum fuerit Spiritui Sancto eadem hoc loco inculcare, hinc satis intelligi potest nos admoneri quād sit nobis necessariō de Dei prouidentia in grauissimis præsertim temptationibus cogitandum: ut, siue castigemur ip̄si, non hæreamus in ipsis flagellis quibus vtitur Dominus, sed cum Deo nobis negotium esse reputantes, cohibito vltionis spiritu, exemplo Dauidis 2. Sam. 16.10. & 11. humiliemur sub Dei potentis manu. 1. Pet. 5.6. & siue sic Deus nos exploret, sicut hic Iobo accidit, Iobi constantiā, ipsius & patientiam imitemur: siue denique propter sanctum ipsius nomen affligamur, non modo non frangamur animis, sed in nostrum ἀγαθὸν respicientes, gratias etiam illi agamus, quod nobis sit datum non tantū credere, sed etiam pati pro ipsius nomine Philip. 1.29. quæ consolationes omnes ex prouidentiæ diuinæ sensu dependent. Quod autem antea diximus DIEI (& quidem CIVIS DAM) appellationem (additur enim ἡ hagedigha in textu) non ad ipsum Dei de singularissimis etiam rebus decretum (quod ab æterno est, id ēque tempus omne antecedit) sed ad ipsius decreti satisfactionem & executionem spectat, cui certos terminos immortis Deus præfixit: quod est etiam atque etiam obseruandum, ut non tantū temerè nihil nobis evenire nouerimus, sed etiam sciamus iis demū momētis, quæ Deus itidem ab æterno præfixit, singula quæ Deus ab æterno decreuit, incipere, progredi & desinere, siue prospera, siue aduersa: ut neq; bona expectantes defatigemur, neq; mala tolerantes, per impatienciam peccemus, vel, impiorum more, de quibus agit Apostolus 2. Pet. 3. 9. quod diutius differtur nunquam euenturum somniemus: sed ut in sapientissima & iustissima illius voluntate acquiescamus, in cuius unius potestate sitæ sunt temporum omnium opportunitates. Denique quod in hunc conuentum rursus Satan se listit, sic duo nobis demonstrat: vnum, non esse statim piis excepta fortiter vna tempestate tranquillitatem expectandam, quos potius oportet, uno vel pluribus exceptis ictibus, ad duriora quæq; se se cōparare, si Deo sic visum erit: Alterum ne tum quidem quum Deus habenas Satanæ & ipsius ministris laxat, illos vel tantillum mandati sui fines nequire prætergredi, sed

di, sed etiam illum peracta tentatione teneri iudicio illius fese sistere à quo mandatum accepit. Et hoc illud est quod modò dixi, decretorum diuinorum executionem definitis demum temporibus non tantùm incipere, vt antea vidimus: sed etiam progredi, vt hic videmus: ac, tandem vt infà videbimus cap. 38, desinere, eius nru qui tentari suos nunquam sinit supra ipsorum vires. 1. Corint. 10.13. neque nos vñquam sic premi patitur vt opprimamur. 2. Corinth. 4.8.

Ver. 2. *Dixitque Iehoua ad Satanam, Vnde venis? Et respondit Satan Iehoua, A circumeunda & per agranda terra.*

Ver. 3. *Dixitque Iehoua ad Satanam, Posuisti-ne cor tuū ad seruū meū Iobū, quod non (sit) sicut ipse, (similis ei) in terra, vir integer & rectus, & timens Deum & recedens à malo, ut qui adhuc retineat integritatem suam? Tu vero incitasti me cum eo, (id est aduersus eum) vt sorberem eum immersio?*

*Vnde venis?* Graphicè nobis híc describitur ex hac interrogacione cum Satanæ responso comparata, quod sit impuri Spiritus & eorum quibus dominatur ingenium: nempe peruicacissimum, vel ad apertè contra conscientiam neganda, vel saltem impudentissimè tum apud Deum ipsum, tum apud homines dissimulanda vera. Sic olim idem hic Satan in serpente mulierem compellans, Scilicet, inquit, quod vobis dixerit Deus non comedetis ex omni arbore, quam tamen id optimè sciret veterator. Sic Saul sua ipsius confessione conuictus pergit tamen Dauidem vt rebellem & regno insidiante persequi. Sic Iudas à Domino suo filio Dei toties & tam apertè detectus, in proditione persistit. Et hoc certè veneno Satan humanū genus infecit, vt appareat ex tristissimis etiā sanctorum alioqui hominum exemplis. Sic enim Sara fese negavit risisse, Genes. 18.15. sed eiusmodi sanctorum lapsus, et si virtiosi sunt, tamen non ab odio Dei & scelerata mente, sed à præpostero metu, aut alia infirmitate proficiuntur: ideoque reprehendi se & corrigi sancti patientur, vt ex Petri quoque exemplo liquet. Discimus igitur veritatem semper amare quam spiritu veritatis donati simus, & mendacium omne ac mendacij patrē detestati: atque adeo ne hoc quidē expectemus vt Deus apud suū tribunal nos sistat, sicut híc Satanæ factum est, & Dauidi quoque accidit 2. Sam. 12.13. sed Dauidis eiusdem aliud rectius exemplum secuti, peccata nostra vltro & ingenuè profiteamur & condemnemus, tum apud Deum in primis vt Psalm. 32.5. tum etiam apud proximum ex Christi mandato. Matth. 3.23. & 18.15. apud vniuersam denique Ecclesiā, si sit opus, Act. 19.19.

*Posuisti-ne cor tuū, &c.* Iisdem verbis vsus etiam erat Dominus in alteris illis comitiis. Sed in hac repetitione sarcasmus est & reprehensio acerrima, ac si dixisset Deus, Non te pudet Satan perinde respondere ac si oblitus essem quid tibi in superiore conuentu concesserim? & apud me dissimulare quod ego quidem sim rex, tu vero mendacissimus calumniator deprehensus? Perges igit-

tur tandem esset ui similiſ & desperatè ſceleratus , quum Iobi integritye in tot modis ab te oppugnatam labefactare non potueris. Hinc autem colligendum nobis est pios in grauiflimis etiam & ſeuiffimiſ tentationibus , quamuis videantur diuinitus quaſi Satanæ & mandi arbitrio & ſenitiae expositi , tamen non abſente , ſed præſente , & inſpectore Deo , eoque minime otioso , ſed intus vires & animum ſuis ſubministrante pugnare , vnde illud Apoſtoli , Omnia poſſum in eo qui me corroborat Philip. 4.2. & quod de deponita apud iustum iudicem corona eſtatur 2. Timoth. 4.8.

*Tu verò me incitasti (ut certarē) cum eo, ad eum deglutiendum immerito.* Sensus eſt , quum talis ac tantus sit Iobus , tamen per te non ſteſtit quominus calumniiſ tuis perſuafus , eū , vt res ipſa oſtēdit immeſerentem ſemel totum perderem. Quæritur autem quomodo non quidem Satanæ , perpetuo piorum accuſatori , ſed ipſi Deo conueniat iſta de ſeipſo teſtari. Num enim recte dixerimus Deum , ſiue miſericordia ſiue ſeuereitate utratur , aliunde quām à ſeipſo impelli ? Et quinam in Iobum immeſerentem poſtulatu Satanæ Deum ſequiſſe dixerimus ? De priore diſſicultate ſic reſpondeo. Nullum vñquam habuit Deus ſibi adiunctum conſiliarium ad quidquam decernendum : immo proprie loquendo , ne à ſeipſo quidem ad hoc vel illud decernendum mouetur aut impellitur hominum more , ſed totus in ſeſe ab æterno immitotus eſt : itidemque ab æterno in ſeſe & à ſeſe voluit & decreuit , quicquid decreuit & voluit. Sed ſicut tempora , ſic etiā cauſas ſecundas exequendis illis decretis ſuis æternis coſtituit. Sic Genes. 4.10. clamore ſanguinis Habelis comotum ſe dicit Dominus ad poenās de Caño ſumendas. Idem de Sodomitārum & Gomorrhaeorum ſceleribus narratur Genes. 18. 20. Contrà verò ſuorum gemiſibus ſe impulſum narrat ad eos liberandos Exod. 3.7. Sic per vnici illius noſtri Mediatoris , interceſſionem nobis reconciliatus , nos quotidie exaudit & tuetur. Sic etiā ſe piffiſimè piorum precibus , poenās , improbiſ etiam debitas , diſſert , aut etiam mitigate , vt ex plurimiſ paſſim exempliſ liquet. Sic reliſcentibus parcit. Itaque nihil impedit quominus quod ad cauſas medias æternis ſuis decretis exequendis ſubſtratas , & ſuo de- dum tempore extantes attinet , dicatur Deus , & ad miſericor- diam ſuam exercendā , & ad iusta iudicia ſua exequenda , ſuo quodā modo moueri. Sed ingens hic eſt diſcriben considerandum. Quoties enim vel reliſcentibus parcit , vel officium facientibus ſuis benedicit , haec ipſius beneficentia non eſt vlli vel vlliſ reliſcen- tiae , vel bonorum operum vel etiam fidei intrinſecē dignitati , vel vlli merito , ſed vnicæ ipſius bonitati in ſolidum accepta ferenda , quoniam ab eodem etiā vniico illo fonte tum reliſcentia , tum fides , tum omnes fidei fructus emanant. Quum autem de peccato- rum penit agitur , tum veram illorū causam ~~ερωκαταρχητικων~~ in ſeipſis querant & inueniant peccatores oportet.

Posteriorem autem nodum ſic ſoluo. Non dicit Deus ſibi à Sa- tanæ

tana fuisse persuasum, ut innocentem Iobum perderet, sed hoc tentasse Satanam ab ipso suis calumniis aduersus illum innocentem impetrare. Neutrum autem in Deum cadit, nempe ut quemadmodum suorum precibus electi se sinit, sic etiam Satanæ vel impiorum postulatis aliquid, nisi fortasse in ipsorum perniciem, tribuat, ut in hac Iobi historia apparet: ne tum quidem quum vel prorsus vel aliquatenus, concedit ut fiat quod impij postulant: nempe non quod illis velit assentiri, aut gratificari, sed quod ita facere per ipsos decreuerit in rectum finem, quod illi malo consilio & conatu postulant, ut plurimis exemplis probatur. Sic est igitur accipiens quod in Iobā Deus peteti Satanæ, & iam antea permisit, & deinceps permettit, seruum suum probans, non autem, ut Satanæ optabat, absorbens: atque adeò de Satana per seruum suum triumphatus, nedum ut in eius gratiam Iobum innocentem perditum voluerit, quod sine horrenda blasphemia Deo tribui non potest.

Vers. 4. *Et respondit Satan Iehouæ, & dixit, Pellem pro pelle, & quidquid est viro (id est quidquid habet quispiā) dabit pro anima sua.*

Quod conuictus tam aperte Satā audet Deo respondeare, ostēdit quātōpere quoquis scelere delectetur impurissimus ille Spiritus, unde sit ut quum nemo facile abiiciat id in quo sibi præcipue placet, male agēdo nunquā defatigetur, ac proinde nec per infirmitatem dici possit peccare, nec vñquā de emēdatione cogitet. Ad hoc Satanę ingenī proximē accedunt quos Scriptura vocare solet ἀμαρτωλοί, id est quasi peccandi quandā artē exercentes, quorū cor si ad extremū fuerit αμαρτανόν, idē illos certè exitiū manet atq; ipsū Satanā. At nos contrā, si verè Dei filij sumus, et si nullus est omnis peccati experts, tamen Spiritu quem accepimus frēti, caueamus in primis ne boni odio peccemus, quod verè Satanicum est. Quod si per infirmitatem peccauimus, cor verè contritum à Deo nobis donatum ipsi offeramus, nedum ut ab ipso castigati responsemus.

*Pelle pro pelle.* Dubiū nō est quin proverbialis sit hēc loquēdi formula, sed cuius sentētia & applicatio obscura mihi quidē videtur. Nam quod plerisque videtur hic esse sensus, tam charam esse unicus suam ipsius vitam, ut cute aliena sit paratus suam redimere, id est si incurrat mortis periculum, sit paratus quosvis alios substituere interficiendos, quasi ad filiorum Iobi interitum respiciat Satan, mihi quidem non placet, quoniam quod tarissimum est vix præbiturum fuisse videretur occasionem proverbiali dicto. Quid si enim potius Iobus verè φιλάθευος, ipsius etiam mortis periculo fese paratus fuisset pro filiis exponere, si Deo sic visū esset? Certè, si hēc esset huius loci sententia, addendum fuerat affixū, pro pelle sua, si cut in altero membro exprimitur. Nec mihi etiam satisfaciunt qui huc istud referunt, quod homines nō recusent alicuius membra sui iactura reliquum suum corpus in vita conseruare: quæ interpretabantur remorior eriam quam altera illa videretur. Sic enim decresceret oratio, quia plus est sua ipsius corporis parte, quam facul-

tibus omnibus suis vitam redimere. Puto igitur ita significare Satanam , nihil adhuc per pessum Iobum nisi in ipsis bonis , quod damnum tam sit quibusvis hominibus visitatum , vt s̄epe damnum vnum vlt̄o subeant pro altero vitando. Hæc enim bona eiusmodi esse ut recuperari possint : & etiam interdum damnum aliquod euadere lucrosum : qua ratione Themistocles ille quum in patria pulsus esset , & multo ampliores facultates à Rege Persarum accepisset , dicere consueverat , se fuisse peritiorum nisi periisset. Itaque Pellis nomine , prouerbialiter externa bona intelligemus quibus videlicet homo veluti tegitur , non quod sint ipsius hominis pars : quorum aliquam iacturam , urgente videlicet summa necessitate , vtcunque ferant homines absque desperatione , sed pro pelle , id est ut quod reliquum est seruantes , aut ipsi saltē salui , posse damnum illud resarciant. Quum autem de ipsa vita agitur , tum nulla ἀνταλλαγή , quæ habita ratione , & sine exceptione consuevit se homines vlt̄o in omnium quæ habent amissionem consentire : ut facilius solent nauigantes in extremo naufragij periculo : quoniam videlicet non ut abiectas opes , sic amissam semel vitam recuperare possunt . Iobum itaque leviter & quasi cute tenus , ~~ne ad~~ sanguinem usque vulneratum , & potius de seipso seruato gaudet quād de suis amissis dolentē , ideo non despōndisse animum : & Deo non obloquutum , non quod ipsum ex animo coleret , sed partim sui ipsius amore , partim quod saluus adhuc & valens consideret facile futurum ut pristinum , aut etiam meliotem , statum rerum suarum recuperaret . Itaque duplex hic erit ἀριστος , nempe inter pelle , & cuncta hominis bona , & pro anima sua , crescente videlicet oratione : ut fortasse rectius pro , & cuncta , verterimus , sed cuncta . nec ineptè hunc versiculum Gallicè expresseris , *Vn homme donnera bien une peau pour une peau , mais il donnera tout ce qu'il a pour sauver sa vie.* Huc respiciens Christus Matt. 6.26. & hoc ipsum hominū genus reprehendens , quibus nihil est presente vita charius , ostendit nullos sibi peius consulere quād qui , huius vitæ quoquo modo souenda & retinenda cupidi , seipso perdunt . Hoc autem commune esse omnium hominū non regeneratorū vitium quum probè nosset Satan , ut qui Adamum ad ipsum offendisse Dei perdendū hac tentatione pellixeret , audet , pro illa sua desperatissima improbitate , sibi polliceri fore ut lobus , morbo quoipā , præserit cum summis cruciatibus couisque vexatus ut vitæ spem omnem abiiceret , tandem proderet se non ipsius Dei vel integratatis amore , pierati studuisse , sed quod istum Dei cultum sibi frustruosam esse videret : quo cessante commodo & spe omni vitæ abiecta , probaturus esset verum esse vetus illud proverbum , *Femella , seruet amicitia.* Etsi verò in ista exploratione , quum Satan & ipsa Iobivxore , & iis ipsis amicis abutetur qui ad lobum conformatum aduenierant , lobus sapientiæ carnis infirmitatem prodidit : tamen tantum absuit ab eo , quod illum adigere studebat Sa-

bat Satan, ut contraria omnia sit & verbis & reipsa testatus.

Vers. 5. Verū mitte queso manū tuā, & tange ad offa eius, & ad carnem eius: nisi in faciem tuā maledixerit tibi.

Mitte queso manū tuā, &c. Fatetur ergo, sed inuitus Satan, se nihil posse nisi nocendi (nam aliud appetere non potest) accepta potestate. Sed hic quoque ~~co~~pietatem, quasi videlicet solus Deus hic agat, & ipsius Satanæ opus sit Dei opus: quum tamen, sicut pleniū superiore capite exposuimus, in his quæ malè fiunt, mala instrumenta ne instrumentorum quidem appellationē mereantur sui proprij operis respectu, id est quatenus agunt quod agunt suo intrinseco & spontaneo malo motu, led tantum quatenus ipsis Deus, quantumvis peccantibus instrumentis, ad proprium & iustum suum opus vtitur. Duæ hic ergo sunt manus prorsus inter se repugnantes, quævis ad unum ~~domi~~ ~~l~~obum, ne in pœ ad lobum grauissimo vulnere sauciandū, sed contrario prorsus fine concurrente s. Ferit enim Deus lobū, ut eius probatione de Satanæ improbitate per serui sui constantia triumphet, & ipsi lobo tandem ad maiorem felicitatem aditū patet faciat: Satan vero ferit & ipse lobum, ipsius per blasphemiam perdendi causa: violentissimo quidem, sed tamen prorsus icrito, conatu. Tentatio igitur ista Satanæ est, probatio vero & victrix constantia à Domino Deo est.

*Nisi in faciem tuam.* Non est istud cum superiore mēbro coniungendum, quasi conditionem aliquam Satan suæ petitioni subiicit, sed per ~~ad~~orātōrōv intelligendum, ac si deuouens sese Satan, Quanvis iam ipse externo irrevocabili exitio deuotus, diceret, Dispercam, vel, mitte me iam nunc in abyssum, nisi tuus iste Iobus, quem tam integrum esse dicis aperta blasphemia velut tuum ipsius os conspuat. In quo rursum quam desperata sit impuri Spiritus impudentia perspicitur, ipsum præsentem Deum sic audens vel ignorantia, vel etiam falsi testimonij arguere: quò magis precandus est nobis Dominus ne nos ipsi & concupiscentiis nostris regendos tradat, quum Petrum ipsum præposterus metus (non autem mala mens) eouslyque extra rectam viam abripuerit, vt falsæ negationi deuotionem etiam adiecerit. Matthæi 26. 74. singulariter humanae infirmitatis, tum misericordiae diuinæ exemplo. Etsi vero sanctos etiam homines eiusmodi imprecationibus vlos esse legimus, tamen longè alio animo ita sunt loquuti, affirmantes videlicet verum, vel negantes falsum, seruata semper tum recta apud Deum conscientia, tum sincera erga proximos charitate: atq; aded summa cum diuinæ Maiestatis reverentia, quod etiā ostendit ~~ad~~orātōrōv, qua, vel ipsam deuotionem totam reticent, vel obliquè & indefinitè his verbis significant, Sic & Sic faciat mihi Dominus. Quò magis detestandæ sunt horrendæ voces illæ, nimilum multis, in eiusmodi deuotionibus, etiam quum contra conscientiam loquuntur familiares: in eo certè manifestè demonstrant sese ipsum Satanam à quo impelluntur hanc deuotionem hic

non ausum exprimere sceleratissima impudentia superare.

Vers. 6. *Tum dixit Dominus ad Satanam, En ipse in manu tua es, verum animam eius serua.*

*Ipse in manu tua es, &c.* Quod antea diximus iterum hic repeto, Deum videlicet, etiam si Satanæ & improbis hominibus concedat quod flagitant, minimè tamen existimandum esse gratas habere ipsorum preces: sed quod illis largitur, ipsorum damno, nec ut illis fauente mē sed ut iratum in suam ipsorum perniciem illis concedere, ut sint ipsis sibi suarum calamitatuum instrumenta, quod Hesiodus etiam non ignoravit quum hēc scriberet,

*H' δέ κανὴ βράβος τῷ βράτερι λακαῖση. & Satyricus ille,*

*Enent ἐρε domos totas optantibus ipsis*

*Dīs faciles, nocitura roga, nocitura petuntur*

*Militia.* De quibus etiam Plato in Alcibiade posteriore præclarè & copiose multa differit.

Contiā vero quodd s̄epe suis Deus postulata non concedit, vel tandem concedenda diuiciū differt, id non facit illis infensus, sed vel quodd aliter apud se constituerit (qua ratione illum videamus nec Samuelem pro Saule, nec Davidem pro filiolo deprecantē exaudiuisse) vel quodd suis hec vel illa perētibus melius quam ipsi sibi prouideat, quam ob causā filii Zebedæi respondit, nescitis quid peccatis, *March. 20. 22.* & ipsi Paulo respondit. *2. Corinth. 12. 17.* Sufficit tibi gratia mea. Cæterū & illud notandum est, aliud esse ipsam Iobi (ut vulgo loquuntur) personam, quam ipsius facultates: & quidēm multo pluris esse homines quam quidquid possident: quod quum ipse communis sensus dicit, incredibilis penē est plorūmque hominum insania, qui, ut prophani ipsi scriptores surdis clamant, bona non possident, sed ab ipsis possidentur. Et ut illos redarguit Lyricus ille vates, propter vitam viuendi causas perdunt.

*Verū animam (id est vitam) eius serua.* Additur ergo hoc etiam loco restrictio, ut lobum sciamus non fuisse ex eorum numero quos Dominus sic totos Satanæ tradit, ut illos arbitrio suo verser, quod tamen interdum etiam ad tempus, & tandem resipiscientia Spiritu donandis euenire testatur Apostolus. *2. Timoth. 2. 26.* & probatur quotidianis plurimorum exemplis. Cauendum igitur nobis summopere, ne de quoquam, cuius etiam animam ipsam, ut ex ipsis moribus apparet, Satan huc & illuc impellat, desperemus. Sed pro quo quis etiam gravissimo peccatore Dominus est interpellandus, & procuranda nobis est quorumuis salus nisi si qui peccato quod est ad mortē, id est unico illo irremissibili peccant, quod D. o potius quam nobis est perspectum. *1. Ioh. 5. 16.* peccant corporis morbis, de odio vel amore Dei iudicandū est, ut diuinissimē docet sapientissimus ille Rex, vel potius Spiritus Sanctus nono Ecclesiastis capite, & exemplo suo proposito prædicat *David Psal. 41.* Sunt hēc enim interdum quidem Dei non virga illa ferrea, sed paterna

paterna férula vtentis in suos ne cum mundo pereant, ideoque non  
seuerg illius iræ quam Dauid Psalm. 6. & 38. deprecatur, sed licet  
commoti, paternitatem animi ~~fæcili~~ testimonia: vel meræ proba-  
tiones, siue ~~dōximæ~~, summo cum eorum bono, qui sese in ea pro-  
batione, per eiusdem Dei gratiam, fortes & constantes præbent, ut  
videre est in hoc Iobi exēplo. Sunt ista deniq; interduin non certè  
vllijs iræ diuinæ, sed è contrario summæ ac planè singularis divi-  
næ cuiusdam ~~indoxia~~ ~~terripientia~~, teste cruce perpetua veræ pietatis  
comite, ut passim suo quoque proposito exemplo docet Christus:  
adèò ut inter eximia Dei dona omnes eiusmodi, quantumvis gravi-  
ties & ærumniosæ, miseriæ & calamitates ab Apostolo numeren-  
tut, Philip. 1. 29. authorem Christum sequuto, Matth. 5. 12. Hæc dis-  
crimina si perspecta habuissent amici Iobi, dolores ipsius non ita  
exulcerassent, vt ei penè fuerint ipso Satana acerbiores. Epicureos  
autem ista neque scientes, neque discere sustinentes, & hoc præ-  
textu hoc ipsum patrantes ad quod frustra Satan impellere Iobum  
conatus est, execrari nos potius quam refutare par est. Cæterum  
etsi nihil prohibet quominus A N I M Æ appellatione alteram  
Iobi partem à corpore distinctam intellegamus, ad quam certè pe-  
ntrare sicut in ipsum cor Iudæ proditoris ipsi non licuit, quamvis  
eius foræ magnitudine dolorum & incautis amicorum Iobi incre-  
pationibus tanquam malleis quibusdam abuens pulsarit: tamen  
res ipsa ostendit pro vita vulgatissimo loquendi more hoc loco ac-  
cipi: significante videlicet Domino, concedi Satanæ ut Iobum sa-  
uissimo quidem, at non tam ē lethali morbo afficiat. Itaque S E R-  
VAN D'I quoq; vox, non est sic accipienda quasi vlla sit à Satana  
salus, cui potius nihil aliud quam rerū omnium destructio & exi-  
tium placet, verùm quod Servare quodammodo videatur quæ vel  
ne tangere quidē, vel si tāgit, ut hoc in loco Iobi corpus, destruere  
tamen ac perdere nequeat, Deo videlicet sceleratissimi Spiritus il-  
lius desideriū & conatus suis quibus libuit finibus circumscribēte.  
Vers. 7. Exiuit igitur Satan à f.ice lebona, & percussit Iobum in-  
flammatione mala à plantapedis eius, usque ad eius verticem.

Exiuit Satan &c. id est statim accinxit se ad fetiendū Iobum, quū  
alioqui omnia semper sine exceptione sint Deo præsentia. Pudeat  
autem nos desidiae nostræ, superante multis modis Satanæ ad ma-  
le agendum vigilantia, nostram etiam peruigilem ad bene agen-  
dum diligētiām, quod spectant illætoris in sacris literis repetitæ ad  
perpetuas excubias exhortationes.

Et percussit Iobum inflammatione mala) Hebræa vox vlcus de-  
clarat à summo ardore sic appellatum, quod, Græci propterea ~~av-  
opæus~~ vocant: quo quum percussi fuissent Magi in Ægypto, ut scri-  
bit Moses Exod. 10. 10. miserum p̄t̄buerunt iā diuinæ quām me-  
rebantur spectaculum, quum ne consistere quidem in conspectu  
Pharaonis possent. Quod si quis roget quānam horam alium porue-  
rit Satan in corpore Iobi tam citò præsertim excitari, respondeo,

quum morbi non tantum ab internis, sed ab externis etiam causis  
orientur, ac præsertim inter cæteros morbos pestifera hæc vlcera  
constet ex aere venenatis vaporibus infesto sapissimè exortiri, vnde  
de etiam contagiosa sunt & dicuntur: non esse cur miremur hoc sta-  
tim, sic concedente Domino, fieri à Satana potuisse, naturalium  
omnium causarum excitandarum & miscendarum peritissimo: mi-  
nimè temerè hunc ipsum Satanam Apostolo vocante ἐπεχοντεῖ ζε-  
ταὶ τὸν ἀριστον. Itaq; mihi dubium non est non raro accidere ut ciuiusmo-  
di contagiosi morbi, Deo sic iubete, vel per se, vel per Angelos, siue  
bonos, siue malos, vt ~~ex~~ hoc loco & Exod. 12.29.2. Sam. 24.16.1. Cor.  
10.10. nullis etiam malignis stellarum influentiis adhibitis, exortian-  
tur: his vel illis, sicuti Deo visum est, vnis quidem lethaliter, aliis  
vero medicabiliter feriendis. Ad internas autem causas quod atti-  
ner, quum Satanæ magis quam vlli medico nota sint corporum  
etiam nostrorum temperaments, & quibus contrariis alterari pos-  
sint, non dubito quin horum impurorum Spirituum, quoties sic  
Deo visum est, magna sit vis in illis temperamentis ciendis & per-  
turbandis, etiam si in ipsa corpora non permeant. Quidni enim id  
efficere possint in corporibus Deo sic concedente, quorum tanta  
est in ipsis contumaciam hominum mouendis cupiditatibus ef-  
ficacitas? Ephes. 2.2. Nec dissimile est exemplum de muliere illa in-  
curua, quæ à Christo dicitur. Luc. 13.16. octodecim annis fuisse vin-  
cta à Satana: quem morbum Græci, οὐρανόθετον vocant. Absit ta-  
men vt propterea existimemus morbos omnes, etiam quibus pec-  
cantes Dominus flagellat, dæmonum opera adhibita, immitti. E-  
tenim plerumque à naturalibus & ordinariis causis vltro oriun-  
tur, ideoque mercè naturalibus etiam medicamentis, Deo illis be-  
nedicente, tollentur: coactis tamen sèpe medicis, vt ex ipso-  
rum scriptis observationibus apparet, nescio quid prorsus extra-  
ordinarium, & extra omnes naturales causas, in quibusdā morbis  
positum, agnoscere. Hinc discimus quam sit nobis necessarium in  
omnibus morbis sic vti naturalibus remediis, vt neq; in medicina,  
neque in medicis spem nostram ponamus. Hoc enim peccatum  
quantopere Deo displiceat, docemur Az̄ exemplo. 2. Paralip. 16.12.  
Sed sicuti monet Iacobus Iac. 5.14. & nobis exemplo suo præit E-  
zechias 2. Reg. 20.2. & Isaia: 38. ad cuin quam humillimè confu-  
gere pios oportet, qui solus, propriè vulnerat & sanat, ad sepul-  
chrum deducit, & ex sepulchro reducit.

*A planta pedis* Iacempe vt tetra ista & insueta totius corporis ar-  
densissimis vleeribus inflammati species, extraordinarium præ se  
ferret manifesti digni iudicij spectaculum. vnde factum etiā fuisse  
audiemus, vt omnes Iobi conspectum, ne ipsi quidem eius amicis  
exceptis, tanquam detestandi aliquius monstri speciem, cohoreb-  
cerent: de quo ipso Iobus infra multis locis, ac præsertim cap. 19. a-  
cerbissimis cœp̄ delulatibus lamentatur: ipsius tamen fide ac spe ne-  
sic quidē sup̄eratis, vt extremo illo capite intuetus athleta & seip-  
sum

sum planè superans, clarè profitetur.

Vers. 8. Et accepit sibi testam, ut ea se se fricaret, & ipse sedebat in cinere. Sic declaratur ab effectis, putulentis videlicet & teterrima fanie manantibus ulceribus, quām horrenda fuerint huius morbi symptomata. Etsi enim videri possit Iobus vlt̄d in cinere sedisse lugentū more, quōd insigne fuerit ipsius ταπεινοφροσύνη testimoniū, nedum vt propter hanc tantam calamitatem in blasphemia erumperet: quia tamen dicitur arrepta testa saniem ulcerum suorum abstulerisse, hoc autem certe facturus videtur minimè fuisse, si ab vxore & domesticis domi fuisset, sicuti decuit, vel leuissimè adiutus: (quum sup̄er esset adhuc illi domus, sup̄ellex, & serui domestici) probabilior mihi videtur eorum sententia qui necessitate factum hoc vrtrumque fuisse censem, quum ab vxore, seruis, & necessariis omnibus esset Iobus desertus, & quorundam etiam sannis & ludibriis expositus: quam tam subitam rerum omnium communicationem acerbissimis vocibus postea deplorantem ipsum audierimus, quōd glorioſior tandem fuit ipsius victoria. Nec alia fuit olim Apostolorum ipsorum & verē Christianæ Ecclesiæ sub Imperatoribus illis piorum persecutoribus Romanis conditio, quum haberentur ut καθάρωται & περιλυμαται. Sed & hodie quum parentissimi aucti Reges ac Principes ab illa meretrice Romana in rabiem aucti strenuè illorum exemplum imitentur, magnopere nos hic iuuerit nobilissimum istud Iobi exemplum, ad quod nos propterea non temere reuocat Iacobus. Iac. 5. 11. Quod autem in Græca interpretatione pro cinere, siue puluere minutiſſimo, sit mentio ονωρίας, & additur, extra urbem iacuisse Iobum, quasi videlicet propter fœtorem ex urbe ipsa fuerit electus, in Hebræo contextu non extat, neque mihi probatur.

Vers. 9. Et dixit ei vxor ipsius. Adhuc tu perfas in integritate tua? benedic Deo & morere.

Et dixit ei vxor eius. &c. Iobum audiuiimus in tam sauis cruciatis sedisse in puluere, & arrepta testa, quōd fortasse ne vnguibus quidem vti posset, ulcerum saniem & lquamas deteruisse, sed vel voculam ipsum emisisse non legimus. Hoc autem silentium quum neque ab ἀναδονίᾳ corporis vel animi, (quānam enim quisquam tantis doloribus non afficeretur, & quideam acerrimè?) nec etiam à superbia oriatur, quæ ne tacere quidem superbos patitur: mirum in modū istud Saranæ displicuit, nihil minus expectanti quām vt in pristina æquanimitate Iobus tam duriter vulneratus perseveraret. Itaque curat per cius vxorem illum sic pungi, vt effari saltē quidam cogeretur. Quōd verò tenderet istud eius consilium mox dicimus. Illud autem nunc satis sit ostendisse, tribus de causis Satanam videri mulierem istam ante ceteros, quibus & ipsū postea similiter & eodem conatu abusus est, delegisse. Vna, quōd ab ipso mundi initio esset expertus quām facile possit hic sexus, non ratiōnē decipi, sed etiā ad alios decipiendos impelli; altera, quōd nullæ nos acrius

pungant iniuriæ, quæm quæ inferuntur à quibus minimè omnium oportuit: certia denique ut ista, cuius summa fuit secundum Iobum in hac domo auctoritas, veluti classicum canente, cæteri domestici qui Iobo supererant, & ipsius amici tantò audaciùs malum hoc exemplum imitarentur. Neque verò istud Satanam fecellit, sed irrito, sicut audiemus, conatu. Hinc autem discimus oporteret quod sit prolapsum humanum genus: et vñque videlicet, ut quod & in huius mulieris & deinceps in amicorum Iobi exemplo tristissimo apparet, sæpen numero maxime in eos etiam peccemus, quos iuuare studemus: tanti ûm abest ut ὁ φός ille λόγος Philosophorum, in thesibus quidem non semper cæcutiens, tamen quum ad hypotheses & Specias ἀράζιν ventum est, nostris affectibus moderandis sufficiat, rectè nos in hunc locum admonente Gregorio, necesse esse ut non solum intueamur quod agimus, sed etiam cum quanta discretione agamus, sicut mox apparebit.

*Adhuc peritas in integritate tua, &c.* Omnes quos vidi huius loci interpres, quanvis Benedicendi vocem alij propria notatione, sed vi ironice interpretandam, alij pro Maledicere accipiant, sic ista explicant, quasi vxor Iobi sit aperte maritum ad Dei execrationem hortata, ut ipse moriens animum saltem sic expleret, ut desperati solent. Neque verò nego Satanam, excepta morte, conarum, fuisse istud à Iobo extorquere. Sed mihi profectò ne verisimile quidem vlo modo videtur, hanc in tam pia domo matrem familiās huc potuisse impelli, ut tam impudētē apud maritum vteretur sermone: quum ipsi quoque sceleratissimi, si quid tale meditatè faciant, aliquam saltem utilitatis inde ad ipsos redditū speciem ipsi sibi vel aliis proponant. Immo ne Satanam quidem credibile est sperare potuisse futurum ut Iobus tam manifesta & prorsus impudente suasione moueretur, quam ne sceleratissimi quidem aliter quam repugnante conscientia admittant. Plurima autem illa quæ hoc loco in Græca interpretatione leguntur, nulla prorsus auctoritate nituntur, quum neque in Hebræo contextu extent, neque probabile sit Hebræa exemplaria, salvo reliquo libro, fuisse tam multis præsertim verbis mutilata. Immo etiam falsa hęc videri possunt, quū neq; in sterquilinio, neq; subsidio Iobus iacuisse, neq; dominus ipsius Iobi dituta fuisse legatur, aut eius vxor domo expulsa: immo contrarium appareat ex ipsius Iobi verbis, infrà 7. 4. Quid gitur? ad me quidem quod attinet, salvo aliorum interpretum iudicio, ausim affirmare hanc mulierem eandem prorsus causam egisse atque postea Iobiamicos, quorum disceptatio subsequitur: & quidem non alia voluntate, nec aliis rationibus impulsam: nempe non quodd Iobi, tant opere iam calamitosi ut nihil supra, cruciatu augere studeat, sed quodd ipsa se fallens sibi persuasisset hac vna quam suadebat ratione posse Iobi saluti caueri: de cuius vita planè desperabat: Satana sic interea abutente istorum imprudētia, vt nulli magis aduersus Iobum ipsi subseruerint, quem tamen seruatum

datum volebant, sicut alteratio inter ipsum Iobum & eius amicos declarat. Supereft igitur vt quid hæc mulier marito suaserit, quis fuerit eius animus, quid item Satanæ per illam sit molitus videamus. Vxor Iobi marito in priore tentatione assensa, vel nihil ausa obloqui, mox illum cernens tam horrenda plaga percussum, & rectè quidem statuens ista non nisi Deo, & quidem velut extra ordinem, sic statuente accidisse: sed perperam iudicans Deum nunquam hæc fuisse decretum nisi Iobo summè infensum: denique illum iam morti proximum esse arbitrata: primùm mirata est illum interea tacitum sedere, nec magis in tanta calamitate, animo commotum quam antea fuisset. Deinde non aliunde istud tam sumum silentium accidere posse cogitauit quam ex conscientiæ stupore: marito videlicet adhuc suæ integratatis opinione fascinato, ideoque ne cum quidem iram Dei aduersus ipsius peccata animaduertente. Hinc factum vt illud consilium caperet quod reis conuictis & pœnas mox luituris dari meritò consuevit, nempe vt auctæ virtuæ ingenua, prout res ipsa postulabat, apud Deum de testatione (hoc enim est Deo benedicere, id est Deo gloriam, agnito peccato tribuere, vt Ios. 7.19.)iram eius deprecatus, se ad mortem subeundam compararet. Error igitur omnis in eo fuit quod huius vitæ miserias, præsertim tam atroces & insuetas, non aliunde quam à Deo irato profici sci credidit: quod tamen falsissimum esse testatur perpetua Ecclesiæ in hoc mundo conditio, & ostendunt quoque prophanæ historia, in quibus nullos plerunque videamus calamitosiores fuisse, quam qui virtuti præ cæteris studuerunt, qua de re plura in quattuor caput dicemus. Nihil autem in Iobum dici indignius potuit, nec quo iustius exacerbaretur, vt quem neque amissio tot honorum, neque tam miserabilis orbitas, neque tam sœui cruciatu corporis concutere potuerant, hæc iniuria penè ad desperationem adegerit, & Satanæ Iobum prostratum tradiderit in manus. Etsi enim Iobo nunquam venit in mentem vt sua integritate niteretur, aut alibi quam in unius venturi redemptoris misericordia spem salutis suæ reponeret, vt loquitur infra 19. 25. atque adeò licet in tam multiplicibus acceptis vulneribus, hæc præcæteris cogitatio iam tum illum graviter extuciare cæperat, quinam Deus tam duriter cum ipso præ cæteris mortali bus ageret: tamen, vt ex ipsius verbis apparuit sup. 1.21. & ex proximo versu liquebit, sic illum in his omnibus calamitatibus erigebat integræ conscientiæ testimonium, vt contrariis omnibus cogitationibus renuntians, æquanimitate penè incredibili acquiesceret in Dei Opt. Max. voluntate. Nec aliud ei perfugium sanè supererat, de quo propterea ipsi eripiendo vincere laborat Satan, totus in eo vt terroribus conscientiæ, quibus nihil est terribilius, cum amitione bonorum & cruciatibus corporis coniunctis, & illius quæ sola illum sustentabat æquanimitatis loco substitutis, victoriari obtineret. In summa igitur vxor Iobi, miserè scipsum fallens, & im-

prudenter Satanæ strenuè subserviens , hoc dictum paucis voluit.  
*Adhuc peritas in integritate tua? id est, marite, sic mutus iacens & tu?*  
*integritatis opinione fatus , ne nunc quidem Deum tibi summe*  
*infensum animaduertis ? Benedic Deo, id est potius quandiu tibi*  
*pauculum adhuc vita superest , tribue gloriam Deo ut iusto iudi-*  
*ci , & peccatorum tuorum multitudinem ex magnitudine earum*  
*calamitatum quibus te impetrat , estimatam professus , te ipsum ad*  
*mortem sancte obeundam comparato.*

Vers. 10. *Dixit autem ipse ad eam , Sicut loquitur una stultarum*  
*loqueris. Scilicet bonum à Deo exceperimus , & malū non excipiemos ? In*  
*hoc toto non peccauit Iobus labii suis.*

Dixit autem ipse ad eam &c. Obtinuit Satan per hanc mulierem  
 ut silentium rumperet Iobas, non autem ut & quanimitatem amitt-  
 teret, sed è contrario, ut non animo tantum, sed ipsa etiam voce ad-  
 uersarium ab ipso superatum appareret. Et hic semper est tandem  
 conatu Satanæ aduersus electos exitus, quibus quem omnia fel-  
 liciter cedant, (vt monet Apostolus Rom. 8. & quotidiana do-  
 cet experientia) quoties ita cum illis agit Dominus ut hic cum  
 Iobo, cur non potius quam ut cum ipso expostulemus, clamemus  
 cum Davide Plasino 119. 71. Bonum est quod me depresso-  
 Sed raro accidit ut tam fortiter quam iste pugnemus : quo ne-  
 mo tamen fuit crudelius à Satana oppugnatus, sic victor ut ictus  
 adhuc contemptisse potius quam illum iusta repugnantia di-  
 gnatus fuisse videatur. Neque verò duntaxat in eo fuit admirabilis  
 noster hic athleta quod Satanæ hostis sui præcipui astum  
 elusit, nihil quod antea in tolerandis patientissimè suis cru-  
 ciatiibus fortis : sed in eo quoque quod ne hac quidem tam graui  
 iniuria tam indignè ab vxore affectus, aduersus vxorem exca-  
 duit: immo sic istud responsum temperavit, ut in illa increpanda,  
 neque maritalis in illam auctoritatis fuerit oblitus, neque tapet  
 nullam muliebris infirmitatis rationem habuerit : quem optimum  
 modum si tenere possent mariti erga uxores, parentes in liberis,  
 domini in seruos, multò pacatores essent res humanæ: quanquam  
 altero potius extremo, nempe lentitudine & conniventia sapen-  
 tero in ipsis peccari non diffitear. Cæterum constat hoc respon-  
 sum partim increpatione, partim repulsa. Ad increpationem quod  
 attinet, nec eorum sententiam sequor, qui accentu interrogante  
 illam emolliunt, ac si diceret Iobus, tene crediderim stultarum mu-  
 lierum more loqui: ne eos probo qui stultam pro insana & impia  
 interpretantur, quod fateor interdum Hebræa voce Nabal intelli-  
 gi, & sanè haic mulieri optimè conueniret, si tam præsertim impu-  
 denter maritum ad Deum ipsum execrandum esset hortata, quam  
 expositionem antea refutavi. Stultam igitur opponit sapienti &  
 circumspetæ. Nec enim quod suadebat vxor per se & simplicitet  
 malum erat, quum è contrario nihil sit reis connectis illa commo-  
 nefactione magis necessarium: sed in eius consilij applicatione gra-  
 uissime

tissimè peccarat aduersus maritum, minimè omnia talem, qualē  
illūm esse falsō extor calamitatum magnitudine colligebat.

*Scilicet bonum excepimus à Deo, & malum non excipiemus? Quām*  
*multa paucissimis verbis Iobus, & quidē prorsus admirāda, si p̄r-*  
*fertim spectemus in quo tunc statu versaretur? Nam mirum non est*  
*gratias agi quū accipitur beneficiū: sed quotusquisque acceptorum*  
*beneficiorum memoriam conseruat? immēd quoqusquisque acce-*  
*pto vel vnicō damno, experte beneficentia non obliuiscitur? Io-*  
*bus contrā, in priore quidem tentatione, quantumuis dura & mul-*  
*tiplici, non modō non obloquutus est Deo, quæcunque priūs in*  
*eum contulerat eripienti, verū etiam, quasi nouum esset benefi-*  
*cium illa ipsa amissio, Deo gratias egit. Hic verò tantō admirabilior*  
*quantō grauior erat hēc plaga superioribus omnibus: siluit qui-*  
*dēm initō, quod maximum fuit in tam horrendis cruciatibus: pos-*  
*tea verò, quanvis accedente ad illos cruciatus iniquissima calum-*  
*nia, erupit non in blasphemum aliquod murmur, sed in Dei lau-*  
*des, satis declarans quid apud se in eo silentio versasset, nempe ac-*  
*cepta tot tantāque Dei beneficia cum ipsius vera notitia & timo-*  
*te coniuncta: ex quibus quum Deum non esse sibi infensum, sed*  
*summē benevolum non temerē cognouisset homo quantumuis*  
*peccator, tamē sibi benē conscius, meritō colligebat quantam cun-*  
*que istam mutationem non posse à Deo ut qui animum mutasset*  
*proficiisci: sed, quacunque de causa id faceret, sibi in hac ipsius sem-*  
*per sapientis & in suos benigni vnicā voluntate acquiescendum, à*  
*quo nunquam esset deserendus. Et hunc eius fuisse animum, sua*  
*quidem iustitia, licet minimē fucata minimē nitentis, sed diuina in*  
*se benevolentia sese sustentantis, verae pietatis & charitatis intus &*  
*foris testimonio confirmata, non hēc tantūm ipsius verba manife-*  
*stè ostendūt, verū etiam illud liquidō probat, quod quantumuis*  
*amicorum importunitate adactus extra viam non nihil aberrasset,*  
*tamen in has voces erumpat infra 13. 15. Etiam si me Deus occiderit,*  
*in ipsum sperabo. Et obseruandum etiam illud est, in vtroq; mem-*  
*bro usurpari vnum idēmque verbum, quod quidem hoc loco nor-*  
*tantūm quidpiam aliundē recipere, quod etiam inuitissimis euenit,*  
*sed ita recipere ut libenter & æquo animo id quod datur excipias.*  
*Sic eam Iobus nunquā magis Deo plenus quām quū fuit omnium*  
*opū vacuus, nec vñquam valentior animo quām quām foedi simo*  
*cadaueri quām homini similiō, tum verbis tum re ipsa declarauit,*  
*quanvis plurimū distent à prosperis aduersa, vtrisque tamen*  
*eandem quod ad Deum attinet æquanimitatem p̄stans. Nam*  
*est certè vñus, & idem tum in aduersis, tum in prosperis Deus,*  
*nunquā paternam in suos benevolentiam mutans, nunquā suo in*  
*illos imperio abutēs, ne tum quidem quum durissimis probationi-*  
*bus illos ad nominis sui gloriam exercet, sed illorum patientiam*  
*munificentissimē coronans, ut huius quoque historię exitus ostendit.*  
*At enim, ut p̄clarē scribit Gregorius Romanus, hinc vñus-*

quisque colligat quid illic sint passuri quos reprobatur, si hic sic criticiat quos amat: aut quomodo feriantur qui in iudicio arguendi sunt, si sic eorum vita premitur qui ipso iudice teste laudantur.

*In hoc toto non peccauit Iob labiis suis.* Non peccare hoc in loco per meūōr idem declarat atque ita se gerere ut decet, & quidem apud Deum, quatenus quidem iuste agere possunt qui homines sunt, quantumuis regenerati. Itaque non tantum sic absoluunt à malo, sed etiam laudatus Iobus ut qui fecerit quod verè pium & religiosum hominem facere oportuit in hoc toto negotio. Nec enim simpliciter recusavit sese peccatorem agnoscere, & misericordiam eius deprecari quem redemptorem suum appellat: sed hypocritam, & quidem insignem, se fuisse, sicut ex vxoris verbis necessariò colligendum erat, recte & iuste negavit: quanquam postea prouocatus amicorum iniquissimis calumniis, & magnitudine suorum cruciatuum adactus, modum in assertanda antea cœcta virtutis integritate, cuius testimonio penè unico sese in hac calamitate sustentabat, non temper modum renuerit, ut ipsemet agnoscat apud Deum, infra 42. 4. & 5. Ista igitur, *In hoc toto, & labiis suis* opponuntur sequentia caput disceptationi, ad finem usque iusti historiæ. Magnam autem iniuriam faciunt huic optimo & fortissimo viro Hebræi, qui perinde hoc accipiunt ac si ore quidem non peierarit, mente vero peccarit: quum è contratio ambigendum non sit quin linguae dictauerit animus quicquid est prolocuta. Verum quis hac in re istos cœcūtūisse miretur, quos non pudet lobum ut prouidentia diuinæ aduersariūm passim in huius libri interpretatione argueret? Aio igitur contrà, idè non peccasse Iobum loquendo, quoniam non peccabat tacendo. Ac delocutione quidem constat ex manifestis huius contextus verbis. Quid vero tacens cogitarit, unde nisi ex ipsis verbis intelligetur? At enim dices, cur ipse non loquebatur, etiam ab uxore non prouocatus? quasi vero religiosi simul & pacati apud Deum animi testimonium ullum edi magis sonorum potuerit hoc ipso in tantis calamitatibus silentio, iuxta illud, Tacui Domine, quia fecisti, & illud, Tu quis es, qui Deo responsas?

Vers. 11. *Et audiuerunt tres amici Iobi omne malum illud quod: venerat super eum, Eliphazus, Themanites, Bildad Subites, & Tsopharēs Naamathites, & venerunt quisque ē loco suo, & constituerunt simul ut venirent ad condolendum ei, & ad eum consolandum.*

Vers. 12. *Et suslulerunt oculos suos eminus, & non agnoverunt eum, & eleuauerunt vocem suam, & fleuerunt, & ruperunt quisque palium suum, & puluerem sparserunt super capita sua in cælum.*

Affentior D. Mercero existimati tres istos cognomenta sumptifese ab iis à quibus genus ducebant: Eliphazum videlicet Themanitem vocari à Themanе Eliphazi primogeniti Esau filio Genes. 36. 11. Bildadum autem à Suha filio Abrahæ ex Keturā. Genes. 25. 1. Tsopharē fortassis à Tsapho uno itidem ex Eliphazi illius filii, Genes. 36. 12.

36. II. qui nobis ignota ratione sit dictus Naamathites. Sunt enim hæc perobscura. Sed & vrbes à suis conditoribus, & regiones ab antiquis eorum incolis præcipuis cognominatas fuisse constat, unde sèpe in sacris libris regionis Theman fit mentio. In summa, res ipsa clamat istos, vt potè intimos Iobi amicos & familiares, ac veluti gregales, fuisse quoque Idumæos vel ex proxima Arabia. Quod autem dicunt Hebrei totidem fuisse Reges, est ex audacia illis familiari. Magni tamen illos nominis & auctoritatis fuisse dubium non est, atque adeò vera sapientia, quæ diuinarum & humanarum rerum scientia definitur, admirabiles, vt ex eorum sermonibus apparet. Verè denique illos Iobum amasse, sinceròque ipsum consolandi studio ex suis regionibus sicut inter ipsos conuenerat aduenisse, ostendunt singula quæ hoc loco commentantur, quamvis contrarius prorsus fuerit ipsorum propositi euentus: vt qui Iobum magis penè quam ipse Satanas, sed imprudentia, sicuti videbimus, non malevolentia excarnificarint. Cæterùm quamvis non aliorum fiat mentio quam istorum trium, qui cognito Iobi casu ad eum inuisendum accesserint, dubium tamen non est, quum tam inopinata res hæc esset, & clarissimum Iobi nomen, atque adeò summa inter illos populos auctoritas, quin magnus ad hoc spectaculum fuerit hominum concursus, quorum diuersa fuerint iudicia: plerisque tam illum vt Deo exosum auersantibus, qui mos est vulgi, ex huius vitæ commodis vel incommodis, ac præsertim prout repentinæ tales commutationes accident, de numinis inquietapiam amore vel odio statuere. Magna fuit præterea plurimorum ἀχεισία, secundum illud, ζει χύρεα, ζει φειδία, qua de re luctuosissimè lamentatur Iobus capitibus 19.29. & 30. Sed meminit trium istorum nominatim historia, quòd insignis fuerit eorum dignitas, & propter ipsorum cum Iobo disceptationem, quæ pars est huius libri potissima. Habitòs autem hos sermones fuisse, adstantibus & audientibus aliis, apparer ex capit. 32. usque ad 37. ubi Elius, cuius tamen aduentus hic non narratur, oratione longè grauissima introducitur, & ipsum Iobum vt immoderatè loquutum, & tres istos ut importunos consolatores obiurgans.

*Eminis.* Idest antequam proximè accederent ut amicis mos est mutuò sese præsertim ægrotos & prostratos amplecti, vt inde colligi firma ratione non possit, Iobum extra urbem proiectum sub Dio iacuisse, & quidé in sterquilinio, vt nonnulli volunt, & habet Græca interpretatio, quæ cōuellitur ipsius Iobi verbis infrà 7. 13.

*Non agnouerunt.* vt pote spiranti ulceroso cadaveri quam homini viuo similiorem, vt ipse sese multis modis non tam calamio quam penicillo describit. Quæ autem sequuntur, adhibita sunt ut veræ συμπαθεῖς τεκμηρία, ex veterum moe in acerbissimis suis & amicorum miseriis, cuius eriam exemplum de conspersis puluere capitibus appositè citat D. Mercerus ex Iof. 7. 6.

Vers. 13. Et sederunt cum eo humili per septem dies & septem noctes,  
& non loquenti sunt ei quidquam, quod videret auctum esse dolorē valde.

Ad alia ~~opprobriata~~ testimonia quod hic adiicitur magnam vim  
habet, quia facile singi possunt illa etiam ab inimicissimis, ista vero  
septiduana apud lobum in tam fœrido statu perseverantia, mani-  
festè testatur nihil minus istos cogitasse quam quod postea euénit,  
nempe ut cum grauissimè offendarent, & penè in blasphemam des-  
perationem impellerent, quem tamen solari ex animo studebant.  
Neque tamen illos totidem dies ac noctes ieunios & insomnes il-  
lic persistisse existimandum est, quod ne de Iobo quidem ipso cre-  
dibile fuerit. Sed hac hyperbolica loquendi formula declaratur ip-  
sorum obstinata propemodum apud lobum perseverantia, ita ut  
apud eius stratum tot dierum & noctium longè maximam partem  
permanferint.

*Humi.* Nempe apud lobi stratum, non ut antea prosperis rebus  
diuitum more in decente cubili, sed in grabatulo prostratum.

*Nec loquunti sunt ei quidquam.* Idest penitus & obstinato silentio  
taciti manserunt, qua in re duo videntur necessariò diligenter in-  
quirenda: quid videlicet eos ad tam diu tacendum impulerit, qui  
ob hoc ipsum aduenerant ut eum verbis proculdubio & re con-  
solarentur: deinde quid ita silentes in animo versarint, tandem pro-  
culdubio priores ipsi silentium istud abrupturi, nisi Iobus ipsos  
anteuertisset. Est autem hæc utraque quæstio non tantum necessa-  
ria ut nouerimus unde potissimum sit factum ut tanta lobi constan-  
tiā in impatientiam sit commutata, & præpostera consolatio in a-  
sperrimam controversiam euaserit: verum etiam perutilis ut ex  
amicorum lobi errore quandam veluti consolationis methodum  
discamus: quæ nisi summa adhibeat, tantum abest ut assequamur  
in amicis consolandis id cui studemus, nempe ut in suis miseriis  
subleuentur: ut è contrario patientissimos quoque ad impatientiā  
et tandem etiā in rabiem adigamus: quod certè Iobo nostro, exul-  
tatuero Satana, euenisset, nisi primum quidem interuenisset Elius,  
ac tandem ipse Deus, extra ordinem, & ut in tragediis singitur ~~δρόμον~~  
~~μηχανήν~~ apparens, certamen omne auctoritate sua diremisset.

Causa igitur istius tam pertinacis silentij hæc adseritur in con-  
textu, quod isti viderent dolores lobi mirabiliter excrescere: unde  
satis intelligitur ipsos initio tacuisse, non tantum quod essent rei  
nouitate attoniti, verum quod expectandum censerent dum a-  
liquantulum saltem remittens dolor lobum redderet ad recipien-  
das amicorum consolationes attentiorem: minimè interim dissim-  
mulatis suæ in illum benevolentia testimoniis, haud secus quam si,  
(ut monet Apostolus, & vera flagitat amicitia) ipsimet in sece cala-  
mitatem istam experirentur. Hæc vero ipsorum neque prudentia  
in commodo tempore expectando, neque veræ ~~συμμαθείας~~ testimoniis  
culpari, sed laudari potius debet. Nam ut in corporis morbis  
curandis summatum ipsius ægrotantis ~~διάθεσις~~ habenda est ra-  
tio, tum

tio, tum diligenter consideranda sunt ipsorum morborum motio-  
nes ex dierum criticorum doctrina, sic in reprehensionibus & con-  
folationibus, quibus mederi morbis animi studemus, prudenter a-  
nimaduertendae sunt temporum quoque, locorum & personarum  
circumstantiae. Nec enim admonens Apostolus 2. Timoth. 4. 2. vt  
etiam loquamur, negligendum censuit quod alibi diserte  
præcipit, prioris ad Timoth. 5. 1. & alibi passim, suo nobis etiam  
exemplo præiens, vt qui factus sit omnibus omnia: sed falsam illam  
prudentia speciem damnat, quæ nos vel tantillum ab officio ab-  
ducit. Iunat autem etiam dolentes magnopere societas ipsa doloris,  
quod alioqui destitui nos, vel etiam despici a ceteris in nostris  
misericordiis videamur. Non est igitur propriè ab ipsis vel in illo vel in i-  
sto peccatum: sed in eo certè non parum, quod in neutro modum  
renuerunt. Verissimum enim illud est quod antea ex Gregorio cita-  
vimus, prudenter nimis esse dispiciendum, non tantum quida-  
gamus, sed etiam quomodo agamus, tum quoque quum agimus  
id quod agendum est, si rectum finem assenti volumus. Et insignis  
est illa quantumvis prophani poëtae sententia perulgata, sed à  
Pluribus tamen neglecta,

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines*

*Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.*

Quos elegantes versiculos meini me adolescentem Græcè sic ex-  
primere vixunque voluisse.

*Εγίνει μέτεορος μάλα δύσφορος, οὐδὲ παρέλθεις*

*Ηττόνη διξιρέπει, οὐδὲ παρουσίας οὐδὲ θυμοῦ*

*Δικαιοματικής, οὐδὲ τούτου πάρειας οὐδὲ φύσεως.*

Primum igitur, in ipso accessu nouitare rei sic percelli ut ne hisce-  
re quidē possis, an eius est qui ad alios consolados paratus adueniat?  
Adiicere vero postea tot acerbissimi luctus testimonia, perinde, ac  
si amicum non cum dolore cerrantem subleuare studeas, sed ut iā  
penitus prostratum & animam agentem, immōdīam velut sepclien-  
dum lugeas: quid aliud efficere in animo Iobi potuit, quam vt id  
in aliis etiam spectando quod in semetipso iam satis sentiebat, tan-  
tò altius intimis ipsis medullis ista infigerentur? Septiduum deni-  
que totum in hoc habitu apud ægrotantem filere, quid aliud fuit,  
quam Iobum ad desperationem adigere? & crescentem morbum  
tamdiu tacitum spectare, quid aliud fuit, quam stultissimum quem  
piam medicum imitari, adhibere remedia cunctantem, donec de-  
speratus sit ægrotantis morbus? Quod si plagam Iobο inflictam  
cernentes magis ac magis crescere, lethalem illam esse existimatūt,  
cur non illi unicum illud & certissimum aduersus mortis & diuinī  
iudicij terrorem, æternæ videlicet vita fœdus, statim & sollicitè in-  
culcat? Hic enim est verè, vt vetus dictum habet.

*Ψυχὴ νοσεῖσι λαγῆσι σοφῆς λόγος.*

Quid amplius? quam in ea ipsa calamitate Iobum tam quieto &  
parato silentio fortitudinem animi sui testari cernerent, annon po-

rius tantam illi constantiam in Deo gratulari debuerunt, quā in isto habitu & tot miserabilibus gestibus æquanimitatem ipsius frangere? Magna igitur & accurata tum morborum siue animi siue corporis, cum ipsorum ægrotantium obseruatione in hoc officij genere opus est, ut consolationes tempestivæ & utiliter adhibeantur, quam verè docet sanctus ille dux spiritus. Hac autem prudenter quoniam istorum sapientia destituta fuit, idcirco parùm absuit quin, perinde ac si Satanæ subseruite fuisset, illis constitutum, amicum penitus pessundederint, ad quem tamem subleuandum accurrerant. Et hæc quidem de priori questione & illius vfa haecenus dicta sunt.

Vt autem ad alteram accedam, quænam istorum mens fuerit in primo ad lobum accessu, partim ipsorum silentium, partim gestus demonstrant: percussos videlicet illos habuisse, apud se cogitantes vix fieri posse ut quisquam verè pius ac probus, qualem adhuc lobum fuisse crediderant, in istiusmodi misericordiam inciderent: & tamen iis testimonii convictos, quæ prius in lobo animaduertierant, iudicium hoc suum suspendisse donec magis ac magis crescere cruciatus istos cernentes, & lobo in sermones erumpente, desperat bundo potius quam vel micam sapientiæ habenti conuenientes, in illo suo peruersio iudicio confirmarentur. Nam alioqui si sola lobi impatientia, in quam ipsorum certè culpa erupit, ipsos offendisset, illa grauiter quidem, sed tamen prout cruciatuum magnitudo serrebat, repressa sermonem alio statim cōvertissint, perseverare potius illū in ea quam adhuc ostenderat æquanimitate, & de bonitate Dei suos nunquam deserentis bene sperate iubentes. At ipsi contraria, præuentæ cæteris Eliphazo, sic iuste reprehendunt lobi impatientiam, ut tursum dupliciter hic peccent. Primum quod sese non animaduertant illo septiduano silentio lobum antea suos cruciatus incredibili penè patientia tolerantem, ad hanc impatientiam adduxisse. Deinde quod asperius etiam illum increpant quām ipsius dolorum saevitia pateretur, qua de re postea lopus Eliphazo respondens conqueritur. Sed ista parui sunt momenti præ eo quod loca suauissimatum consolationum quibus delinire illius misericordiam oportuit, sic ad Dei misericordiam implorandum illum revocant, ac si cum homine sceleratissimo & insigni hypocrita, cui propterea Deus esset infensissimus, ipsis esset negotium. Hoccine vero fuit hominem optimè sibi, Deo ipso teste, consciū, solari, & in ea quā adhuc præliterat æquanimitate cōfirmare: ac non potius homini iam calamitosissimo nouas præterea tantò intollerabiliores molestias adiicere, quārò quibus suis corporis cruciatibus grauiores sunt conscientiæ terrores, ad quos illi lobum perducere studebant? Ad hoc accessit iustissima indignatio, qua non potuit non intimè vulnerari lopus, quom sese in sceleratissimorum hypocritarum numero censeri audiret: vt non tam sit admirandum potuisse illum tot machinis impulsum in hanc impatientiam prolabi,

labi, quām in hac ipsa impatientia modum aliquem sic tenere ut  
acque aduersus tam manifestos calumniatores in conuictia erup-  
tit, neque aduersus Dēum, sicut efficere conabatur Satan, furiosè  
& blasphemè insurrexit. Hac autem omnia idcirco pluribus ex-  
plicauit ut toti sequenti disceptationi lux inferretur, & lobum ne-  
que ab omni culpa absoluamus, nec grauius etiam quām pat sit ac-  
cusemus: quum Deus ipse certamen istud definiens sic lobum ar-  
guat, ut penè pro bonitate singulari sua dissimulato ipsius errore,  
culpam eorum in quibus deliquerat in tres ipsius amicos derinet,  
& suum illum athletam quasi pancratio victorem triunphali lau-  
rea coronet.

## In Caput Tertium προλεγόμενα.

Iobum adhuc audiuimus minime profecto immanni quadam duritia,  
sed fidei, & recte conscientie, cum summa numinis reverentia coniuncte  
velut umbone, sicuti monet Apostolus, omnia Satane ignita tela sic exce-  
pientem, ut impenetrabilis penè hactenus fuisse videri potuerit. Nunc au-  
tem eum non iam cun exteris illis hostibus à quibus impetebat, sed ser-  
cum luctantem audiamus, & i. quidem luctantem, ut perparum absit  
quā tentationis ponderi succumbat. Neque id verò mirum videri debet,  
quum in sanctissimis quoque sit reliquum carnis & Spiritus certamen: id-  
circo diuinitus in electis etiam, ut suo nos exemplo docet Apostolus, reli-  
quum, non ut pereamus, sed partim ne triumphum ante victoriā canamus,  
qua nihil est Satane optabilius: partim ut nostra imbecilitatis perpetuò  
consciū, non à nobis, sed à Deo pendere discamus. Denique ut quo diffici-  
lius & durius fuēt certamen, eo sit gloriose riorum victoria. Quemad-  
modum ergo quum terrenis armis inter se pugnant homines, non ex iis  
qua inter pugnandum & adhuc pendente Martiis d'λλοτροσίλλας alea,  
sed ex ipso deum exitu viciisse pars altera conseruit: neque imbellis aut  
ignarus fuisse dicitur, qui grauiissimè fuerit vulneratus, & pedem e-  
ram interdum retulerit victo similis: modo vires posita & animum re-  
sumperit: scilicet in isto spirituali confictu carnem Iobi audientes vchemen-  
tissima impressione in Spiritum inuestitam, non est quod propriea Spiritu n-  
guinis interdum grauiissimis vulneribus saucium carni succubuisse pu-  
temus: siue Iobum dampnemus vetricis impatientia, nedum blasphemia.  
Magnum est enim inter hac discrimen: neque impatiens propriè existi-  
mandus est quisquis summis corporis & animi cruciatiibus, (quales penè  
incredibiles sustinebat Iobus) totus statim continuo constantia tenore  
non resistenter, sed fortis etiam & constans fuisse existimandus est, in quo  
tandem superior euaserit Spiritus. Itaque sapientissime & appositissime  
nos admonet Iacobus. Jacob 5. II. v. in hoc Iobi considerando cerramine,  
non quidquid inter certandum gestum est, sed prius pugna exitum specte-  
mus: Deo videlicet constantem seruus suum intus faveante, & quamvis  
duriter ad nodum, nunquam tamē peccatus supra vires, quis illi opportu-  
nè subministrabat, tentari sivente. Et quis tandem sanctorum non est istud

expertus, si signatimque ab illis dicta factaque sunt consideremus? Peccat igitur sane caro in lobo, homo enim factus Deo tamen ipso iudice non quam carnificacubuit, sed quamvis non sine vulneribus, inter pugnandis acceptis, vicit in eo spiritus. Sic de ipso Petro, cuius fides nunquam permitus defecit, Christus loquens Iohann. 21. 18. postquam, inquit, servieris, tendes manus tuas, & alius te cinget, & transferet quod noles, significans quam morte glorificatus esset Deum. His enim certe verbis declaratur Petrum sic martyris paenam libentissime & constantissime pro Christo subiisse, ut tamen in illis perseverendo paenam in quibus Spiritus ipsius existabat, non defuerit caro a sensu mortis abhorrens, cum qua luctaretur. Et hæc quidem semel non in hunc tantum locum, sed in quamplurimos alios, qui deinceps nobis occurserunt, dicta sunt. Nunc autem quid hic caro loquatur audiamus. Dolet lobus, fremit, frendet, euulat: quod tandem usque progressurus nisi Spiritus impetum illius prohibuerit? Cerie in blasphemiam & desperationem, prout furum sperabat Satan, ruiturus. Et hic russum nobis hæc ipsa caro prudenter discernenda est. Nec enim peccat in eo lobus quod tantorum animi & corporis cruciatum sensu percitus vociferatur, quod ab ipsa est natura: sed in eo peccat quod omnes habendas dolori laxans, & veluti ad tempus seposita de Deo cogitatione, in qua tamen consistere illum oportuit, extra ipsos etiam humanerationis fines abripiuntur. Quis enim cum sapere ac non potius furere existimauerit, qui in diem suum natalem, siue illum ipsum iam præteritum quo natus fuerat, siue quotannis velut recurrensem conuicia coniecerit? Et tamen idem aut gravius etiam aliquid lerenia contigit leren. 20. 14. Ne multum ab hoc absunt nonnullæ Davidis in Psalmis querimonia. Eniguntur quoque nos facile vehementes illæ & effrenes animi perturbationes abripiant, quas Philosophi ratione cohiberi iubent, non penitus quidem interdum inutili, at minime tamen satis idoneo in leuisimis etiam tentationibus remedio, quod unus ille Spiritus Domini rationem ipsam illustrans, laborantibus nobis suppeditat. Non est igitur quisquam peccati expers, sed aliter peccant in quibus virtutis illa penitus regnat, siue qui facient malum quod toti volunt: aliter qui sic peccant ut clamet in illis Spiritus ipsos facere secundum carnem, quod secundum Spiritum nolunt, cuius rei exemplum illustre lobus hoc in loco & deinceps præberet. Quis enim illum in ipsa tanta mentis ipsius perturbatione non miretur, ut voculari quidem vel in uxorem vel in amicos tam imprudenter cum ipso agentes, vel in alios ullos, indignantium, vel patiens insanientium hominum more emulisse? & ut ex versiculo 20. apparet, Deo in mente ipsi veniente, carnem ab ipso esse non penitus, tamen consue in medio impetus fuisse repressam, ut istra lamentationis fines substituerentur. Quod animi interpretes Hebrai iniquissimè aduersus lobum sentiunt, alij quidem genethliacis illum annumerantes, quasi non prouidentes diuina, sed alicui malignarum stellarum positui suas istas calamitatem attribuerit, ideoque natalem suum diem, sit detestatus: atque planè

ly plane impium & blasphemum illum appellant: quum infra indicis ipsius Dei sententia redarguatur, sic non satis compositas, in quo etiam extra pietatis orbitam excurrentes Iobi voces reprehendentis, ut cum ramen ab omni impietatis & sceleris culpa absolvitur insignis Victoria laurea coronet, causa non est eur pluribus ~~ipso~~ refellamus.

Supersunt autem in hoc capitulo nonnulla a nobis expendenda, & quidem in primis illud queri non inepit hoc loco posse videatur, Num in Dei voluntate sit ita nobis penitus acquiescendum in quibusvis patienter perferendis, ut quae semel facta sunt, opeare fuisse infecta, aut aliter facta, sine peccato non possumus. Respondeo tantum abesse ut eiusmodi optata simpliciter & in genere habenda sint pro peccatis, ut & contrario grauer interdum peccemus, nisi plurima qua vel a nobis vel ab aliis quibuscumque facta sunt, etsi infecta fieri amplius non possemus, tamen nunquam facta fuisse summis votis desideremus. Nec enim alio spectat vera ante altam vitam suam condemnantium resipientia: & eod nos Deus ipse deducit quoniam ingrati Israëlis peruvicaciā post afflictas etiam pœnas his verbis per d. Sp. non addebat deplorans Psal. 81. 14. O si, inquit, populus meus auscultasset mihi, si Israëlitæ in viis meis ambulasset. Ex his autem ipsi Deo attributis verbis facile est intelligere quatenus ipsam quoque Dei Opt. Max. in hoc uniuerso mundo administrando sapientiam considerantibus nobis optare non sit nefas quidpiam aliter contigisse: quatenus videlicet disflictent nobis illa quibus ad exercenda iusta & severa sua iudicia provocatur: sic tamen ut in eo quod ipsi placuisse videamus libenter acquiescamus, tum quoque quum non tantum prorsus ignorata nobis est ipsius consiliorum & cœnuntur que inde consequuntur ratio, sed etiam quum videtur insanienti nostre sapientiae Dominus aliquid gerere quod ipsius natura prorsus repugnare censerent qui velut apud sue rationis tribunal illum sisunt. Peccant ergo in eiusmodi optatis, & potissimum qui ad diuinæ in regendo mundo administrationis, tum in genere, tum specialiter in his vel illis rerum eveniis considerationem, adserunt prauidicia ex humana arrogancia penit de prompta: quibus impulsū in Dei iudicia temere inquirunt, & non inuenientes quod ipsis satisficiat, ab eiusmodi prophana prorsus audacia in manifestam impietatem ruunt: cuiusmodi exempla passim in sapientum huius seculi scriptis, omnium generum extant, quos verè scribit Paulus ērōiōs ēautōr dīkoyōs patawibūvai. Nec aliunde ferè exortae sunt & adhuc exoriantur ēēdō-Spōneiā & hereses, quibus Ecclesia exerceri non desinit, quām ex eo quid homines non tantum aperie curiosi & ambitiosi, sed etiam seipso falsa religiose conscientie specie fallentes, omnia tum humana tum diuina ex suo sensu metiuntur, non minus in stabilieris suis formis, quām in iis que sibi non placent moribundis, ne Deo quidem ipso excepto, projectam suam audaciā demonstrantes. His autem minimè sunt accēndi, qui nec prophana curiositate, nec constitutis apud se prauidiciis, si quid in operibus Dei quotidianis occurrat, quod ipsis

scire sua vocationis intersit, cuius causas sic ignorarent, ut hac ignoratio suspensas eorum mentes teneat, religioso affectu ducti, in huiusmodi cogitationibus in primis verbum Dei consulunt, ex quo Dernow in huiusmodi rebus diadicandis erudisantur: deinde, ut ex illarum Doctow recta ex Dei verbo cognitione vere in Dei timore statuere de occurrentibus hypothesibus possint, & quid hic sibi sit agendum intelligere, si de ipsis agitur, suas ipsorum conscientias scrutatur: sin vero de aliis queritur, sedulè & absque via causas peruestigant, unde sit ortum illud de quo disceptatur. Quod si ne sic quidem inueniant in quo conuiescant, illud tamen semper retinent, quod est quodcumque esse Deum Opt. Max. cuius voluntas, siue nobis patefacta, siue occulta, sine exceptione, si nobis adoranda. In miseriis autem presentibus siue nostris, siue aliorum, siue publicis, siue priuatis, conceditur etiam nobis nostram sorori deflere, lamentari, dolores denique nostros in ipsius etiam sinum deponere, & eoram leuationem à Deo flagitare: sed illi adhibitis exceptionibus, ut neque ex animi mollitie, neque ex prophano erro afflu, & quasi cum Deo contendere velimus, ista querela profiscantur: sed animū semper afferamus ad patienter ferenda quacunque nobis fuerint ab ipso imposita comparatu. Hanc autem doctrinam quoniam pluribus exemplis illustrare longioris fuerit operis, sufficiat nunc nobis in hoc Iobi exemplorem istam spectandā proponere. Injustissimus omnium hominū Iobus, euadit repente, idque ex Dei decreto, omniū hominum calamitosissimus. At qui non tantum humana ratio, sed ipsa etiam Dei iustissimi natura necessario videtur flagitare ut bona bonis, mala malis tribuantur. Hoc itaque substrato fundamento concludunt quicunque Iobum in illo miserrimo statu intuentur, oportere, ad hoc ut Deo iustitia salua maneat, nullum tunc fuisse inter homines Iobo sceleratiorem, quitamen pro nomine sanctissimo & iustissimo semper habius fuisse. Hinc si ut ab omnibus ipsum circumstantibus arguitur, quorum alij, de quibus Iobus pāsim conqueritur, ipsum ut perditissimum hominem insectantur: alij aquiores, ut ipsius uxor, & tres illi ipsius amici, de ipsius quidem vita, at non de ipsis salute desperant: & quum eum videant nulla suorum peccatorum mentione facta, nihil aliud quam animum sibi optimè conscientem testari, sibi in eos sunt ut illum, ab hac sua innocentia opinione, abductum, ad condemnandam ante altam vitam suam, & cum insignis simulationis suæ testatione petendam à Deo veniam pertrahant, quæsuperst illi unitæ liberationis ratio. Ad huc autem Iobus, et si hominem se quidem ac proinde peccatorem agnoscens, tamen optimè sibi conscientiam nullam in se residere, cursecum Deum tam inclementer præ ceteris hominibus ageret, initio quidem Deum non desinit, quantum liber reclamante stultia humana ratione, ut iustum, aequo, placidoque animo laudare. Tandem vero mirabiliter auctis doloribus, & amicorum septuagano silentio, quasi nihil opus esset sibi in posterum à Deo expectandum, vehementer exacerbatus: atque adeò iam tum in animo versans quā fieri posset ut sic eum Dominus præ ceteris hominibus persequeretur: & tamen ne tum quidem finistri quidquam de Deo sufficatus, diras istas terribiles effudit.

Ante-

Antequam autē Iobum ipsum sic ciuilantem audiamus, querendum etiam nobis in hunc locum videtur, quatenus & quibus de causis mortem praeoptare vita liceat, ut quatenus hac etiam in re Iobus inira mundum sese non continuerit intelligamus. Est enim certè hac vita diuina benignitatis opus, quod afernari mera fuerit insania. Mors autem, ut est à peccato profecta, sic est nature ipsius hostis, & videtur exhorrescenda, utpote quam ipsi quoque sanctissimi homines, ut David & Ezechias sunt deprecati, ipséque adeò Christus omnis labis expers, mirabiliter exhoruerit. Istud tamen si simpliciter valere dixerimus, nihil profecto viuis nobis fuerit hac vita optabilius, nihil morte formidabilius. At istud certè sic statui non potest quin vniuersa ~~et~~ vera Ecclesia in hoc mundo peregrinans, & ad meliorē illam anhelans, immo sic viuens in terris ut iam nūc sit ipsius solitaria in cœlis, apertissimè nos redarguat: atque adeò quin quidquid egregie inter homines geri absque vita contemptu nequit, abrogetur. Verum est igitur quod de vita & moris origine diximus: sed duo sunt hic nobis obseruanda quæ huic ipsarum origini superuenient. Factum enim est per peccatum ut hac vita in quiddam miserium & calamitosissimum euaserit, quam postea mors prior excipiens, corpori quidem nonnullas inducias concedit, id est doloris vacuitatem, quam tamen ipsummet non sentiat: animam autem iam tum ad horrendos cruciatus transmittit, donec altera mors perpetuis pœnis virumque adiudicet. Et hac quidem est omnium hominum fors communis, iis demum exceptis quorum misereri Deus pro immensa bonitate sua in Christo Servatore nostro decreuit. In ipsis igitur manet quidem presentis vita miseria sed ipsorum commodo, sine sic illos Deus paterna ferula castiget: sine sic eos exerceat, partim ne ipsos fallat istius mundi σχῆμα partim ut in ipsorum infirmitate virtus ipsius sese demonstret, aeterna tandem beatitate victores suis athletas coronatur. Manet quoque in ipsis mortis prioris necessitas, & ea quidem, quando, & quibus ipsi libuerit mo- 1 D<sup>o</sup>c<sup>o</sup>dis, subeunda: at non quasi ab ipso irato, sed potius ut à summa benevolo proficiens: quum anima quidem ad aeternam felicitatis degustationē transmittatur: corpus vero, licet exanime & putre in puluere iacens, mors ipsa, contra sui naturam, quasi commissum sibi depositum seruet, ultimo demum die per beatam tandem immortalitatem penitus absorbenda. Iстis autem positis, quæ certis & expressis diuini verbi ac huic etiam nostri Iobi testimonii probantur, illud efficitur: miserrimam quidem esse priorū illorū tum in vita tum in morte conditio, sed esse tamen illis morte vita optabiliorē. Quanto enim est illorū vita longior, immo quanto voluptatis omnibus affluentior, tanto grauiores illos excipient, aut in ista, aut in alia, aut in utraq<sup>z</sup> vita miseria: & hoc saltem beneficium morte priore consequitur, ut ad ipsis doloribus corporis careat. Immo, auctore ipso Christo, satis illis fuerit nunquam extinisse, quanvis arguit potius quam solidè à nonnullis disputetur, prestare potius miserum esse quam non esse. Quod autem contra usum enire videmus ut istis nihil sit ista vita charius, ipso rum insania tribuendū est, qui commodorum huius vita fascino demen- tati, quid sit ipsis postea futurum non cogitant: quorum alios vide-

mus bestiarum instar tum viuere tum mori: alios, si qua grauis calamitas ipsos inuadat, cum miserrimis simul & vanissimis ciuitatibus vitam imitatos amittere: alios vi dolorum superatos, vel exercefacta tandem conscientia terroribus prostratos, in eam ipsam mortem quam tantopere exhorruerunt pra desperatione precipites ruere, quod suas miseras somnięt huius vita fine terminari. Contrà verò suauis est ijs tum hec vita, tū etiam ipsa mors quos viuentes Deus vera sui notitia illustratos sancto suo Spiritu sic viuentes regit, ut neque prospexit efferantur, neque frangantur aduersis, & ex hac vita quādō & quomodo ipsi libuit excedentes, certissimam mox sequitura beatim mortalitatis p̄f se totos perfundit, ut haud secus exultent quām mercenarius quispiam occidente Sole paciam mercede recepturus, & domi quieturus: & qui diutius maximis cum periculis & laboribus peregrinatus, ut de suo Vlysse non ineptè, quanvis in aliam sententiam, fabulatur, Homerus domus sue famum intuetur, in qua sit deinceps optatissima quiete fructurus. Est igitur illis, ut modò dixi, tum vita, tum mors incunda: sed mors tamen quām vita oportabilior, non sanè incommodorum huius vita tadio, (quarū moderatè quoque à Deo & cum bona ipsius venia sic mortem postulare minimè sit perse vitiosum) neque propriè quod sint in suum ipso rūm commodum intenti, (hoc enim esset non Deum propter se, sed semetipsum amare, quod ne in amicis quidem nostris ipsi probauerimus) sed partim ut ab ista raro misera peccati seruitute semel toti manumittantur, ut nos Apostolus exemplo suo docet Rom. 7.24. partim ut proprius eum videant, & rectius colant, ad quem tota vita anhelarunt, eiusdem Apostoli exemplum sequuntur Philip. 1.23. Que quum ita se habeant, superest ut proposita exempla contraria explicemus, ac deinceps quatenus modum in hoc desiderio non tenuerit Iobus, ostendamus. Quod igitur attinet ad exempla Davidis Psalm.6.6. & 30.10 & 115.17. & Ezechie, Es.38.18. si quis attente expendat in quo statu versarentur illi quum vitam peterent sibi non eripi, comperiet eos non tam mortem quām iram Dei, quem sibi tum infensum experiebantur, fuisse deprecatos. Quid enim est morte cum ira Dei coniuncta terribilis? Deinde constat etiam illud ex iisdem locis, illos ad eas concipientias preces celo Dei gloria in Ecclesia promouenda fuisse impulsos, & consue exerceendas tam necessario tempore vocationis studio inflaximatos, ut sue ipso rūm salutis adipiscenda moram facile ferrent, ad Ecclesiam iuandam intenti. Quid enim aliqui fuisse illis optabilius, quam ut in cælestē illa ciuitatem, ad quā rotis animis adspirabant, quām cœlerrinē reciperebūt? Hebr.11.16. Itaque Helias existimans se unum superesse, & de Israëlitica Ecclesia prorsus actum esse, tantum abest ut moriē deprecetur, ut contrà nullas iam in terris suas partes esse credens, illam suam is votis exoptet: non simpliciter huius vita tadio, sed quod amplius inter prophanos Dei contempiores viuere non sustineret, 1. Reg. 19.18. De Ieremia verò & Iona mox dicemus. Ad illum autem Christi dico quod attinet, quo nihil unquam terribilius coniigit, peculiaris fuit illius ratio nobis etiam atque etiam consideranda. Nec enim Christus in illa vehementissima & quidem ter repetita moris deprecatione, vel initum

nitum se mori testatus est (quis enim illum nolentem cogere potuit? &  
 si verum istud esset, non essemus ipsius ad crucis usque mortem obediens  
 seruati) sed quiescente ad tempus in ipso Deitate, sicut scilicet loquitur Iro-  
 neus, & sensibus carnis quantumvis ab omni labe & inicio immunis, in  
 horrendo illo Dei patris iudicio quod iam tum subibat penitus occupa-  
 tis, in illam petitionem erupit. Nec enim mortem simpliciter exhorruie  
 qui per se etiam sum & absoluissimum est omnis vere fortitudinis exem-  
 plar, sed ratapav illam reformidauit ipsius caro, ex qua nunquam etiam  
 saluus cuasi fuisse, ne dum ut nos inde posset eripere, si duntaxat homo, vel  
 etiam si Angeli quoque natura praedius fuisset. Timuit autem ipse ad  
 tempus sub illo pondere quo nihil est terribilis aut gravius, ut vos mor-  
 tem timere desineremus, quam sic etiam vicit, ut in hac ipsa illius morte  
 vitam queramus & inueniamus. Superesse opinor ut ad Iobum ipsam ac-  
 cedamus, quem certè negari non potest multipliciter sed humano tamen  
 lapsu in hoc voto peccasse. Sunt enim hac non à constante & sedato ani-  
 mi iudicio profecta, sed à magnitudine doloris mentis & fidei luminibus  
 ad tempus officiente, expressa. Quod entim ab his iantiis malis non nisi  
 morte liberari se posse sibi persuadet, eius est qui diuina potentia vim non  
 satis expendat: quod se potius vel nunquam natum, vel simul natum &  
 mortuum fuisse mallet, hominis inconsiderati & tot acceptiorum benefi-  
 ciorum, atque adeo suipsius, & insignis illius apophategmatis oblii. Si bo-  
 na suscepimus à Domino cur aduersa non sustineamus: quod hanc li-  
 berationem optat quidem, sed à Deo non exposcit, animum ostendit peni-  
 cus perturbatum: quod in his optatis sue duntaxat quietis ratione habet,  
 & eam sibi morte obuenientia arbitratur, nisi, sicut postea audiemus, con-  
 trarijs eiusdem Iobi vocibus refelleretur, penè violerentur ei conuenire qui  
 se, & respiceret, atque adeo qui nihil hominis à morte superesse  
 cum Epicureis sentiret. Sunt tamen hac omnia, sicuti modo dixi, huma-  
 nae imbecillitatis, ut tandem agnoscentem ipsum Iobum audiemus. Quod  
 si tanti viri tanta fuit infirmitas, queso, quanta sedulitate nobis qui tam  
 procul adhuc ab ipso absimus, precandus est noctes & dies Dominus, ne  
 nos in tentationem inducat, aut cupiditatibus nostris traditos deserat?  
 Ad Ieremiā denique quod attinet, videri quidem possit, quanvis non  
 tam multis verbis, tamen asperius etiam quam Iobus loquutus quis, vo-  
 ces viriusque inter se conferat: Sed in eo longè maximum est discrimen,  
 quod Iobus suam unius priuatan causam agit, Ieremias autem Dei glo-  
 riā in suo ministerio contemnifere usque adeo nequit, ut modum in ex-  
 postulando non teneat. Iona quoque idem accidit, non de sua certe e-  
 xistimatione sollicito, sed verito ne quid de Dei veritate & proph-  
 etici munieris auctoritate deceperisset: Est igitur uterque profecto sicut  
 de gloria Dei promouenda summo studio valde laudandus, ita in hoo  
 reprehendendus, quod quum satis ipsis esse debuerit diligenter minis-  
 terio suo defungentibus, exitum Deo committere: sicut oīusque pro-  
 gressi ut melius quodammodo se Dei gloria quam Deum ipsum cauere  
 sint imaginati. Sic quoque peccantem Petrum Christus tam acriter re-  
 prehendit, ut aduersus nullum in usus acriore increpatione videatur, illum

à se iubens faceſſere, & Satanam illum appellans. T'anti eſt momenti non modo quod per ſe malum eſt vitare, verū etiam caueſe ne propositus bene agendi ſtudio grauiter peccemus: quod ſi ſatis diligenter & accu- ratè iampridem à permultis alioquin magnis viris fuifet obſeruatum, non ita miſerè fuifet & Christiane fidei puritas inquinata, & Eccleſia facies tota deformata.

## CAPUT III.

Vers. 1. Poſthæc aperuit Iob os ſuum & maledixit diei ſuo.  
2. Clamauitq; Iob, ac dixit.

Tum verò lobus silentium iſtud abrumpens, atque a- deo elatiſſimiſ clamoribus quantopere premeretur de- clarans, ſeſe tam miſera ſorte & conditione natum eſſe verbis iſtis lamentari cœpit, & quas doloris magnitu- do voces iſpi ſuggerebat, in iſum diem natalem ſuum euomere.

3. Periuiſſet dies quo ſum natus, & nox que dixit, procreatus eſt vir.

Vtinam verò dies nunquam extiuiſſet qui mihi fuit huius vitæ initium: neque nox in qua renuntiatum fuit vitrum editum fuiffe in lucem.

4. Dies illa ſt caligo, non requirat illam Deus ſupernè: nec ſplendefat ſuper eum lux.

Vtinam diem illum tam inauſpicatum recurrentem totum occupent tenebræ, nec cum Deus ē cœlis in ex- terorum dierum numero recenſeat, nullus, inquam, lu- cis radius iſum illuſtret.

5. Polluant cum tenebrae, & umbra mortis: commoretur ſuper eum: nubes: terrifient illum ſicut terrentur amari die, iedēt, quibus amarus eſt lucis conſpectus.

Caligo & umbra tam obscura quam eſt iſpa mors diem illum occupans, quam ſit ille funeſtus oſtendant: nubes illum operiant, & tam exofum & detestabilem reddant quam illis eſt lux inuisa quibus acerba & ama- ra eſt vita.

6. Noctem illum occupet caligo, ne gandeat inter dies: in nu- merum Lunarum (iedēt mensium) ne veniat.

Nox illa omnis prorsus quantumuis tenuis claritatis fit ex-

fit expers, neque hoc obtineat quo reliquæ noctes frumentur, nempe ut diei sequenti accenseatur: & ne explendo monstruo Lunæ curriculo vlo numero adhibetur.

7. Ecce, nox illa sit solitaria, nec veniat in ea exultatio.

Iam iam, iam nunc inquam, nox illa nihil aliud est quam tristissima solitudo: nec ullus in ea qualis conuiuiorum & nuptiarum mos esse consuevit, cuiusquam cantus audiatur.

8. Exearentur illam qui maledicunt diei: qui parati sunt exercitare lamentum suum.

Exearentur illam inter cæteras quibuscumque inuisa lux est, & qui lamentari nunquam desistunt.

9. Obtemperentur stellæ crepusculi ipsius: expectet luce & (ea) non (existat) nec videat palpebras aurora.

Caliginosum sit ipsius in euntis crepusculum: & per seuerantibus in eæ tenebris, frustra alterum extremum, diluculum videlicet, & stellam Deinuntiam nunquam ipsi superuenturam, expectet.

10. Eò quod non clausit fores & (non) abscondit ærumnam ab oculis meis.

Quod non occluserit uteri materni fores, & me sicut nascitur tantisque ærumnas experturum.

11. Quare non à matrice mortuus sum? quare non ab utero ei- scini & expirauis?

12. Quare me præuenerunt genua, & quorsum ubera visu- gerem?

Ehic tunc non potius interij ex quo fui in utero ma- tris conceptus? cur non simul ex utero sum egressus & mortuus? 12. cur hascenti occurrentis obstetrix genibus suis me excepit? quorsum mihi in tanta calamitate morituro præbita fuerint ubera quæ sugerem?

13. Nunc enim iacens dormirem & quiescerem: dormirem, inquam, & iam tum mihi quies obtigisset.

14. Cum Regibus & gubernatoribus terra qui adificant solitu- dines. 15. Et cum principibus quibus est aurum, & qui replent domos suas argento.

Nunc enim pro eo quod intolerabilibus miseriis ve- xari non desino, quiesceret hoc meum corpus in sepul-

chro iacēs, & iam tum somno mortis fruēs, quanuis breuissima vita functus, tamē quiete iā tum esse potitus, Regibus & potentibus terrarū principibus, qui suæ potentia monimenta reliquerūt tot arces, locis etiā desertis & incultis maximo labore extructas: & principibus auro & omni opum copia illustribus, nihilō inferior.

16. Aut sicut abortiuus abditus, non existerem sicut paruuli qui lucem non aspexerunt.

Aut in ipso utero matris latens, nec inde egressus, nunquā extitissem: iis videlicet fœtibus abortiuis similis qui lucem nunquam aspexerunt, nedū vt tam miserā & calamitosam vitam esse expertus.

17. Illic improbi cessant ab incutiendo terrore, & illic quietescunt fessi, robore.

Quanto autem est optabiliōr quam vita, quies ista quam morientes assequimur? Nam in sepulchro quietentes nullus sceleratus obturbat, quem iij ipsi qui dum viuunt nullam ceteris quietem concedebāt, & in aliis opprimendis omnes vires suas exercebāt, tunc delassati conticescant.

18. Pariter vincitī tranquilli sunt, nec audiunt vocē exactoris.

Illic securi sunt nec sibi timent ab exactoris minis & verberibus qui simul in ergastulis vincitī miseram vitam in compedibus trahebant.

19. Parvus & magnus illuc est, & seruus (est) liber à Domino suo.

Illic mors magnos parvis & paruos magnis exæquat illuc nullum est inter seruos & dominos discimen.

20. Cur dat erumnaos lucem & vitam amaris animo?

21. Qui expectant mortem & (ea) non (adest): & scrutantur eam ex latebris?

22. Qui letantur exultatione (&) gaudent quum inueniunt sepulchrum?

23. Viro (inquam) cuius vita abscondita est, & texit Deus circa eum (id est, quem Deus undique circumuallatum tenet.)

20. Ceterum hoc quidem ego non inficio, hanc vitam per se eximium esse Dei conditoris donum, si modò unipiam simul tribuatur illius fruenda facultas. Quorum autem illam dixerim cuiquam ipsius commoda conce-

concedi vel protogari, quæ sit ipsi perpetuis in æruminis & assidua métis anxietate transigédat? 21. cui nihil sit acerbius quam quod viuendi finem non inueniat, quantumvis non minus sollicitè expetitum quam thesauros ex imis terrarum latebris nonnulli scrutantur.

22. & cui contrà nihil fuerit reperta morte iucundius?

23. cui deniq; diuinitus vndiq; circumuallato, nihil opis, nihil cōsilij suppetit, nullus ad euadendū exitus patet?

24. *Nam ante panem meum, susprium meum venit, & fluunt sicut aqua rugitus mei.*

Et mea quidem talis est conditio, ut qui ne degustare quidem cibum possim quin ante uertentibus me suspiriis præpediar. Nec ullus est rugitum meorum instar fluii ex imo pectori scaturientium finis.

25. *Nam pauorem expauit & aduenit mihi: & quod verebar obuenit mihi.*

26. *Non fui securus, nec requieui, tamen aduenit commotio.*

Et quid aliud agerem? quod enim quum essent tam prosperæ res meæ potissimum reformidabam, & quanta maxima poterat fieri solitudine cauebam, nempe ne mea culpa in aliquas miseras inciderem, id ipsum video mihi euenisse.

Et quanuis florentibus rebus meis, neque securè egerrim, neque sim eos imitatus qui bonis illis freti in vträque aurem dormiunt, tamen ista quæ nunc totus exagitor calamitas mihi superuenit.

### SUMMA ET DISPOSITIO CAPITIS IIII.

*Hactenus amicos Iobi legimus suo ad leuandam Iobi miseriam minime idoneo silentio valde illum exasperasse, ut ex superiori capite apparet, & ut infra cap. 6. 21. diserte testatur. Nunc autem Eliphazum gravissime sequentis disceptationis initium facientem, neque, sicut deinceps, inmoderatas illas Iobi querimonias temperantem, sed illum acer- rime pungendi occasionem inde valde imprudenter arripiuent audierunt: ut per eum, & reliquos duos ipsius accusatiōnēs subscriptentes, non stererit quominus tandem Iobus iniquissimis eorum calumniis oppressus, in desperationem planè & prorsus rueret. Non erat tamen, fateor, hoc illis propositum, ut qui è contrario hanc unius preesse rationem erigendi amici existimarent, si ad detestandam antea tam suam vitam, & petendam à Deo veniam illum perduxissent: sed quin falsa hypothesis niteren-*

tur, mirum non est nihil proprius esse factum quam ut eum perderent quoniam tamen seruatum maxime cupiebant. Itaque non semper verum est illud Terentianum, Facile, quum ualemus, recta consilia agrotis damus. Nec enim (ut in hoc exemplo tristissimo animaduertimus) satis est ad consolando alios beneuolum animum adferre, nec etiam quod in genero rectum est proferre: sed duobus in primis hic praterea nobis opus est: nemppe, ut quod in corporum morbis periti medici sedulo faciunt, morborum animi veram causam, non ex temerariis praindictiis, non ex quibusuis coniecturis, non ex communibus, sed ex propriis signis per noscere studeamus: ac tandem habita, quo ad eius fieri potest, cum ipsius agrotantis, tum circumstantiarum loci ac temporis ratione, vel aeterni saccaro, velsaccarum acetos sic temperemus, ut si minus succedat cunctus, penes agrotantem non penes medicum sit culpa. In illis igitur prioribus duobus nullam reprehensionem, sed laudem merentur lobici, qui ad illum in tanta calamitate currentes, vere illum à se diligenter ostenderunt: & de peccatorum agnitione, & seriare respicientia, de Dei sapientia, potentia, tremendis aduersis contumaces iudicis, immensa in respicientes clementia, sapientissimè ac plane diuinissimè sunt concionati: sed in posterioribus duobus, id est in hypothesi persone lobici grauiissimè sunt hallucinati, quod in Eliphazi oratione duobus istis capitibus sic demonstratur.

Primus huius capituli quarti versiculus exordium continet asperitatis plenum, ac proinde nec persona lobici, neque illi tempori conueniens. Nam prebebant quidem ille lobici immoderata & incomposita querimonia iustam reprehensionis occasionem, sed qua à commiseratione non ab indignatione profisceretur.

Versiculis 3. 4. 5. 6. sic argumentatur. Solebas alios maxima cum pietatis laude in grauiissimis calamitatibus erigere, nunc vero non modo ubi non adhibes que suggerere alii consueueras, sed etiam animo totus condidisti. Ergo scititia fuit haec tua pietas, nec Deum serio & propter se, sed propter tua uniuersa commoda respiciens coluisti. Paralogismus à non causa ut causa. Quod enim à magnitudine doloris profisceretur impietatis tribuit:

Versicolo 7. Nunquam (inquit) vere iustos & probos perdit Deus, ut secum agi lobici vociferatur, & nos oculis nostris intuemur, Ergo scititia fuit omnis ista lobici integritas. Falsa est assumptio. Nec enim lobum perdere quantumuis afflictum Deus constituerat, sed de Sarana potius per eum triumphare, ut potius sic argumentari Eliphazus debuerit. Deus nunquam perdit probos vere iustos & integros, qualem esse lobum an realta ipsius via probat. Ergo bono & forti animo lobum esse oportet: nec iustus querelas iudicio mensis effatus est, sed sub pondere tanta calamitatis laborans effudit. Subleuandus ergonobis est & erigendum:

Versiculis 8. 9. & 10. sic ratiocinatur, Qualis est inter id quod scribitur, & id quod meitur conuenientia, talis etiam est cōsensus inter virum cuiusq; & iudicium Dei, quo iustos beat sceleratos autē, sicuti digni sunt, male perdito. At Deus sic agit cum lobo ut cū sceleratissimis consuevit. Nō fuit ergo lobus quartus.

bus qualem illum esse existimauimus: sed ut omnium hominum calamissimus, sic etiā perdiuissimus. Iterum autem falsa est hypothesis, in qua calamitatum huius vita causa unica statuitur, hominū vide licet peccata & Dei odium. Quum enim peccata sint sum bonis sum malis comunes, immo plerumque in huius vita curriculo plures & grauiores calamitates, interdum ad mortem usque experiantur boni quam mali, sicut perpetua docuit experientia: consequitur falsissimam esse illam Eliphazi conclusio nem: sed verissimum esse quod assertit Ecclesiastes, nempe ex presente huius vita statu vel prospero vel aduerso, constitui de amore vel odio Dei proprio non posse.

A versiculo II. a. uolum usque profert visionem sibi diuinitus oblatam, sed quenlibet aduersus Iobum faciat. Nam ex illa colligi quidem illud potest ac etiam debet, nihil esse hominem si cum Deo conseratur: & inuentur semper esse Deum in quois homine quod vel non probet, vel etiam vindicet. Atqui quassio non erat de ipsis instituta, sed de his potius. An non nisi propter peccata Deus calamitates homini bus imminat: & , An ex magnitudine misericordiarum in quibus aliquis versetur, sit de ipsis moribus & vita iudicium ferendum. Facit hic igitur Eliphazus quod Sophistae solent, ματαθάλλω τὸ γένος.

### S U M M A E T D I S P O S I T I O C A P I T E S V .

**C**apite vero 5. usque ad versiculum 7. desinentem, appellat Eliphazus testes sui de lobo iudicii sanctos omnes: & indignissime lobo obtrellans, quotidiana experientia probat, sic Deum agere cum ipso, ut consuevit sum sceleratissimis, quos ad tempus florere & se attollere patiatur, tanto grauiore casu postea rusturos. Sed quotsum hoc ad Iobum? Probandum enim erat quorum similis sit miseratus, eorum similem fuisse vitam, ut valeret illa aduersus Iobum conclusio. Atqui non illud modò, sed istud quoque falsum est: similiter esse statuendum de odio vel de amore Dei in eos quorunq; ut similis fuit vita, sic similis atque adeò par sit miseria. Contrarium enim ex infinitis exemplis quotidiani liquet, ac praesertim ex duobus illis latronibus propriis flagitiis amissione viam eodem pœnae genere in cruce affectis, quorum unus ex Dei gratia per Crucem ad eternam vitam ascendit, alter per instrumentum Christi iudicium ex Cruce ad eternum exitium descendit.

Positis autem illis, concludit Eliphazus unicam salutis viam lobo superesse: nempe ut omisis istis lamentis, de penitentia cogitet, quæ peccatorum ipsius multitudini & magnitudini respondet, quum frustra & non nisi in suam perniciem summae Dei iniusticie potentia reludentur contumaces. Nam è contrario tantam esse Dei erga resipiscentes peccatores clementiam, ut quantumvis prostritos facile possit erigere. Hoc igitur reipsa expertum Iobum, quantumvis desperatisima ipsius vita videatur: si modo sibi tandem sapiat, & reclamantibus assentiatur. Sunt

autem hac omnia verè quidem & sapienter & religiosè dicta, sed ut illa etiam superiora, ineptè prorsus ad Iobum applicata.

## CAPUT IIII

1. Respondit Eliphazus & dixit.

Tum rupto quoque silentio Eliphazus, natu & auctoritate maximus trium illorum Iobi amicorum, his verbis Iobo respondit.

2. An assunemus sermonem ad te? molestè feres. Verum cohære verba quis posse?

Evidem neicio an tecum sit à me disceptatio instituenda. Nam si id fecero molestè feres. Sed hoc tute tibi imputato. Quis enim te sic loquentem audiens, continere se tacitus possit?

3. Ecce erudiuisti multos, & manus languidas corroborasti.

Quæso verò, vnde tanta ista & tam repentina mutatio? Nam ecce quām multos antea correctionibus tuis sapere docuisti? Tu is es qui animum despondentes corroborabas.

4. Concedentes erigebant sermones tui, & genua titubantia confirmabas.

Erigebas labascentes, proximos ruinæ sustentabas.

5. Quum nunc ventum est ad te, succumbis: quum peruentum est usque ad te, percussus es.

Nunc verò quum hoc ipsum ad te peruenit, in quo solitus es aliis animum addere, succumbis oneri: & ut de te ipso agi coepit, iaces percussus & consternatus.

6. An non timor tuus (erat) fiducia tua: & integritas viarum tuarum expectatio tua?

Arguit igitur res ipsa, tuum istum offendendi Dei metum, quo te fuisse prædictum modò iactabas, & qui tam subito in te euanuit, non ab ipsis Dei timore, sed inde profectum quod ita demum fore restuas saluas confidbas: nec te alio animo integratatis vitæ speciem prætulisse, quām eius quam inde sperasti utilitatis expectatione.

7. Recordare, quæso, ecquis innocens fuerit qui perierit, & ubi yeccl̄i fuerint excisi.

Et ne

Et ne fortè me falli hac in re existimes, ecce te ipsum  
tibi iudicem fero. Vidēris ipse tibi periisse. Repete om-  
nium exemplorum tibi perspectorum memoriam, &  
quempiam iustum, qualis tu videri vis, ex tam multo-  
rum numero profer, si poteris, quem Deus pessum dede-  
tit, & ullum integræ virtutæ hominē sic funditus excisum.

8. Sicut vidi arates scelus, & seminates molestia, ipsam metere.

9. Halitus Dei percunt, & flatu ira ipsius in nihilum abeunt.

10. Rugitus leonis, & vox leane. & dentes catulorum enst-  
buntur.

11. Leo maior perit, quod non sit ei præda, & cattuli veteris  
leonis disperguntur.

8. Contrariū enim ipsa nos ratio & experiētia docet eos  
videlicet qui ad quodvis scelus admittendū sese com-  
parātes, noxas aliis ferunt, eas ipsas fibi tandem metere.

9. & 10. Sic pereunt etiam tanquam numinis halitus pro-  
strati & eius flatu in nihilum abeunt, istorum non tam  
hominum quam immanium leonum rugitus, & prædæ  
inhiantū leænatum tremitus: catulorum etiam ferociū  
dentibus elisis. 11. Quinetiā rapacissimi quiq; leones  
isti, prædæ inopia, leunculis hac illac dispersis, intereūt.

12. Et ad me verbum clam delatum fuit, & accepit auris mea  
particulam ex eo.

Quinetiam me non pigebit narrare quod in hoc ipso  
argumento mihi, occulto & arcano modo, patet factum  
fuit, & cuius singulas partes auribus accepi.

13. In cogitationibus visionum nocturnarum, quum inuadit  
homines sopor.

14. Pauor accidit mihi & tremor (qui) multititudinem ossium  
meorum (id est ossa mea quotcunque sunt) perterruit.

15. Spiritus autem coram me transiuit: cohorruitque pilus car-  
nis meæ.

16. Substitit, sed non agnoui eius aspectum: effigies fuit ante  
oculos meos, silentium & vocem (id est tacitam sine submissam  
vocem) audiui.

13. Nocte intempesta, quo tempore profundiores sunt  
imaginationes, grauiore tū sopore homines inuadente.

14. pauor me corripuit tantus ut à capite ad calcem  
ossibus ipsis percelleret 15. Tū vero Spiritus coram

me transiuit, quo spectaculo pili ipsi mei toto corpore cohoruerunt. 16. Et ille quidem substitit, sed eius speciem nullam agnoui. Tantum mihi quædam imago meis oculis apparebat. Altum etat silentium, & tandem hanc vocem audiui.

17. *Nū homo Deo iustior erit? num cōditore suo purior erit vir?*

Quomodo cunque se se Deus gerat in homines, num fieri potest ut ex miseric mortalibus quispiam de Deo tanquam iniuste secum agente, iustus ipse queri possit? Et ut sit aliquis virtute cæteris præstans, num, quæso, suo illo conditore purior fuerit? quod tamen profectò dicendū foret, si quam faceret Deus hominibus iniuriā. Faceret autem si immerentes affligeret.

18. *Ecce seruis illis suis (Deus) non innititur, quanvis suis illis nuntiis indiderit lucem.*

Ecce potens ille Deus, quanvis beatis illis spiritibus quorum ministerio vtitur, intelligentiæ lucem quandā prorsus admirabilem indiderit, tamen non eorum virtibus vel industria, sed se se vno frētus, illorū vtitur opera.

19. *Quanto minus domos luteas incolentibus: quorum fundamentum (est) in terra, & qui absumuntur ante tineam (id est occurrente ipsis tinea?)*

Et Deus scilicet in rebus quas ipse condidit administrandis, & humano ipso regundo genere, subiiciet consiliorum & actionum suarum rationem & examen, miseric homunculis, lutearū domorum incolis, ortum ex ipsa terra ducentibus, & tam misere cōditioni obnoxii, vt tandem sint esca vermbus adilos absumendos appositis.

20. *A mane ad vesperam atteruntur, & absque eo ut quis animum aduertat, in seculum pereunt.*

21. *Nonne transfertur eorum præstantia qua (fuerat) in ipsis? moriuntur, & non cum sapientia.*

20. *Quos vel vnius dieculæ Sol exoriens viuos intuetur, Occidens sepelit attritos: & qui ex improviso, nemine aduertente, nunquam in hanc vitam reddituri, intereunt.*

21. *Quinetiā omnis illa qua ornati fuerant dignitas vna cum illis euanevit. Moriuntur denique nulla ipsos sapientia vel arte aduersus mortem afferente, & nihil sapientiores tot istius suæ mortalitatis exemplis facti.*

## CAPUT V.

Vers. 1. *Clama nunc, an (erit) qui tibi respondeat? & ad quem ex Sanctis refugies?*

Hæc ille diuinitus mecum loquens. In nunc igitur, Iobe, & quantum voles vociferare, quem tamen tibi assentientem inuenies? & ad quem ex sanctis vllis refugies, tibi patrocinaturum?

2. *Certè stultum occidit indignatio, & temerarium interficit excandescens.*

Profecto relinquenda stultis fuerit indignatio & temerariis excandescens, vnde sit ut abrupti extra omnis rationis fines, sibiipsis exitium accersant.

3. *Vidi stultum radices agentem, sed statim execratus sum habitu aculeum eius, (id est ipsum & eius familiam.)*

Nec tamen diffiteor, quod ipsa docet experientia (& vide Iobe num hoc ipsum in te appareat) statim istud Dei iudicium non semper apparere. Nam ego quidem certè vidi stultum usque adeò prosperis rebus affluentem, ut radices etiam egisse, & longè ac latè ramos propagaturus videretur, quem tamen cum suis omnibus eò mox redactum vidi, ut cum sim prorsus abominatus.

4. *Procul sunt filii eius à salute: atteruntur in porta, nec (adest) vindex.*

Nam eiusmodi stultorum liberi quoque omni praesidio destituti, palam & apud ipsa tribunalia iudicum, nomine ipsos liberante, obteruntur.

5. *Cuius messem famelicus denorat, & ex spinis rapit eam: & absorbet prado facultates eorum.*

Quod ante messuit, patet famelicis per media dumeta ad ipsum deprædandum irrepentibus, & prædonibus certatim ad ipsorum opes diripiendas concurrentibus.

6. *Etenim non egreditur è pulucre molestatio, nec è terra germinat vexatio.*

Nam utrumque in speciem radices agere & attolli videantur qui aliis ladedis & vexantis rem faciunt, nunquam tamen verè humo assurgunt, neque sobolescant.

7. *Tametsi homo ad molestiam & aerumnam nascitur, sicut filii prunæ (id est ignis scintillæ) ad volandum.*

Quanuis alioquin minimè negem homines suaptè natura miseriis variis & calamitatibus esse obnoxios, ut illas non magis effugere possit quispiam quam præpedire ne scintillæ sursum euolent.

8. *Certè ego requirerem Dèum, & ad Dèum dirigerem sermōnem meum.*

*Quæ licet ita se habeant, non est tamen tibi, sicuti facere te video, despondendus animus: sed hoc ipsum tibi suggestam quod facerem, si tuo loco essem. Omissis istis inanissimis & indignissimis querimoniis, corā Deo illo potentissimo simul & iustissimo meipsum supplex & veniam deprecans abiicerem, & ipsius clementiam implorarem.*

9. *Qui facit magna & (quorū) non (est) peruestigatio, admiranda usque ad non numerum.*

Etenim quòd ad potentiam attinet, quæ tua fueit amentia cum eo certare, cuius vis immensa & imperuestigabilis, non tantum in tot operibus ipsius maximis elucet, verùm etiam ex omnium admirationem superantibus, ac præter ordinem naturæ editis miraculis conspicitur, quorum iniri numerus non possit?

10. *Qui dat pluias superfaciem terra, & mittit aquas superfaciem viarum.*

Sin benignitatem spectemus, is est qui pluviis cœlitus datis terras fœundat, & immensis imbribus huc illuc discurrentibus, campos velut in plateas & vias diuidit.

11. *(Qui) ad constituendum humiles sursum, & ut pullatे rigantur incolumes,*

12. *Dissoluit cogitationes callidorum: nec faciunt manus eorum quod constituerant.*

13. *Deprehendit sapientes in eorum astutia, & consilium peruersorum precipitatur.*

14. *Interdiu incurruunt in tenebras, & quasi nocte palpant in meridię.*

15. *Inopem autem tutatur à gladio, (&c) ab ore ipsorum, & à manu potente.*

16. *Et est pauperis spes: improbitas autem obturatos suum.*

11. & 12. *Quòd si iustitiae ipsius rationem habeamus, ecquis cum eo iuste expostulauerit? Is enim est qui humiliat?*

mitti acentes oppressos erigit, & in luctu ac squatore ver-  
fantes ab interitu afferit: astutorū consilia, quibus tan-  
quam retibus simplices captant, dissoluit: nec illos effi-  
cere patitur quod apud se pro certo & rato decreue-  
rant. 13. Neque verò hac in re multum laborat, vt qui  
egregios illos sapientes suis ipsorum fraudibus, fractis  
per eos ipsos omnibus ipsorum conatibus, intercipiat:  
14. adeo vt in rebus tam claris quam est lux ipsa, cæca  
ipsorum perspicuitas nihil videat: & meridie palpan-  
tes, perinde ac si nox esset, expedire se non possint. 15.  
& 16. Et sic quidē ille tum à cædibus, à calumniis, ab  
omni denique potentiorum oppressione tutos inopes  
præstat, ne animū, quasi nulla spes illis superesset, despō-  
deat: tū efficit vt scelerati spe sua frustrati, nec habentes  
quod suis sceleribus prætexant, ob mutescere cogantur:  
17. Ecce felix (est) homo, quem Deus corripit. Itaque ne casti-  
gationem omnipotentis auersator.

Sed ô beatum illum, quem quum Deus meritò pos-  
sit perdere, duntaxat corripit. Caeve igitur ne istis indig-  
nissimis clamoribus indulgens, & ipsius castigationem  
repellens, rute tibi exitium accersas.

18. Idem enim ipse plagam infert & obligat, vulnerat & ma-  
nus eius sanat:

Vnus enim & idem dolorem infligit & medicatur:  
idem vulnerat & sanat: vt iam ambigere non possis, ne-  
que à quo, vel cur, & quorsum hoc vulnus accepéris: né-  
que vnde remedium petas: nec quomodo comparatus  
temedium illud obtinere possis.

19. In sex afflictionibus eripiet, & in septē nō attigerit te malū.

Nec causa est cur tuam hanc calamitatem quantum-  
uis ingentem, tantam esse tibi persuadeas, vt nullus sit  
medelæ relictus locus. Nam etiam vel sex repetitis iicti-  
bus saucium ille te liberabit: immo septimo & velut  
ultimo accepto vulnera ita restituet, vt nihil calamiti-  
tatis expertus videaris.

20. Infame redimet te à morte & in bello, à manibus (idest  
vi) gladij.

Audi nūc contrā quæ tua sit in postrerum sors futura,  
vbi nostrū consilium sequutus, ab hac calamitate fueris

liberatus. Nullum est certè malum genus in quo illum tibi præstò adesse non sentias. Nam & fame cæteros opprimente, prohibebit ne moriaris: & bello sanguine, ne gladio tibi quisquam vitam possit cripere.

21. *In flagello lingue abscondēris, neque timebis à vastitate quum aduenerit.*

Cædente quo suis calumniatorum virulentia, latebis ab illis tutus vastitate adueniente, securum te præstabit.

22. *Ad vastitatem & famem ridebis, & à bestiis terre (id est feris) non timebis.*

Vbi verò vastitas illa & fames omnia deserta & squallida reddiderit, nō deerit quod te exhilaret; & feris bestiis grassantibus, securus eris.

23. *Quinetiam cum lapidibus agri pacatum (erit) tibi: & bestias agri pacata (erit) tibi.*

Et foris quidem colonorum tuotum laboribus sic Deus fauēbit, ut fcedus tecum quodammodo agri ipsi lapides si videri possint pepigisse: nec villam tibi noxam inferent quæcunque bestiæ fruges lardere consueuerunt.

24. *Et scies pacem esse in tabernaculo tuo: & inspicias habitaculum tuum, & non aberribis.*

Domi verò prospera pacataque cuncta experiēris: & in administratione rei tuæ familiaris, omnia prudenter & feliciter geres.

25. *Scies etiam multum semen tuum: & propagines tuæ (erūt) sicut herba terræ.*

Quinetiam spectabis copiosam prolem, adeò ut quasi ex ipsa terra prodire tibi posterorum posteri videantur, tantum aberit ut in hac orbitate tua deseraris.

26. *Venies in senio ad sepulchrum, sicut ascendit aceruus frugum suo tempore.*

Denique non modò non morieris in hac ætate, quod tamen tibi persuades de vita tua desperans: sed contrà nonnisi planè senex sepeliēris, haud secus quam fruges nonnisi maturæ demessæ, in horreum comportantur.

27. *Ecce hoc peruestigauimus, & sic est, audi illud (& ipse) tibi sapiens esto.*

Paucis hic habes, Iobe, quod ita esse multa diligentia & experientia didicimus. Fac igitur quod suademus, & qui

qui ante had altis erudiendis & confirmandis sapere vi-  
sus es, nunc tibi ipsi sapiens es: de hoc ibi  
Dico Quidam summus et dispositio

## CAPITIS VI.

**E**liphas in criminatione cap. 4. vers. 2. opponitur responso Iobi vers. 2.  
3. 4. Sima responsum est: non simpliciter & per se considerandas fuisti  
se suas querimonia: sed cum suorum cruciatum granitate appendendas, ut  
sufficiat fieret earum estimatio, quum potius etiam fuisse singultientis  
quam loquentis voces.

Eiusdem cap. 4. versiculis 3. 4. 5. & respondens Iobus vers. 5. 6. 7. 8. 9. 10.  
11. 12. 13. ait mirum non esse neque quod ante hac nobis tale a se fuerit  
audatum, ut qui antea perpetuo rerum successu sit usus: neque quod alios  
olim consolatus, ipse in hac sua calamitate nullum solatium inueniat.  
Quam enim hanc misericordiam non esse vulgarem, sed talam ac tantam ut  
merito de hac vita sua proposita desperet: sese tamen in ipsa morte, quan-  
tumvis cum immensis & humana natura intolerabilibus cruciatibus con-  
iuncta, consolatione in rella conscientia inveniatur.

Reliquo usque ad finem capite (que omnia opponuntur iis quae dixerat  
Eliphas a capitulo 4. vers. 7. usque ad 5. cap. vers. 8. ineuntem) expostulat  
de amicorum suorum committitoris potius, quam consolatoriis sermonibus,  
quam in eo de quo accusabatur, nempe de hypocrate & mala conscientia  
innocentiam paucis afferens. Et simul ostendens sibi non conuenire qua-  
unque dixerat Eliphas a 5. cap. vers. 8. ad finem usque.

## CAPVT VI.

1. Respondit autem Iobus, & dixit.
2. O si appendendo appenderetur indignatio mea, & calamitas  
mea in bilanciis attolleretur simul.
3. Nunc enim grauior esset quam arena maris, ideo verba mea  
fuerunt absorpta.

4. Etenim sagitta Omnipotentis sunt apud me, quarum virus  
ebibit spiritus meus. Terrores Dei instructi sunt aduersum me.

1. & 2. Ad haec autem contra Iobus. Atqui non ita per  
se sed comparate cum hac calamitate qua totus cofrin-  
gor conferri, & quasi in bilance appendi prius quam sic  
aculeatè culpari oportuit meam illam quam vocas (cap.  
5. 2.) indignationem: 3. quod si à vobis fieret, compre-  
retis tantum esse illius pondus ut nulla sit arena maris  
grauior, ut illam mirum non sit non tam loquentis vo-

ees quām singultus à me anhelatē expressisse. 4. Neq;  
id verò mirū videri debet. Est enim mihi non cū aliquā  
humanitus ingruente miseria certamē, sed cum illo ipso  
Deo Omnipotente negotiū, cuius sagittis intimus hic a-  
nimus meus transfixus, lethale virus illarum exugit. Ipse  
Deus, inquā, quasi instructis copiis, omnia in me illa di-  
rigit, quibus penitus percelli & cōteri homines possunt.

5. Num rudit onager apud herbā: nū rugit bos apud pabulū suū?

At enim, inquis, antea non ita consueisti eiulare,  
sed alios etudire & consolari. Quis verò meritō miretur  
nihil tale antea ex me auditum, cui sit perspectū quām  
secundārēs meā perpetuō fuerint? Quis enim onagrū,  
ferum alioquin animal, lāta noctū pascua rugientem, vel  
bouē apud plenū farragine præsepe mugientē audiuit?

6. Nū comeditur insipidū absg. sale? nū est gustus in albumine ouī?

Et istud cuiusmodi tandem est quod me in aliis quidē  
erigendis tam fortē, in hac verò mea calamitate tan-  
topere consernatū intuentes, propterea nonnisi vanū  
& simulatū fuisse statuitis meū illud quod præ me tulē-  
rim pietatis studiū? Nam è contrario quis à quoquā mc-  
ritō postularit, vt quod est in se prorsus insipidum, ipsi  
nullo sale conditū sapiat? ecquis, inquam, saporem in  
oui albumine inueniat?

7. Quæ attingere anima mea renuebat, ea sunt veluti dolores  
cibi mei.

Et ne videar maiorem statuere quām reipsa sit hanc  
summā miseriam meam, ea quæ præ sorditiē & fæditate  
ne attingere quidē animo sustinuisse, vicerū videlicet  
putulentorum saniē, quibus totus scateo, sunt illa ipsa  
quæ me incredibili cum fœtore & cruciatu depascūtur.

8. Quis dederit (mihi) vt eueniat petitio mea: vt exspectatio-  
nem meam (mihi) Deus concedat?

9. Et vt consentiat Deus, & me atterat, & remittat manum  
suam, & succidat me?

8. & 9. Nō igitur temerè nedū impiè (sicuti vos me ca-  
lumniāmini) in Deū feror, sed lethalē esse hanc meā ca-  
lamitatē ex reipsa statuens, tantū absū ab eo vt restitu-  
tionem possim sperare, vt cōtrā quod à Deo petij, & vos  
meeū petere potiūs oportuit, iterum petā, nempe vt hac  
sua

sua manu qua me in istis tantis angustiis equestatu retinet, finē huic meę miserię prompto interitu imponat.

10. *Est tamen adhuc consolatio mea, & corroboror in dolore in quo non parcit, quod non suppressi verba Sancti.*

In hac tamē de hac vita mea desperatio ne, non deest quod me consoletur, & vnde me in ha c ipsa in qua ille mihi nullo modo parcit calamitate recreem: nēpe quod veram pietatem, quam ex ipso sanctissimo Deo didici, semper suū fōris etiam professus.

11. *Quod (est) robur meum ut sperem? & quis terminus meus ut producam vitam meam?*

Interim vero quod ad hanc vitam attinet, quid mihi roboris superest quod ulli spei locum relinquat? & istis angustiis circumseptus, quānam vitam mihi protogari posse existimauerim?

12. *Nū est robur meū, robur lapidū: num caro mea (est) chalybea?*

Interim ergo quid hic agerē aliud quā quod ago, misera hanc sortē meā deplorans & mortē exoptans? Nū enim ego sum lap ideo quodā robore omnis sensus experie p̄dītus nū chalybeū est miserum istud meū corpus?

13. *Nū auxiliū meū in me: at quicquid est opis propulsū est à me.*

At enim dixerit aliquis me mihi ipsi deesse: quasi vero, mihi illa vis supersit ad me conseruandū: quæ si etiā aliquando mihi fuisset insita, mihi tamen nunc est penitus crepta.

14. *Liquefacto (debetur) à familiari suo benevolentia, alioqui timorem Omnipotentis deseruerit.*

De vobis autem qui videri vultis ad me cōsolandum accurrisse quid aliud dixerim, quām tenēti amicū omne officij genus ei p̄stare cuius animus calamitatibus veluti liquefactus conciderit? & eum qui secus faciat omnem omnipotentis Dei reverentiam abiecisse?

15. *Fratres mei infidi sunt mihi sicut torrens, sine exundatio torrentium qui diffuunt.*

16. *Qui nigri (id est inconspicui) sunt p̄ glacie, & super quibus accumulatur nix.*

17. *Quo autem tempore astu premuntur deficiunt, & quando calorem senserunt, abolentur ē loco suo.*

18. *Declinant ( id est funduntur huc & illuc) semita iteris eorum, & ascendunt in inanitatem, & pereunt.*

19. Respiciunt (ad eos) turma Themanitarum, & caterua Sa-  
bæorum expectant eos.

20. Puduit eos quod eis confidissent: veenrunt eò usque & e-  
rubuerunt.

15. Et ita quidem factum à vobis cognatis meis oportuit. Contra verò ita me fecellistis ut vos meritò possim  
cum torrentibus iis conferre qui molem quidem aqua-  
rum, sed tum rapiditate sua noxiā, tum citè deficien-  
tem secum trahūt: 16. & hyeme quidē sub gelu occul-  
ti, & agglomerata nive tecti fallunt incedētium gressus:

17. & state verò torrefacti disfluunt, donec ardore inua-  
lescente exarescant: 18. & variis hue illuc riuiulis fissi,  
paulatim sursum euaporantes, penitus tandem euanc-  
cunt, 19. & 20. erubescientibus Themanitarum & Sa-  
bæorum cateruis, quæ per siticulosas illas regiones spe  
aquæ in illis torrentibus operiendæ iter ingressæ, ubi eò  
venerunt, spe & expectatione sua frustrantur.

21. Nunc enim (fuisti mihi) nihilum: vidisti horrendam  
hanc obtritionem meam, & expauisti.

Nam me quidem non magis iuuisti quā si nusquā  
fuissetis, ut qui simulacrum vidisti quā horribiliter sim  
obtritus, præ pauore taciti constititeritis.

22. Num dixi, afferte mihi, & de facultatibus vestris donare  
pro me.

23. Et liberate me è manu hostis, & è manu potentum redimi-  
te me?

22. Spoliatus sum opibus meis. Num verò in hac cala-  
mitate quicquā à vobis poposci, quo meam inopiā sub-  
leuaretis? Grassati sunt in me prædones. 23. Nū à vobis  
auxilia postulauit quibus ab hostibus & immanibus op-  
pressoribus liberarer? Quam igitur impatientiam, quam  
consternationem meritò mihi obieceritis?

24. Erudit me & ego tacebo, & in quo erravi facite ut intel-  
ligam.

Audio nihilominus anteaquam vitam miris modis à  
vobis redargui. Sed obsecro, quænam illa mea sint sce-  
lera demonstrate. Attentum enim & docilem me præ-  
bebo. Tantùm facite ut in quibus sic peccarim intel-  
ligam.

25. Quām

25. Quām validi sunt sermones recti! sed quid redarguit redargutio (alicuius) ex vobis?

Magna profectō vis est rectorum sermonū. Sed quid tandem vel tu Eliphaze, vel alius ex vobis, istiusmodi accreptionibus obtinebis?

26 Num verba (vobis) redarguenda cogitatis, & ventum (esse) verba desperantis?

Nam certē fallimini si in ista disceptatione de voculis tantum inanibūs hominis insipientis & de vita desperantis redarguendis putatis esse vobis cogitandum.

27. Etiam in pupillum irruitis & epulamini super socium vestrum.

Istud certē quod facitis perinde est atque in ipsos pupillos irruere, & in amicorum calamitate sibi delicias facere, quum sim quibusuis pupillis miserior.

28. At nunc velitis respicere me, & apud faciem vestram (videte) an simmentitus.

At nunc habete, rogo, mei rationē: & me quasi oculis vestris sistentes (noscis enim me intus & foris iam pridem) dispicite num fuerim mendax & simulator.

29. Redite, quæso, & non (erit) iniquitas: redite (inquam) & iustitia mea (erit) in eare.

Redite, quæso, unde aberrastis, & comperietis me ab illis criminibus immunem: redite, inquam, unde in me criminando aberrastis, & in hoc negotio me absoluatis.

30. (Videbitis) an sit in lingua mea iniquitas, an palatū meum non dijudicet peruersitates.

Sic enim futurum est ut an aliud olim prosperis rebus vt̄s, in ore quām in corde habuerim dignoscatis: & an rectū à peruerso dignoscere mentis palato potuerim.

### S U M M A E T D I S P O S I T I O

#### C A P I T I S V I I .

*Iobus, omib⁹ amicis quibus satis videbatur offendisse cur eorum neque criminationes neque consilium probare posset, conuerso ad Deum ipsum sermone, vers. 1, 2, 3, 4, 5, 6, lamentatur quod secum alter quām cum carceris mortalibus agatur. Illorum enim nec perpetuos, nec infructuosos esse labores: suarum vero calamitatū terminum nullum esse, nec spem sibi ullius inde securi fructus relinquunt.*

Vers. 7. 8. 9. 10 proposita miserrima per se mortalitatis cōditiōne, nāitūrū  
Deū eō adducere, ut superioribus conīctus nihil ad ea amplius adiūciat.

Versu 11. & dei ceps usque ad 19. finientem, caro aduersus spiritum  
lūtans inmoderatas quidem querelas à Iobō extorquet, tales tamen ut  
nisi quam in impietatem aut blasphemiam erumpat.

Vers. 20 & 21. Spiritus frōciam carnis reprimente, Iobus ad se rediens,  
veniam & aliquam suę misericordię lenitionem efflagitas.

## CAPUT VII.

1. Nonne certum militiae tempus p̄finitum est homini su-  
per terram & tanquam dies mercenarij (lunt) dies eius?

Enim uero ita se habent res mortaliū, ut militibus per-  
petuò & sine interruptione non sit militandum, sed pa-  
ce finiatur militia, & finem militiae sequatur stipendij  
persolutio: quod & in ceteris mercenariis absoluto ip̄  
forum pensio certatur.

2. Sicut seruus anhelat ad umbram, & sicut mercenarius ex-  
pectat opus suum (idest operæ suę mercedem.)

Sic serui optatę noctis umbram quæ diurnos æstus fi-  
niens quietem iphis concedat: sic operarij vespere pa-  
etiam mercedem præstolantur.

3. Sic fortius sum mihi menses vanitatis (idest inutiliter la-  
boriosos) & noctes ærumnosæ constitutæ sunt mihi.

At mihi proorsus alia fors est attributa. Nam illis quidē  
diurni, mihi verò menstrui & irriti sunt labores impo-  
siti: & illis quidem ad quietem, mihi verò ad ærumnas  
sunt noctes constitutæ.

4. Si iacui, tum dixi, Quando surgam? & (quando) emensa  
fuerit (curriculum suū) vespera? & satior euagationibus usque  
ad diluculum.

Iacens enim in strato, tantum absum ab eo ut somnū  
capiam, ut contrā insomnis, quando, inquam, tempus e-  
rit hinc surgendi? quando tandem emensa fuerint spa-  
tium suum tenebræ? & irre quietus satior innumeris ja-  
cationibus usque ad diluculum.

5. Induit est caro mea vermbus: & glebis pulueris cutis mea  
diffunditur & dissoluitur.

Tora est cœr vestis cuiusdam specie obtecta caro mea  
vermbus, & velut in ramentorum glebas fissa cutis mea  
dissoluitur.

6. Dies mei leuiores fuerant radio textorio, & consumpti sunt sine spe.

Dies autem illi mei tranquilliores tam repente & tam celeriter præterierunt quam textoris pedestri telæ statim percurrit, & nulla mihi spe restitutionis relicta, prorsus euanuerunt.

7. Memineris flatum esse vitam meam: nec redituros oculos meos ad videndum bonum.

Memineris, & Deus, hominē esse me natum, satis sponte sua miserum, cui nihil amplius calamitatis imponas. Hæc enim vita mihi cum cæteris communis nihil est nisi reciprocans anhelitus: & morte semel clausi oculi nunquam lucem ad rursum intuendum huius vitæ beneficium recipiunt.

8. Non intuebitur me oculus aspicientis me (id est, eius qui me oculis requirat) oculi tui in me (erunt) & non ero.

9. Ut deficit nubes & abit, sic qui descendit in sepulchrum non ascendet.

10. Nec redibit ultra domum suam, nec eum ultra agnoscet locus ipsius.

8. Mors ipsa me satis opprimet, ut nullam præterea miseriam ad me perdendū accersere te oporteat. Mortuum enim nemo, etiamsi me oculis vndeque conquisi-  
tierit, inueniet: & si tu ipse me forte intueri velis, frustra id feceris. Homo enim esse desero.

9. Sed sicut absumpta semel nubes euanescit, sic qui semel in cauum sepulchri descendit, inde rursum hic vi-  
eturus non ascendet.

10. Nec ad suam familiam amplius reuertitur: nec ibi magis apparet ubi extiterat, quæ in si nunquamibi fuisset conspectus.

11. Etiam ego non cohibebo os meum: loquar in angustia spiritus mei: loquar in amaritudine animæ meæ.

Quæ quum ita se habeant, tantisperdum fandi mihi facultas suppetit, plenis buccis loquar, quæ mihi dictat spiritus angustia, & animi dolor amarissimus.

12. Num mare (sum) ego, vel Cetus, quod mihi custodiām imponis?

An sum ego quasi surens illa Maris yastitas, quod co-  
tessi  
O.ij.

coerceri nullis obiectis molibus possit, vel ex illis matinis indomitis mostris immanibus, quod perinde me tot malis obsessum tenes, quasi veritus ne tibi possim elabi?

13. Quum dixi, solabitur me lectus meus, detrahet (aliquid) querimoniae cubile meum.

14. Percellis me insomniis, & perterrefacis me visionibus.

15. Itaque pratulerim animam meam stragulationem, & mortem praefatis meis.

13. Etenim si quando dixi apud me futurum ut nox mihi in lectulo iacenti solatium aliquod afferret, & cubile meum querimoniā meam imminueret, 14. tum terrificis insomniis & visis totus percellor: 15. adeò ut eorum qui strangulantur conditionem huic miserrimae vita mea credam anteponendam, & optabilius esse mori, quam hæc ossa putria circumferre.

16. Tadet me(vitæ), non in seculum viuam, desiste à me, nam dies mei sunt vanitas.

Fastidio est mihi hæc vita, quæ certè, quantumcumque illam mihi in hac calamitate protinges, perpetua non erit. desine, quæfo, diutius eum excruciare qui interitui iam est deuotus.

17. Quid est homo quod cum magnificias, & cor ad eum addicias?

18. Et in eum inquiras singulis matutinis, & singulis momentis eum explores?

19. Quandiu à me non desistes, nec me omittes tantisper dum saliuam meam deglutiam?

17. & 18. Quid est vilis homunculus, cur modò tanto-pere illum attollas, & tantam illius curam geras, sicut, antea sum expertus: modò eò usque deprimas, quod nūc ego sum, mutata prorsus cōditione, prolapsus, ut in eum inquirēs, vix orto singulis diebus sole, in illius cogitata & acta tam seuerè animaduertas: & tam rigido examini singulis momentis illum subiicias?

19. Et quæfo, Deus, quando tandem à me feriendo eō-usque saltem desistes, ut mihi miserrimo saliuam deglutiire liceat?

20. Peccavi, quid faciam tibi, obseruator hominum? quare me tibi obuersum collocasti, & tibi sam onerar?

Habes

Habes reum confitentem se peccatorem esse. Quid apud te possim ego? ô tu cui tam chara est hominum salus, cur me tibi quasi scopum ex aduerso constituisti, in quem collimes? & cur tam sum tibi grauis, ut me ferre nullo modo possis?

21. Et cur non tollis transgressionem meam, & removes iniuriam meam? Nunc enim in puluere dormiam, & si manè me inuestigaris non existam.

Ah, cur non potius, pro illa tua erga homines bonitate, aboles quidquid in te peccare potui, & istis castigationibus finem non imponis? Eò sum enim illarum acerbitate redactus, ut iam iam sim in puluere decubitus: & ut me quam diligentissime peruestiges, non tantum inuenturus: ut qui homo esse desierim.

## SUMMA ET DISPOSITIO

## CAPITIS VIII.

**B**ildadus vestigia Eliphazi persequitur: sed longè acriore cum inse-  
tatione, nedium ut ea corrigai in quibus ille modum non tenuerat,  
etiam si alioquin in re ipsa non fuisset ab eo peccatum. Itaque vers. 2. ipsum  
quoque Iobi tum sermonem tum gestum acerbissime reprehendit. Versus  
vero 3. axioma verissimum quidem, sed praesenti disceptationi minimè  
accommodatum aduersus Iobum intorquet, non tanquam imprudentissime,  
verum etiam insolentissime. Num enim vel probauit hypocritam &  
sceleratum fuisse Iobum: vel Deo inuritur iniustitia nota, si Iobus sic à Deo  
fuisse non ob sua peccata castigatus (quum ille prasertim minimè se pec-  
catore esse & quanis mereri negari). Sed ex eius voluntate probatus &  
exploratus dicatur? Pergit tamen quasi re bene perfecta Bildadus, &  
vers. 3. aperiè liberos Iobi criminatur, quasi iuste ob sua scelera diuinitus  
ruina domus oppressos. Sic enim sibi visus est Iobum, quem Deus non sta-  
tim ut illos interemisset, in spem aliquam adducere ira Dei mitiganda, i-  
deoque vers. 5. 6. 7. optima quaque illi respicienti, sicut etiam Eliphazus  
dixerat, pollicetur. Deinde 8. tunc quidem tum de umbratili scelerato-  
rum, tum de certa & stabili honorum felicitate, pulcherrimis sed  
quod ad malos attinet Iobo minimè conuenientibus  
similitudinibus differit à vers. 6. usque ad 19.  
desinentem, quæ aperiè demura ipsi Iob applicat vers. 20. & 21.

## C A P V T V I I I .

1. Respondit autem Bildadus Suhites, & dixit,
2. Quousque tandem hæc loquèris & ventus vehemens (erūt) sermones tui.

Excipiens autem has Iobi querimonias Bildadus Suhites, Quousque rādem, inquit, sic loqui perges, vel potius pulmonibus quasi vehementissimo vento plenis hæc efflare?

3. Num Deus peruerteret ius, an subuertet (inquam) omnipotens quod iustum est?

Scilicet Deus te immerente feriens desierit esse Deus, id est iuris omnis & æquitatis auctor & assertor.

4. Si filii tui peccauerunt ei, & emisit (id est expulsos tradidit) in manum (id est arbitrio & potestati) transgressionum ipsorum.

5. Si manè (id est promptè & sedulò) requisiweris Deum, & Omnipotentem deprecatus fueris.

6. Si tu purus & rectus fueris, expergesier super te, & pacificabit habitaculum iustitiae tuae.

7. Fueritque principium tuum parvum, postremum autem tuum crescat valde.

4. Etiam si liberi tui propter sua in Deum peccata sunt ob suas ipsorum transgressiones morti traditi, iustis pœnis multandi.
5. Si tu tamen, cui adhuc pepercit, sedulò ad Deum confugeris, & pro eo quod sic cum Omnipotente numine contendis, veniam fueris ab ipso deprecatus.
6. Et deinceps veræ puritati & iustitiae studebis, tuis precibus excitatus, beabit domum tuam in qua te pium ostenderis.
7. Usque adeò ut prior illa fors tua exiguum quiddam fuerit, præ ista longè beatissima quæ fuerit illam sequuta.

8. Num percontare, quæso, de primo (id est antiquissimo) seculo, & dispone (te) ad inquisitionem patrum eorum.

9. Nos enim heri (id est, hæsterni sumus) nec scientes sumus, quum umbras sint dies nostri super terram.

10. Annon ipsis te decebunt & alloquentur te, & ex corde suo deponent sermones?

8. Quod si mihi fidem non habes, age, consule prisco-

rum

rum ab origine mundi temporum historiam: & attende quid maioribus illis nostris euenerit.

9. Nos enim velut hesterno demum die nati sumus, & instar vmbrae nunc prætereūtibus nostra vitæ diebus, in magna rerum ignorantie versamur.

10. Illi vero te profecto erudiant, & minimè muti futuri, vera & certa ex cordis penu deponent.

11. Num efferet se iuncus absque vligine, (&) erescet pratum sine aqua?

12. (Dum est) adhuc in virore suo non decerpitur, sed ante omnem herbam arescit.

13. Sic sunt semita omnium obliuiscientium Deum, & spes impy perit.

14. Cuius excinditur spes, & domus araneæ (est) fiducia eius.

15. Ininititur domui sua, sed (ea) non perficit apprehendit eam, sed non consistit.

16. Cæterum fateor quidem ad tempus vigere hypocritas, idque ex singulari Dei benignitate, sed iuncis similes & herbis pratensibus nunquam assurrectur nisi iunci quidem vligine, istæ vero aquis alerentur.

17. Sicut autem planta istæ quandiu virent non decerpuntur, verum crescere sinuntur, & tamen ante cæteras herbas vltro flaccescentes demetuntur: talis est progressus & exitus omnium Dei oblitorum, nec aliter hypocritarum spes omnis evanescit.

18. Hypocritarum, inquam, omnis expectatio præciditur, nea eorum fiducia firmior est araneæ tela.

19. Suis enim opibus domi partis innixi, inanissimas illas esse tandem experiuntur, & vteunque illas fugientes prehendant, illæ præ infirmitate fulcire cadentem nequeunt.

20. (At) ille viret ex aduerso Solis, & super hortum eius produent eius propagines.

21. Apud fontem radices eius implicantur, & structuram lapideam amplectitur.

22. Num absorbebitur è loco suo, qui abneget eum, (dicens) non vidi te?

23. En hoc erit gaudium via ipsius, etiam ex puluere alijs germinabunt.

16. Ille verò contrà, nempe qui puritati & iustitiæ studet, Soli expositus, tantum abest ut eius æstu torreatur, vt etiam eius calore vegetatus cò vsque ut toto vbi plantatus est non viginoso, non inculto virore loco, sed horto amœnissimo & cultissimo, longè latéque propagetur. 17 Irrigatus enim diuinæ benignitatis perenni scaturigine, profundis & mutuo nexu radicibus actis, vndique circa fontis castellum firma materia, saxa videlicet extructum, ramis inter se perplexis diffunditur.

18. Neque metuendum est ne vi euallis, nusquam apparet eius vestigia, ipso quasi loco aperte negante sibi vñquam illum conspectum. 19. Et hic quidem est ita incidentis vita longè beatissima, qui hinc excedens hac etiam ratione beatus est, quòd ipsius quoque puluis sobolescit.

20. Ecce, Deus non auersatur integrum, nec manu prehendit improbos.

21. Visque adeò ut impleturas sit risus tuum, & labia tua iubilo.

22. Osores tui induentur pudore, & tabernaculum impiorum non (erit).

20. Hæc autem est huius orationis summa: Deum nunquam eos abiicere qui integritati student: nunquam etiam improbis auxiliarem manum porrigere. 21. & 22. Nunc quis fueris ex te ipso statuito. Quòd si nostris monitis obsequutus, resipueris, non est quod animum desponeas. Nam è contrario futurum est ut eiulatus isti in effusam lætitiam commutentur, & in exultationem ostiud tuum, hostibus omnibus tuis infamia notatis, atque adeò funditus intereuntibus, soluatur.

### S U M M A E T D I S P O S I T I O

#### C A P I T I S . I X .

**E**liphas Iobi vitam ut fictæ pietatis & integratatis plenam criminatus fuerat, & cum ad resipiscientiam tantæ culpa conuenientem hortatus, arguento à natura Dei ducto qua ferre non posset ut cum homine verè pio & probo tam inlementer ageret, ut ipse querebatur, Bidadies cædem insistens via longius progressus, apertius eriam Iobum & ipsius liberos incesserat, repentinam eorum oppressionem velut illi extrobrans.

probrans. Nunc autem Iobus respondens, non modo agnoscit & ipse Dei  
 tum omnipotenciam immensam, tum iustitiam omni exceptione maiorem,  
 idque multò expressius, magnificenter, diuinius quam hic vel ille feco-  
 ruant: verò etiam illud ipsum argumentum quo fuerat oppugnatus in ad-  
 uersarios retorquet: rectè, eruditè ac piè negans inde quod ipsi colligebant  
 consequi. Hanc enim Dei in operibus etiam quotidie in nostris sensus in-  
 currentibus tum potentiam tum iustitiam (quod ostendit vers. primis un-  
 decim) talè ac tantam esse ut illarum ratio iniri à nullo possit: quoniam  
 videlicet suorum defunat decretis causas, non à rebus quas administrat,  
 sed voluntas ipsius rebus ipsis prior, sit omnis iustitia regula quod docet  
 vers. 12. & 15. & quòd respexit Paulus, altius etia multò, nēpe ad electionis  
 usque & reprobationis eternum decretum, assurgens. Rom. 9. 20. & II, 33.  
 Deinceps verò usque ad vers. 21. desinente, hanc doctrinam ipse sibi in-  
 genuè applicat, negans sibi quantumvis duriter tractato in mentem ve-  
 nisse ut vel Deo notam iniustitie alicuius inureret, vel se se apud illam à  
 virtute immunè esse mentiretur, si statim ut de se ex præsenti valitudinis sue  
 statu statuēs, neget sibi de huius vita restitutione quicquā sperandū. Hinc  
 autem animaduertere licet, quam vana sint in virilisque partem eorum  
 iudicia qui de his rebus ex humano sensu statuunt. Sperant enim Iobi a-  
 mici quod futurum erat, vi res ipsa tandem ostendit, Iobum videlicet  
 quantumvis ad extremū redactū, tamen restituū iri, & quidem in statu,  
 feliciorē, sed de via qua restituēdus esset, perperā statuebant. Iobus contra  
 de sui restitutione probris desperat, nec aliud quam ut morte liberaretur  
 ab his calamitatibus exoprandum sibi putat, nimirum ex calamitatis sue  
 magnitudine falso statuens sic à Deo decretum esse. Inde verò ad thesin  
 rediens, ostendit falso esse quod dixerant aduersarij, tum de scelerato-  
 rum repentino exitio, tum de firmo proborum statu: quod primum & tertium  
 vers. 22. 23. 24. deinde vers. 25. 26. 27. 28. demonstrat suo ipsius proposito e-  
 xēplo. Respondeat denique à vers. 29. ad finem usque capitis se se consilium  
 illorum ne hac ratione amplecti quod sic possit restitutionem non  
 integrum, nedum in meliorem aliquem statum obtinere. Sibi enim eius  
 rei spem omnem esse ademptam. Ac tandem sua conscientia testimonio  
 fretus ad Deum prouocans testatur, seposita illa Dei maiestate quim  
 ferre nullus posset, paratum se se apud Deum iustum aduersus ipsos causam  
 suam agere. Ceterum, quod attinet ad syderum nomina vers. 9. expressa,  
 assentioris qui quatuor anni tempestates illis significari cōsent, quae  
 Astrologi tradunt certorum syderum influentiis, quas vocant, regi. Itaque  
 nō inepit Has, Arcturum: Chāsil, Orionem: Chīrah, Pleiadas: penetra-  
 lia Austrī, & tina signa, docti interpres verterunt: neglectis indoctorum  
 Rabbinorum nugis: quibus syderibus, Autunnus, Hyems, Ver, & Astas,  
 respondent. Sed Hebreas voces retinere malui quam illas poeticis obscu-  
 ritatis & impietatis plenis fabulis contaminatas, usurpare.

## CAPUT IX.

1. *Respondit autem Iobus, & dixit.*
2. *Profecto noui ita esse, quinam enim iustum se probabit homo  
(collatus) cum Deo?*
3. *Si velit contendere cum eo, non respondebit ei (homo) ad u-  
num (id est, ad rem unam ex mille.)*
4. *Sapiens (enim ille est) corde, & validus robore, quis se se  
obdurauerit aduersus eum, & erit in pace?*
1. & 2. Ad haec verò Iobus his verbis respödit, Audite  
amici, an iustè me ut impiū & hypo critam criminemi-  
ni. Assentior sanè vobis Dei sumimam perpetuám que  
iustitiā asserētibus, immo tibi Eliphaze cōcedo aliquid  
etiam amplius quam ex te audiuerim, quum dices ho-  
minem non posse iustiorem esse Deo, sup. 4. 3. Dico e-  
nīm ne iustum quidem posse quēquam reperiri qui cum  
Deo conferatur. 3. Concedo etiam istud tibi Bildade,  
non posse quicquam à Deo iniustè, vel sua potentia abu-  
tentē fieri, usque adeò ut hoc sine exceptione affirmare  
ausim, si quis forte sic insaniat ut cum eo velit de ipsis  
iudicis ullis contendere, non sit ex mille obiectis vel ad  
unum acutissimus etiam ullus respölurus. 4. Deus e-  
nīm is demū est cui nec infinita sapientia ad decernen-  
dum, nec potentia incomprehensibilis ad exequendum  
deest: nec impunè quisquam vel iustitiæ ipsius potenti-  
mæ, vel potetiæ ipsius iustissimæ pertinaciter obstiterit.
5. *Transfert montes, & nescitur quum subuertit eos in ira sua.*
6. *Facit vacillare terram è loco suo: & columnæ eius conter-  
miscent.*
7. *Loquitur Soli & non oritur, & stellas obsignat.*
8. *Extendit cœlos solus, & ambulat super elationes maris.*
9. *Qui fecit Has, Chestl, & Chimah, & penetralia Austri.*
10. *Facit magna èò usque ut non (sit eorum) inuestigatio, &  
miras, èò usque ut non (sit eorum) numerus.*
11. *Ecce transibit iuxtam e, nec videbo eum: & præteribit, nec  
animaduertam eum.*
12. *Quisnā enim eius vires impedierit, aut etiam assequi  
possit, qui montiū moles immensas tanta vi transfert, ut  
ipsius furore subuersi nusquā agnosci vel cōspici possint?  
9. quo*

5. Quo iubéte terra loco suo emota, columnis ipsius nuntantibus vacillat? 7. Idē Solē quidē condidit diurnæ lucis moderatorē, & stellas quæ noctis tenebras illustrēt. Sed ipso edicente Sol non magis splendet quām si ortus non esset: & stellas quasi obseratas retinet quominus splendeant. 8. Coniunctam autem cum hac inscrutabili potentia nihilò minorem eius sapientiam prædicat cœlestis illa tam ampla testudo vndiquaque ab hoc vno tornata & expansa. Idem maris elati fluētus, quasi per illos medios inambulans, regit. 9. Totus autem æther à Septentriōne nostris oculis conspicuo, usque ad imum & nobis occultissimum Austrum, tot micantibus faculis quatuor anni tempestates quasi gubernantibus coruscans, quantā oculis penè nostris subiicit illius ipsarum conditoris ac dispositoris sapientiam? 10. Verè igitur hic ille est tantarum tamque admirabilium rerum opifex ac moderator, ut illa neque peruestigari, neque numerati queant: 11. Quem etiam mihi proximum, & se mei offerentem, nec oculis conspicere possum, nec mente comprehendere.

12. Ecce, rapuerit, quis faciet ut (id) restituat: quis dicet ei, quid facis?

13. Deus non reuocabit iram suam: sub eo deprimuntur adiutores robusti.

12. Itaque ut ad mea tandem propriū accedam, quum sit ipse potentissimus & simul iustissimus omnium moderator, quoties ipsi visum est, ut mihi nunc euenit, quēpiam vel bonis, vel ipsa vita repente spoliare, quis illum ut raptorem ad restitutionem coget? immo quis illum iure in disquisitionem vocari? Voluntas enim eius est ipsius iustitiæ norma. 13. Quod si quis potentia sua freatus, quales interdum superbi nonnulli inueniuntur, velit aut ipse aduersus illum agere, aut iis quibus ipse irascatur patrocinari, tantò magis accensa in eos ira non priùs desistet quām illos penitus contulosos disperdiderit.

14. Quantò minus ei responsabo, & feligam verba mea cum ipso? (id est, meditata oratione cum ipso disceptabo?)

15. Qui, etiam si iustus fuero, non responsabo, Imò iudicem meum deprecabor.

16. Si prouocarem, & responderit mihi, non credam eum exaudiriisse vocem meam.

17. Ut qui turbine contriuenterit me, & multiplicauerit mea vulnera largiter.

18. Nec concedat mihi ut attraham spiritum meum, quin potius saturat me amaritudinibus.

19. Si ad vires (recurrero) robustus ecce (est) & si ad ius, quis faciet ut eum conueniam?

20. Si iustificauero me, os meum condemnabit me: perfectus, ego: peruerteret me (id est improbum esse me conuincet.)

21 Perfectus ego: non nouerim animam meam: & improbab vitam meam.

14. Quantò minus ego omnium hominum abieciimus, ipsius voluntati non acquiescens, oblocutus illi fuerim, vel, ad disceptandum cum ipso me ipsum compararim? 15. Id quidem certè facere, ne siquidem ab omni labore immunis essem, mihi in mentem venerit, sed ab ipso potius iudice ~~mea~~ veniam petierim. 16. Quod si nihilominus hoc a usum ab ipso postulare, & hoc ipse mihi concesserit, ut apud ipsum causam meam discep-tem, non est tamen credibile futurum ut secundum me iudicaret, iniuriam videlicet mihi à se factam. 17. &

18. Nec enim est mutabilis. Ipse me verò non affixis duntaxat, sed contriuuit, non ut simpliciter iratus, sed cœlitus fulmē iaculatus: nec vno & altero vulnere me sauviauit, sed plaga plagi adiecit, idque veluti in me vulnerando iræ suæ obsecundans, usque adeò ut ne respirandi quidem spatium mihi concedat, sed amarore sim totus quantuscunque oppletus, ut de iis mihi in hac vita restituendis, quæ sperare me iussistis, nihil sit mihi sperandum.

19. Num autem vim vi opponerem, quum ipse unus sit verè potens? sin verò, iure agere cum ipso instituero, quis illum mihi in ius vocabit? 20. Et ut ille se in iudicio sistat, si me inculpatum dixerim, illud ipsum me coarguet, quod hoc apud ipsum ausus fuerim profari: si me, inquam, perfectum dixerim, ille me hoc ipso improbum esse conuincet. 21. Si me, inquam, perfectū esse formniaue-

ro, non nouerim certe me ipsum, & ipso meā vitā ad assumptum

mussim recti expendete, cogar ipse me apud eum detestari.

22. Vnum istud ipsum est, propterea dico, Integrum & sceleratum ipse consumit.

23. Si flagellum ( arripit ) occiderit subito : ad explorationem innocentium subsannat.

24. Terra traditur in manum scelerati : faciem iudicium eius tegit: si minus, ubinam est, & quis est?

22. Omnia autem ista ad id vnum tendunt, quod dictu volo, Deum videlicet, illa sua potentia iuste quidem semper vti, at non sicut imaginamini. Vultis enim ita ferre ipsius iustitiam, vt in hac vita bonos vel semper beet, vel aberrantes & resipicentes sic castiget ad tempus ut illos non patiatur in iis quas infligit miseriis ad mortem usque permanere: malos autem, ut pote sibi exoscos, aut statim succidat, aut quo patientius ad tempus eos tolerauit, eodem terribilius illos in hac vita vlciscatur. At ego contraria contendo, si huius vitae curriculu spectemus, neque ex comodis neque ex incommodis ipsius debere vel de ipsius iustitia, vel de eorum qui viuunt meritis constitui. Comunes enim esse bonis & malis calamitates quibus unus & idem Deus & hos & illos in hac vita absumeret. 23. Neque procul abeundum est ut hoc probetur. Nam si ita esset, simulat que flagellum arripit, sceleratos mox ad intercessionem perderet, innocentes vero mox contentus esset moderatae castigasse. At est contrarium integræ vitae studiosos non paucos eodem usque affligi videmus, ut si duntaxat huius vitae usum spectes, ex illorum miseriis voluntatem capere videri possit: nempe si quis vestram sententiam assentiatur. 24. Sic autem afflictis probis, an non ex aduerso videmus sceleratos non tantum viuere, sed etiam regnare, & impunè ius omne peruertere? quæ si Deo dicamus infcio vel inuitio geri, illum certe ex ipso mundo expulerimus: & quem tandem faciemus mundi creatorem & gubernatorem?

25. Dies autem mei leuiores fuerunt curseore, fugerunt, nec videbant bonum.

26. Præterierunt cum nauibus velocibus, (&c) sicut aquila quæ volat ad escam.

Contra vero quam sint fluxiores integritati studen-

tium secundæ, meum hoc exemplum declarat. Vita enim illa mea tot beneficiis cūmulata, tā subitò disfluit, vt nullus cursor eam celeritatem possit æquare; & illa omnia penè priùs mihi sūt prærepta quām ea senserim: nulla denique nauis celerius currat: aquila nulla impetu velociore ad capiendam prædam feratur.

27. Quum meum dicere fuit (id est, quum apud me si stari) obliuiscar querimoniæ meæ, omittam iram meā, & (memet) confirmabo.

28. Territus omnibus cruciatibus meis: noui quòd non mundabis me.

At quām illæ res meæ prosperæ celeriter euauerunt, tam è contrario tenaciter inhærent mihi cruciatus quibus sum transfixus. Quum enim cōstanti animo statuissem à querimoniis mihi temperare, &, hac omni indignantis animi ægritudine abiecta, meipsum colligere, tunc me demū omne cruciatuū acerrimorum agmē perterruit, vt aduersus istud quod amici inculcastis, probos videlicet etiam castigatos nūquam succidi, hoc pro certissimo statuā, ô Deus, nunquā esse me ab istis quibus totus scateo fœdissimis viceribus ac vermib⁹ repurgādum.

29. (Si) sceleratus ego, cur frustra laborarem?

30. Si abluerō me aquis niualibus, & mundauerō puritate volas meas.

31. Tunc infoueam immerges me, & abominabuntur me vestes meæ.

32. Cetiè (ipse) non (est) homo sicut ego, ut ei respondeam, & veniamus simul in iudicium.

33. Non est inier nos qui redarguat, (&) imponat manum super nos ambos.

29. Quòd si excipiatis in eo me falli, quòd hæc mihi licet integro euenisse censeam: nempe fuerim qualē esse me dicitis, nimirum sceleratus hypocrita. Hoc autem si verum est, quorsum ego frustra de obtinenda apud Deū gratia laborarē? 30. & 31. Sed quorsum hic attinet de mea vel integritate vel improbitate pluribus disputare? Nam etiamsi niue essem ablutus, & ipsam puritatem mihi mundando inter manus versarem, apud ipsum apparens: tamen vt quod de me constituit exequetur,

tur, in sepulchrum nihilominus me deiiceret, vestibus ipsis sepulchralibus ad meam fœditatem cohortescentibus. 32. Absit igitur à me ut cum ipso de eo contendam quod ille iam se factum decreuit. Nā quū ego quidem sim vir, ipse verò Deus sit, quid possim ei respondere. 33. Et quīnam inter ipsum & me iuridica disceptatio institui possit? Nullus enim est qui vel illum vel me litigantem arguat, & qui tuam auctoritatē inter nos duos interponat.

34. Amoueat à me virgam suam, & terror eius ne me terrefaciat.

35. Loquar, nec eum reformidabo: quia non sis sum apud me.

34. Sed age, hoc vnum ab ipso possim impetrare, ut in ducas aliquas ab istis cruciatibus mihi concedat, neque immēsæ illius suæ potentiae maiestate me perget perterrefacere. 35. Tunc enim ausim receptis viribus, aduersum vestrā criminacionem, apud ipsum met agere. Nec enim eum esse me testatur mea mihi conscientia, quam estis me criminati.

### S V M M A E T D I S P O S I T I O

#### C A P I T I S . X.

**I**obus quasi die suis amicis apud Dei tribunal dicta, primum testatus vers. 1 se quod faceret inuicem facere. falsa nimis illorum accusatione coelatum, causam suam agere incipit. Et est istud semper in his querimonias observandum, non esse propositum Iobos se ut avara pietate apud Dei tribunal sistere: (contrarium enim & antea non sensel, & toto capite superiore, ac deinceps etiam agnoscitur) sed dunt scilicet aduersariorum criminationem auertere, ipsum pietatis in Deum simulata, ac etiam aliorum in homines ad missorum scelerum accusantium, quibus extraordinaria: iusta as pœnas sibi accesserint. Iustum ergo causam tueretur: quamvis tum doloris acerbitas, tum huius calumniae indignitas nonnullas ab ipso voces humanæ infirmitatis testes extorqueat, quas tamen subinde emollit. Hoc igitur posito quod & exiremo capitis superioris versiculo, & max. vers. 7 testatur se videlicet vere pro viribus Deum ex animo suis reveritum, vt tandem cogitur cap. 29. plenissime exponere, & ab omni in alios iniuria suis remotissimum: sed alio scrutatur apud se vers. 2, 3, 4, 5, 6. quānam igitur fieri possit, ut Deus cum ipso durus etiam & inclementius agat quamcum sceleratissimis alii: & nihil inueniens quo nodum hunc expediatur (quod & prophetis accidit, ut Psal. 73. Jerem. Abacuc. 2) sceleres

Deum ad commiserationem variis argumentis studet, de hac quidem vita desperans; & interdum extra limites excurrens, sed ita ut a Deo semper pendere se profiteatur.

## C A P V T . X .

Vers. 1. Fastidit anima mea vitam meam: relinquam super me eloquium meum: loquar in amaritudine animae meae.

Animam meam tædet huius tam acerbæ vitæ: sinam arbitrio suo ferri querimonias meas super istis mihi impositis calamitatibus: effundam quæ mihi dictant amissimi cruciatus.

2. Dicam Deo, ne me condemnato: fac ut norim qua de re litigies mecum.

Vtar autem hoc apud Deū sermone. Ne de me, quæ so, vt sante sententiam ferti priusquam faxis ut intelligam qua de re me in iudicium vocatis.

3. Num bonum (est) tibi, quod opprimis: (ide est oppressione vti) (&L) quod auerteris (ide est, auertari) opus manuum tuarum: & super consilio scelerorum splendere?

Et ne cui mirum videatur istud à me postulari, res ipsa luc me adigit. Absit enim à me vt tibi existimem placere posse violentam cuiusquam oppressionem, vel te delectari tui ipsius operis destructione. Nam hoc demum consilium capere & ita factitiae scelerati iudices consueuerunt, quos exemplo tuo quasi splendore quodam cœlitus apparente confirmare tu iustissimus index non possis.

4. Num oculi tibi sunt carni, num sicut homo videt, vides?

Num verò tibi existimauerim non aliter perspectas esse res quam nobis mortalibus, quorum oculi carni exterioribus ipsis intuendis tam sàpè nos fallunt: ideoque fortassis vel non esse me tibi perspectum, vel te affectibus, non autem certo iudicio, duci?

5. Num sicut dies hominis, sunt dies tui? & num anni tui (sunt) sicut dies hominis.

6. Ut inquiras in iniuriam meā, & de peccato meo queras. Num denique vitam hominum viuis in dierum & annorum spatio distributam, vt ad intelligendum an, vt isti volunt, sceleratè & flagitiosè vixerim, aliquo temporis inter-

interuallo indigeas, & tormentis subiici me fuerit opus?

7. In notitia tua est me solum (id est scelerum illorum reū) non esse, & (tamen) quis me à manu tua liberet?

Quid igitur hic statuerim miser? Nam illa quidem certe in te non cadunt. Tu verò nosti me à scelerata & flagitijsa vita, cuius isti me reum faciunt, prorsus immunem esse: & tamen ita seuerè & duriter me tractas ut ex manibus tuis euadendi nulla mihi ratio supersit.

8. Manus tua & elaborarunt me, & construxerunt me simul circumquaque, & absorbes me?

Ah, mi Deus, tu is es qui me tāta quasi solicitudine tuis ipsis manibus efformasti, & totum quantuscunque sum concinnasti: tēne verò quod ipse feceris tanto cum impetu abolere?

9. Memento, quæso, quod me tanquam lutum finxeris, & in puluerem reduces.

Memineris, quæso, quod ex limo tu ipse me, figuli more, effinxisti, & in puluerem sis reducturus, ut in me destruendo tam fragili vasculo, & sua sponte in puluerem simulatque iussoris reuersuro, minimè te oportuerit vestras experiri.

10. An non tanquam lac colliquasti me, & tanquam caseum coagulasti?

11. Cuite & carne vestiasti me, & ossibus ac nervis contexisti me?

12. Vitam & beneficentiam fecisti mecum (id est, vitam mihi tribuisti cum benignitate tua coniunctam) & inspectio tua custodiuit me.

13. Et ista abscondisti in corde tuo? nam scio quod hoc (fuit) apud te.

10. & 11. Tu profectò is es, qui me quum primùm ciperer in matris vtero, quasi lac percolatum, & postea instar casei coagulatum, cuite & carne induisti, ac demū nervis vndique compegsti. 12. Vitam præterea meam mirificis beneficiis ornasti, & assidua de me cura spiritū hunc meum es dignatus. 13. Vnde igitur ista in contrarium commutatio? & quinam mihi tā esse benignus, & simul ista quæ nunc experior, latere in corde tuo potuerunt? Nec enim ista, mihi sat scio, nisi te sic volente &

decernente cuenerunt.

14. Si peccavi, & obseruasti me, & ab iniuitate mea non emundasti me.

15. Si sum sceleratus, & mihi si verò sum justus, non attollam caput meum, saturatus ignominia, & videns afflictionem meam.

14. Deliqui, fateor, non semel, & tu vicissim me peccantem notare solitus es, neque passus es ut id impunè ferrem.

15. Quod si sceleratè me gessi, vt isti criminantur, (tu verò, sicut modò dixi, optimus es eius rei testis) non habeo certè de quo conquerar: sin verò pietati & iustitiae pro viribus seriori studui, nihilò propterea sum altius eueritus, immo summa coopertus ignominia, & in hanc extreemam quam experior calamitatem redactus.

16. Nam effertur, (id est, crescit illa) & ut leo venaris me, & redis, (id est plagas ingeminas) & mirificaris (id est, mirificum te præbes) aduersum me.

17. Renouas testes tuos coram me. & multiplicas iram tuam cum permutationes (id est miseria alia & aliis succedentes) & exercitus sunt apud me.

16. Augelicit enim illa magis ac magis: vt planè tanquam immanis quispiā prædo venari me videaris, assidue me persequens, quasi institueris quantæ sint tuæ vites in me opprimendo demonstrare. 17. Vix enim unam plagam excepti, quuin aliam imponis, quasi totidem certè tuæ quam in me exerceſt seueritatis productos testes: miseriæ denique me agminatim, alia & aliis succedentes, inuidunt.

18. Cur igitur ex utero eduxisti me? (vtinam) interiisse neque oculus me vidisset.

19. Fuisse tanquam non extitisse: ab utero ad sepulchrum fuisse elatus.

18. Mene igitur idcirco à te fuisse ex utero matris e ductum, vt sic interirem? eheu cur non potius tibi visum fuit vt in nullius conspectum venirem. 19. Utinam inquam, perinde natus essem, ac si nunquam extitisse, ab utero videlicet ad sepulchrum elatus.

20. Nonne paucum (quiddam) sunt dies mei? desesse igitur à me & robore bor paululum.

21. Priusquam abeam, & non revertari: in terram tenebrarum, & umbra mortis.

22. Terram obscuritatis, velut caliginis umbra mortis, & non ordinum: (id est, horridam & ubi nullus est rerum ordo) & ubi (quod) splendet est caligo.

20. Denique quum perexiguū sit vitæ quod mihi superest spatum, quæso, missum me facito, ut respirare vel aliquantulum mihi liceat, 21. antequam ex hac vita nunquam hic redditurus, terram illā subeam non noctis sed mortis tenebris horridam: 22. terram, inquam, tā obscuram, quām est ipsa obscuritas: ubi, cūcta obtinente mortis umbra, non diei & noctis, non tempestatum anni, non ortus & occasus vllū est discrimē: ubi deniq;, splendente in reliquo mundo Sole, mera est caligo.

### SUMMA ET DISPOSITIO CAPITIS XI.

**T**Sophares tertius ex amicis illis Iobi, sicut ultimus est loquutus, ita magis est in eo reprehendendus quam ipsius socij, quod quum ex Iobi responsis intelligere debuerit in merito ipsum accusari, è contrario ab accerrima infelicitate exorsus vers. 2. & 3. sophistam agit manifeste, quæ lobus & antea cap. 6, 10. & 10, 7. pro sua innocentia dixerat perinde interpretans, ac si se Iobus avapaptitor esse tueretur: quum ille tamen contraria non semel testatus esset ac professus se peccatorē esse, atque adeo etiā à peccato esset immunis, nō posse tamē se penitus purum ac mundū coram Deo censeri. Qua de re igitur, dices, querebatur lobus? nempe quod conjectura ex ipsius tantis calamitatibus facta, illum falsissimè ut impium hypocritam, & sceleratum hominem criminarentur. **Q**uecunque ergo Tso phares à 4. versiculo ad 13. de immensi & imperuestigabili Dei sapientia commemorat, verè quidem & magnificè dicta fuerunt: sed minime omnium ad coargendum lobum accommodate: quanvis in eo quidem modum non tenuisset Iobus, ac proinde reprehensione mereretur, quod audaciū quam deceret cum Deo ipso disceptasset, petens sibi calamitatis huius tam extraordinaria causam patesieri. Et quidem illud inter cetera Tso pharis intemperiem redarguit, quod ausus est affirmare, futurum ut, si Deus ipse, sicuti Iobus precatus fuerat, ipsum presens alloqueretur, eum ut duplo grauiora committeret damnaret. Nam è contrario Deus ipse Iobo apparet, ipsum absolvit, & amicis eius, non nisi pro eis deprecante Iobo, pepercit. **Q**um autem ex istis Iobo minime conuenientibus non aliaad concludat Tso phares à 13. vers. ad finem usque capit. quām quod dixerat Elephas & Bildadus, nimis hoc unum superesse Iobo remedium, si talem se agnoscens ac serio detestans, qualem

illum esse arguebant, veniam à Deo peteret, consequitur non potuisse Iobā  
istud consilium amplecti, quin contra conscientiam mentiretur.

## CAPUT XI.

1. Respondens autem Tosphares Naamathites, dixit.
2. An abundās verbis non exaudietur, (id est, an multi loquus responsum non feret?) & num vir labiorum, (id est garrulus) absoluetur? (id est, causam euicerit?)
3. (Num) commenta tua silere facient: & subsannaueris, & non erit qui faciat ut erubescas?
1. & 2. Quid ergo locutulejo non respondebitur: garrulitate quisquā hoc consequetur vt iustus sit habendus?
3. An ora nobis ista tua cōmenta obturabunt? & Deum ac nos ludificatus, non inuenies qui te ad ruborem addigat?
4. Dixisti enim, purum (fuit) meum Esse: & mundus sum in oculistuis.
5. Et verò quis det ut Deus loquatur, & aperiat labiatecum?
6. Et vt declareret tibi occulta sapientiae: Nam duplicitia (essent) ad id quod est: (id est ista de quibus conquereris essent duplō grauiora iis quæ experiris) & scito quod poscit te Deus ex iniquitate tua, (id est quid exigit à te Deus non quidquid debes, sed particulam tantum eius pœnæ quam scelera tua merentur.)
4. Audiuiimus enim quum Deum ipsum compellans dices, quod te purum in omni vitæ tuæ ratione p̄xstiteris, & illum appellares oculatum integritatis tuæ testem. 5. & 6. Et verò, si fieri posset vt, quemadmodum ausus es ab ipso postulare, tecum ipsem et loquere-  
tur, & illa sapientiae tuæ arcana tibi tam temere illa re-  
quirenti patefaceret, duplo certè miserior esset tuus iste status quam nunc sit. Hoc enim cōstituere debes, Deum non omnes debitas sceleribus suis pœnas, sed earum tā-  
tum particulam à te exigere.
7. Num inuestigationem Dei inuenies: num usque ad perfe-  
ctionem omnipotenti peruenies?
8. Altitudines cæli (sunt illa) quid facies? profundior est infer-  
no (idest, infimis subterraneis locis) quinam (ea) cognoueris?
9. Longior est terrâ mensura ipsius, & latior mari.

10. Siue excindat, siue concludat, siue colligat, quis obſtitet ei?  
 11. Certe intuetur homines perfidos, intuetur scelera, & non  
 considerabit (ea)?

12. Quid amplius autem à Deo requiritis, quum hæc a-  
 perta & manifesta satis supérque te coarguant? Nam si  
 Deus ipfe rationem tibi reddere suorum consiliorum  
 sustineret, num tu posses illam Dei sapientiam mente  
 comprehendere, & vlla iudicij acrimonia pertingere  
 ad illam Omnipotentis Dei absolutissimā perfectionē?  
 8. Est enim ille altissimis cœlis altior. Quinam igitur  
 huic peruenies homuncio in terris repens? profundiū la-  
 tent ipsius consilia quām quæ sunt in imis subterraneis  
 locis defossa: quinā illa scrutando nosse possis? 9. & 10.  
 Lōgiūs profert ſeſe hæc ipsius sapiētia quām orbis terra-  
 rū fines: & latiū protendit quām Oceanus ipfe. Quis  
 autem quoquomodo reſtias omnes statuenti vel euer-  
 tenti obſtitetur? Et quum inficiari nequeas patēre ipsius  
 oculis hominum perfidiam, omniāque scelera, an, obſte-  
 cro, que videt non animaduertet?

12. Sed homo vacuus (ideſt amens) redditur etiamcordatus,  
 quanuis ut pullus onagri homo naſcatur.

13. Si diſponas cor tuum, & expanderis ad eum volas tuas,

14. Si qua defraudatio eſt in manu tua, & amoueris eam à te,  
 neque ſinas reſidere in tabernaculis tuis iniqutatem.

15. Tunc certè attolles vulnū tuum à macula, erisque ſtabilis,  
 neque metues.

16. Tu certè obliuisceris aerumne, (&) tanquam aquarum que  
 praterierunt recordaberis illius.

17. Et tempus ſurget præ meridie, (ideſt ipſo clarissimo  
 die limpidiuſ:) ſplendefces, eris ſicut iſum Mane.

18. Et ſecurus eris, quia ſpes erit! & fodies, (ideſt, domiſiliū  
 tibi extrues) & ſecure dormies.

19. Et accubabis, neque terreberis: & deprecabuntur multi fa-  
 ciem tuam.

20. Oculi vero ſceleratorum deficient, & effugium peribit ab  
 illis, & ſpes eorum erit exhalatio anime.

21. Sic autem homines antea vecordes ſuīs caſti-  
 gationibus eruditii ſapere incipiunt, & qui tam nati ſunt  
 natura feri quām onagri pullus, cicurantur. Quod igi-

tur aliud tibi remedium superest quam ut deposita per-  
vicacia, & composito ad pœnitentiam animo, supplex  
fias Deo? 13. Quod siquid penes te habes malis artibus  
quisitum, illud abicias, neque domi residere per vim  
partum quidquam patiaris. 14. Tum enim, ne dubita,  
erecto vultu, & ab omni squalore, qui sic illum deforma-  
uit immuni, securus & omnis metus expers euades:  
15. Pro certo, inquam, istarum ærumnarum memo-  
ria mox euanscet, nec earum magis quam aquarum subito  
dilapsarum memineris. 17. Dispellet tenebras istas ex-  
ortiens tibi serenitas ipso meridie clarior, & instar ipsius  
auroræ splendebis. 18. Denique certa spes isti despera-  
tioni tuæ succedet, & sedes fixas & quietas constitues,  
19. ubi absque ullo terrore, immò cunctis tibi honoré  
exhibentibus, conquiescas. 20. Contrà verò illa sce-  
leratorum oculis omnia deuorantium aviditas euane-  
scet, & eorum expectationem mors superueniens fru-  
strabitur.

### S V M M A E T D I S P O S I T I O C A P I T I S X I I .

**I**obus Tsopharis tam arrogante prefatione, & aliorum in se reprehendi-  
endo intemperie, ter iam prouocatus, grauerit & ipse agere cum illis  
incipit, partim ostendens vers. 2. extremo nihil illos de admirabili Dei sa-  
piencia protulisse quod non sit quibusvis notissimum, ut sibi propterea  
quidquam eximium arrogare minime debeant cum aliorum contemptu:  
partim demonstrans, primum & sui ipsius presente exemplo vers. 4. & com-  
muni experientia vers. 5. & 6. falsissimum esse quod roties inculcarat, tum  
de proborum tranquillo, tum de improborum calamitoso in hac vita statu:  
quasi inde faciendum esset de Dei in quempiam amore & odio, & de cur-  
iusque vel proba vel scelerata anteacta vita iudicium. Postea memor  
fese ab Eliphaso 4. v. 7. & à Bildado 8. 8. admonitum ut a sensibus disceret  
de Dei consiliis sentire, testatur eadem fese ab illis de inenarrabili Dei po-  
tentia & sapientia audiuisse, que ipse quoque bestie doceant. vers. 7, 8, 9,  
10: sed opus esse iudicio ad illa discernenda & recte astimanda: quo pra-  
dictos, quidem senes esse in primis esset probabile, at non semper neque ne-  
cessario verū, vers. 11. & 12. Deinceps autem ad finem usque huius capituli,  
decimi tertij, capitis vers. 13. à quo potius caput illud exordiis oportuit, do-  
cet Jobus pendere res omnes, & eorum statum à Deo: neq; Deū à rebus a se  
conditis prout ipse affecta sunt, consilia sua mutuari, sed è contrario, cum  
Ela inscrutabili nobis vicinitudine diuinitus gubernari.

## CAPVT XII.

1. Respondens autem Iobus dixit.
2. Scilicet estis vos populus : & vobiscum morietur sapientia.
3. Atqui mihi cor est ut vobis, nec cado ego à vobis, (id est, ne que vobis cessero.)
4. & 2. Scilicet, si vobis creditur, non estis unus & alter, sed totius alicuius populi personam sustinetis : & omnis sapientia penes vos est recedita, ut vobis intereuntibus, illa quoque sit interituta. 3. Atqui sum & ego aliqua intelligentia prædictus, atque adeò nihil me vobis inferiorē duco.
4. Sum ut (qui est) ludibrio sodali suo Deum innocans ipsi respondentem: ludibrio (inquam, est) iustus & integer.
5. Qui paratus est ad vacillationes pedis, est vilis tæda cogitationi (hominis) pacati.
6. Pacata sunt autem tabernacula prædonum, & securitates (sunt) irritantibus Deum, (& cui facit Deus venire (optata) in manum eius (id est, cui Deus largitur optata.)
3. Immo cui non sunt perspecta quæ vos, ut non cuius obuia, iactatis cum aliorum contemptu?
4. Quàm autem sit falsum quod inculcatis de proba vel scelerata vita statuendum esse ex præsente statu, doceo ipse insigni exemplo : unus videlicet ex iis qui & Deum inreperentes respondentem à sodalibus suis despiciuntur: & certè in genere verum est iustæ & inculpatæ vitæ homines haberi ludibrio consueuisse.
5. Sic cuius status nutat non pluris est quàm vilis & ambustus titio apud eum qui alta pace fruitur. 6. Prædones interim & Deum sceleribus profundi vocantes, habitant in tuto: & Deo ipsis manus tradente quid quid optant, magna fruuntur securitate.
7. Ceterum interroga quæso bestias, & (vnaquæque) docebite: & aues, & unaquæque (ibista) indicabunt.
8. Aut alloquere terram, & docebit te: & (ista) narrabunt ribi pisces maris.

9. *Quis nescit in his omnibus, quod manus Domini fecerit istud?*

10. *In cuius manu est anima omnis viuentis, & spiritus omnis carnis viri?*

7. *Et, quæso, quid ex vobis tantam sapientiam præferentibus audiui, cuius discendi causa necesse fuérit me à vobis ad maiorum illorum nostrorum sapientissimorum scholā relegari? Nulla enim est bestia, quæ abs te compel lata, si loqui posset, non te istud docuerit: anis nulla, quæ hoc tibi non exposuerit.* 8. *Immo ipsa terra tibi istud ostenderit, ipsi pisces tibi narrarint.* 9. *Deum videlicet esse omnium & singulatum rerum istarum conditorem,* 10. *& tum omnis rei viuentis animam, tum hominum spiritum esse in ipsis manu ac potestate positam.*

11. *Nonne auris sermones probat, & palatum sibi gustat cibum?*

12. *In senibus est sapientia, & in longitudine annorum intelligentia.*

11. *Et hæc quidem omnibus patent, sed ut loquentem audire nihil iuuat, nisi quæ dicuntur auris probet, neque cibus ingestus sapit, nisi palati beneficio gustetur. Sic vos oportuit de Dei factis non ita temere statuere, neque meos sermones statim despicere, sed sapienter & intelligenter considerare & expendere.* 12. *Vos præsertim, inquam, senes, quos rectè dixistis decere sapientes esse, & quò diutius vixerint eò maiore præditos esse plurimarum rerum notitia.*

13. *Apud eum est sapientia & potentia: eius est consilium & intelligentia.*

*Testantur autem Dei opera quandam ipsius esse propriam & supra omnem mentis captum positam sapientiam in decernendo, vim ac potentiam in agendo, prudentiam denique & intelligentiam in rebus omnibus administrandis.*

14. *En destruet & non extruetur: includet virum, nec appetietur ei.*

*Eadem est eius vis inexpugnabilis in ijs quum ipsi libertate destruendis quæ fecit, quæ infaciendis fuit: & claustra quibus quempiam concluserit, reserauerit nemo.*

15. *Ecce cohíbebit aquas, & exarescent: emittit eas & subver tunt*

*tant terram.*

Aqua imperio ipsius cohibitæ ne fluant, exarescunt,  
eodem illas fluere iubente, terram inundationibus dis-  
perdunt.

16. *Penes illum est robur & subsistentia eius est errans, & er-  
rare faciens.*

Omnium rerum vis & robur, quo fit ut sint, & esse per-  
seuerent id quod sunt, ab illo est: & tunc eadē à suo illo  
statu aberrantes, tum illa per quæ aberrant, ab ipsius nu-  
tu pendent.

17. *Abducit consultos in mentis alienationem: & rectores in-  
fatuat.*

18. *Vinculum regum soluit, & alligat cingulum lumbis eorū.*

19. *Abducit proceres in prædam, & ponentes euertit.*

20. *Aufert labium dicendi peritis, & sensum senum tollit.*

21. *Effundit contemptū super nobiles, & zonā robustorū laxat.*

22. *Retegit è tenebris profunda, & umbram mortis (id est  
res abditissimas) educit in lucem.*

17. Hinc regnum euersiones non temerè, sed Deo  
sic disponente. Is enim est qui sapientiæ donum iis adi-  
mit quorum consilio regebantur, & gubernatores ad fa-  
tuitatem adigit. 18. Sed & ipsorum Regum vincula qui-  
bus populos constrictos tenebant dissoluit, & eos aliis  
dedit vinciendos. 19. Idem proceres suis ornamen-  
tis spoliatos tradit in prædam, & auctoritatē præditos  
prosternit. 20. Oratoribus autem omnem dicendi  
vim eripit, & senibus sensum adimit. 21. Reliquos etiā  
meritis suis insignes adducit in contemptum, omne  
denique regnum & publicorum aliorum statuum  
robur quo accingebantur, dissoluit. 22. Quæ illi puta-  
bant arcana, & in profundissimis tenebris delitescentia,  
ipse retegit, & in alta quasi mortis ipsius caligine recon-  
dita, cunctis palam spectanda præbet.

23. *Multiplicat gentes, & abolet eas: expandit gentes & con-  
trahit eas.*

24. *Adimit cor capitum populi terræ, & vagari facit eos in fo-  
litudine inuia.*

25. *Palpat tenebras: & non lux (est eis) & aberrare facit  
eos ut ebrios.*

23. Idem rerum publicarum & gentium ipsarum est exitus, quas prout ipsi visum est, auget vel abolet, propagat vel ad placitatem redigit. 24. Capita enim eorum modo amputat, id est suis moderatoribus illos priuat, modò claes profugos in vastas & prorsus auias solitudines pellit. 25. Denique facit ut omnis consilij inopes in densissimis tenebris versentur; & ut tanquam ebrij vacillantes, nusquam inueniant ubi pedem figant.

## S U M M A E T D I S P O S I T I O

## C A P I T I S X I I I .

**I**Obum reprehenderat confidentiis in Tropaeis supra II. 5. eo nomine, quod quasi aduersus ipsum rem Deum aliter ad illum prouocasset. Respondet lobus se non arrogantis, sed optima sua causa certa conscientia fretum, non modo non desigere quod optaret a Deo, (¶ quod eadem illi concessum fuit propter omnem aduersariorum opinionem, ut cap. 38. audiens) sed etiam id anide arripere, non quod ipsi in mentem venerit aduersus Deum super ipsum iustissimam semper sapientia contendere, aut sese ut avocato apud eius tribunal sistere, sed quod in certissimum aduersus illorum criminationes innocentiam studeat defendere, atque adeo ipsius Dei iustitiam contra ipsos apud Deum tueri. Nec enim posse valere illorum de Deo sententia, quae ei tribueretur, quod minime omnium ipsi conueniunt, ne duvi ipsi inquam imputum & iniustum aliquid de Deo sentiente merito criminarentur. Et hoc quidem agit lobus a vers. 1. invenire ad 13. finientem. Inde paulatim adrem accedens, vers. 14. 15. 16. negat se de sanctis apud Deum salute unquam desperasse, quanvis de hac vita sibi restituenda spem omnem amiserit: quod sic a Deo decretum esse ex presentis corporis statu concludat, non quod Deum in officiis facere istud si vellet, posse, quod etiam docuerat supra 12. 10. Denceps autem usus brevissima praefatione, vers. 17. & testatus vers. 18. se huc adigi aduersariorum suorum iustissima criminatione, euocatis illis ad Dei tribunal: deprecatus denique Dei terribilem illam potentiam & maiestatem in vers. 20. & 21. insummet statim iudicem, an verum sit quod contendebant aduersarii, sese videlicet propter hypocrisim & sceleras sic ab ipso duriter tractari: ac tandem adsae miseria tristissimam deplorationem reddit.

## C A P V T X I I I .

1. Ecce omnia(hæc) vidit oculus meus, audivit auris mea, & intellexit illa.
2. Iuxta scie tiam vestram, scio & ego: nec (in iis) cedo vobis.
3. Nihil autem hic ego recenseo, quod parum hisce meis

meis oculis non viderim, partim his autibus acceptum accuratè non cognouerim. 2. Et ut illa vobis, sic mihi quoque tam sunt perspecta, ut in hac notitia nihil sim vobis inferior.

3. Eximero ego apud Omnipotentem loquar, & disceptare apud Deum velim.

4. Nam certè vos estis concinnatores falsitatis: medici, inquam, nihil vobis omnes.

5. Utinam igitur tacendo taceretis: nam (id) esset vobis pro Sapientia, (id est, sapientiae species.)

6. Audite, quæso, redargutionem meam, & contentiones laborum meorum attendite.

Optaui, Tosphares, vt liceret mihi Deum ipsum coram compellare, quod si mihi contingeret, dixisti fore ut duplo augeretur mea ista calamitas. Ego verò, ne nescias, paratus sum illum compellare, nec quidquam magis optarim quam non ipsius quidem accutandi, quod mihi nunquam in mentem venit, sed criminatio nis vestra refellendæ gratia, causam meam apud eius tribunal agere. 4. Aio enim quæ in me cōfertis, mera esse médecia, quanto potestis artificio fucata & cōcinnata, nec minus quidquā hac vestra meis veleribus adhibita medicina efficere posse, quam id cuius causa videri vultis ad me aduenisse. 5. Utinam igitur in illo vestro septiduano silētio potius perseuerassetis, quam in hęc verba erupissetis. Sic enim videri potuisse sapere. 6. Quādoquidem autem vestras accusationes audiui; audite me, quæso, vicissim illas refellentem, & quas proferam rationes attentè auscultate.

7. Vos-ne pro Deo loqui iniuriam, & pro eo loqui dolum?

8. Vos-ne personam eius accipere? vos-ne pro Deo litigare?

9. Num vobis bonum fuerit, ut scrutetur vos? nū sicut illudetur homini, deludetis cum?

10. (Immo) argueret vos, si clām personam ipsius acceperitis.

11. An non sublimitas eius terribit vos, & timore eius cades super vos?

12. Commemorationes vestrae (sunt) sermones cineris eminetiae vestre eminentia lutea.

7. Quid hoc enim rei est? vos-ne patrociniū iustitie Dei

ab iniusta mei erimatione desumere: & vt illum ab iniustitia vindicetis, audere me vt hypocritam accusare. 8. Et hoc quid aliud est quam quod facere solent corrupti iudices, sic videlicet vni fauere, vt ei gratificandi studio insontem opprimant? 9. An istud vero praeposterū ipsius hac ratione propugnandi studium probaturum illum, & aliquo beneficio remuneraturum putatis, quem ipsa corda vestra scrutabitur? Et sicut hominibus est per facile homines ludificari, num ille calumniis vestris deludetur? 10. Nequaquam profectò, vt qui eiusmodi ~~προσωπονθιαν~~, ne siquidem clam ipsum esset admissa, fuerit toleratus. 11. Si non igitur res ipsa, at saltem eius sublimitate vos deterri, & eius reverentia percelli oportuit. 12. Nam ista quæ vos vt diligenter obseruata commemoratis, & in me tanquam certa quedam axiomata detonatis, non sunt solidiora quam cinist: & lutea sunt ista vestra quasi eminentia propugnacula, vnde me oppugnatis.

13. *Tacete à me, & ego loquar, & transeat super me quidvis. Desinite igitur me sermonibus vestris obtundere. Ego vero quounque res sit casura, pro me loquar.*

14. *Cur arriperem carnem meam dentibus meis? & animam meam ponerem in manibus meis?*

Mē ne vero tam amentem ex meis illis eiulatibus fuisse meritò colligitis, vt quasi meipsum manibus meis dilanians, scuire in meipsum, & vitam ipse meam vtrò prodere cogitarim?

15. *Ecce, occidat me (an) non sperabo: veruntamen vias meas in ipsius conspectu tuebor.*

Immo tantum absum ab eo vt Deum incessendo velim exitium mihi accersere, vt contrà, quanuis hac miseria me non simpliciter affligat, sed planè occidat, nihilominus tamen non sim desiturus, meliorem vitam ab ipso expectare. Interea tamen super anteacta vita mea, non dubitabo litem apud ipsius tribunal contestari.

16. *Ipsomet enim erit etiam mihi in salutem: non enim in conspectum eius hypocrita intrabit.*

Aderit enim ille ipse mihi ne peream: nedum vt me à vobis opprimenti patiatur: quod sperare non auderem nisi

si recta conscientia fretus, quum satis sciam hypocritas  
ab eo in suum conspectum non admitti.

17. Audite audiendo sermonem meum, & quod proferam  
sit in auribus vestris.

18. Ecce nunc instruxi iudicium, noui quod ego iustificabor.

19. Quis est qui litiget tecum? Nunc enim, si tacuero, moriar.

17. Adeste igitur auribus & animis attente quæ sum  
non aduersus Deum, sed pro me aduersus criminationē  
vestram dicturus. 18. Ad causam meam disceptandam  
compareo, sic instructus ut me à vestris criminationibus  
absolutum iri non dubitem. 19. Agedum igitur, nullus  
hic sit ulli dilatoria exceptioni locus. Adesto ex vobis  
quisquis tecum iure vis agere. Nunc enim satius mihi  
fuerit mori, quam silentio causam meam prodere.

20. Verum duo ne feceris tecum, & tue à facie tua non abscondar.

21. Manum tuam sum moueto à me, & terror tuus ne me con-  
sternet.

22. Aut voca me, & ego respondebo: aut loquar & responde mihi.

20. Apud te verò acturus, ô Deus, duo sunt quæ à te de-  
precor ut intrepidè causam meam agam. 21. Vnum,  
vt hanc manus tuæ verberationem tantisper intermit-  
tas: alterum ne ex illa tua terribili maiestate disceptetur  
hæc causa, sed illa quasi ad tempus seposita, clementer, &  
prout mea fert mortalis conditio, tecum agas. 22. Po-  
namus igitur non esse mihi cum iustis, sed tecum hand  
actionem institutam, quandoquidem tu is es cuius ma-  
nu cædor, & de hoc quæritur an isti recte statuant idcir-  
co me cædi, quod id fuerim sceleribus meis promeritus.  
Optionem huc tibi fero, vt vel tibi me roganti respon-  
deam, vel ipse mihi te compellant respondeas.

23. Quod sunt mihi delicta & peccata? transgressiones meas  
& errata indica mihi.

24. Cur faciem tuam abscondas, & habeas me pro hoste tibi.

23. Non recuso quin & quot modis in te modo leuius,  
modò grauius peccarim, mihi patefacias. 24. vt intel-  
ligam quænam tandem illa scelera sint quibus usque a-  
deò sis in me commotus ut me penitus auerteris, atque  
adeò metanquam tuum hostem persequaris.

25. An foliū propulsum conteris & stipulā aridam inseparabis?

Vt cunque sit, quæ so, annon sic in eum agendo, aduersus folium vel leuissimi venti impulsu casatum vires tuas experiris? annon de absumenta stipula laboras, tā arida, vt ad ignem admota, sua sponte sit mox exarsurā.

26. Quod scribas aduersum me amaritudines, & hereditare me facis delicta pueritiae meæ.

27. Et ponis in cippo pedes meos, & obseruas omnes se mitas meas, & super radices pedum meorum temet insculpis?

28. At ille tanquam putreda veterascit & tanquam vestis quam v corredit tinea.

26. Neque hoc dico rem ipsam exaggerans, vt facere molles & dissoluti homines consueverunt. Meras enim acerbitates amarissimas in me dictas, vt videaris pueritiae quoque meæ veterissimorū delictorū pœnas à me exigere, quasi hereditatio quodam iure in me devolutas, quas iam pridem militi credidi condonatas. 27. Immo quasi vereretis ne tibi elaberer, arctissimis compedibus me constrictum tenes, & ita me quacunque incedam sollicitè obseruas, vt vbi cunque pedem posui, tu quoque vestigium figas. 28. Et ita fit ut miserille Iobus trimulo folio, & atidæ stipule similis, putrescens dilabatur, & tanquam à tineis exesa vestis absumatur.

### S Y M M A E T D I S P O S I T I O

### C A P I T U L U M X I I I .

**I**obus conscientia sua recta testimonio fatus, & testatus se se paratum Dei iudicio stare, per quem se absoluendum non dubitaret ab aduersariororum criminatione, torus est in hoc capite ad defensionem humanae vita misericordiam, modo in genere illam considerans, modo habita peculiari miserrimi sui status ratione, ut Deum ad commiserationem fleat, ad miseros interea pulcherrimum & de anima immortalitate, & de corporis ultimo illo die futura resurrectione, & immutatione testimonium, usq[ue] ad 14.5. ¶ 15. exporsus consentit Paulus 1. Cor. 15. 43. scilicet deinceps. ¶ Petrus 1. Petr. 3. 10. Sic enim mihi necessario uidetur hic loco locus, intelligendus.

### C A P I T U L U M X I V .

1. Homo nascens ex muliere brevis diebus, & saturata, (idest, infelix sibi æruminis opplendus.)

iii. R.

2. Sicut.

2. Sicut flos (id est similis florii) prodit & exciditur, & fugit  
ut umbra neque persistat.

3. Etiam super eum aperis oculos tuos: & me adducis in iudicium tecum!

4. Quis det mundum ex impuro? ne unus quidem.

1. & 2. Eheu, quid est Homine miserius, qui ex utero foeminae prodiens, vitam viatorum breuē, eāmque ærumna-ruin in ipsum abs te irato constitutarum plenam: floris instar oritur penè simul & interit, & ut umbra fugiens evanescit? 3. Ipsū ne verò tanti abs te fieri, ut in eum tam accuratè inquirere, & iure aduersus eum agere sustineas? 4. Est enim, fateor, impurus, sed quid agat? Num etim purus ex impuro gigni, aut impurus natus, sese ab hac immunditia purum reddere vel unus quispiā possit?

5. Si præfiniti sunt dies eius, & numerus mensium eius apud te (est), (&) stata tempora ipsius fecisti qua non prætergredietur.

6. Desiste ab eo, & quiescat donec expleuerit ut mercenarius diem suum.

5. Quum autem dies hominis præfinieris, & numerum mensium quibus viatorus est penes te habeas, statum denique omnem ipsius constitueris, quem excedere nullo modo possit. 6. saltē omisso flagello, quod naturalibus illis ærumnis adiicit, hoc illi concede, ut hāc breui & ærumnosa vita fruatur, donec, ut opus suum mercenarius, sic ipse cursum vitæ suæ conficiat.

7. Est enim spes arbori quæ succisa fuerit. Nam adhuc pullulabit & propago ipsius non deficiet.

8. Etiam si in terra consenserit radix eius, & in puluere mortuus fuerit truncus eius.

9. Ab odore aquæ germinabit, & faciet messem, velut planta.

10. At homo moritur & exciditur, & expirabit homo, & ubi est?

7. Nam de arbore quidem etiam succisa spes adhuc aliqua superest fore ut rursum pullulet, nec penitus deficiat. 8. quoniā ut radix etiā ipsius intus cōseruerit, atque adeo truncus eius sit emortuus. 9. tamen, ubi aqua fuerit quodammodo odorata, refurgit, & ramos rursum demerendos ut nouellæ plantæ profert. 10. At homini hæc vita semel amissa nunquam restituitur, quem se-

mel sublatum vbi tandem inuenias?

11. Abierunt aquæ è mari, & flumen exsiccatur & arescit.

12. Et homo iacet, neque surget: donec non fuerint cali non refurgent, neque euigilabunt è somno suo.

11. Sicut aquæ è mari euaporâtes euaneſcût, & fluuius siccitate superueniente exarescit: 12. ita homo morte concidit, donec amplius non sint cœli, id est nunquam ex illo mortis somno excitandus nec euigilaturus, ut huic mundanæ vitæ restituatur.

13. Utinam in sepulchro absconderes me, & occultares me donec auerteretur ira tua, & statutum (id est certum terminum) mihi poneres, & recordareris mei.

Utinâ verò me in subterraneâ aliquam specum recomderes vbi vel sensus expers, vel saltem extra hominum conspectum abditus delitescerem, tantisperdum iram in me tuam remitteres: certo videlicet termino mihi præstituto, in quo omnem mei memoriam abieciſſe te demonstrares.

14. Si moriatur homo, num reuiuifet? cunctis-ne diebus meis expectabo immutationem mei?

15. Voces, & respondeā tibi: & opus tuarum manuū requiras?

14. Quum autem neq; istud fieri possit ut homo mortuus huic vitæ restituatur: nec illud quod modò optauit concedere consueris, num, obsecro, tamdiu mihi in hoc intolerabili statu perstandum, 15. donec altera dies illa adueniat in qua ex hac tam breui & misera vita, tunc deum abste vocatus & tibi responsurus, & te omnipotium tuum quod periisse videbatur requirente, tam breuem & calamitosam hanc vitam cum altera illa perenni & beata commutem?

16. Nunc enim gressus meos numeras, nec (quicquam) reservas super peccatum meum.

17. Obsignata est in marsupio transgressio mea, & adiungis ad iniuriam meam.

16. Tam enim seuerè tecum agis, ut ne pedem quidem ynam mouisse videri possim, quin totidem gressus meos habeas in numerato, neque vel tantillum remittis de meorum peccatorum poena. 17. Immò singula visderis velut in sacculum quempiam obsignatum abdisce

disse, nequid tibi excideret: vnde fit etiam ut illa vlciscendo in quibus deliqui, pœnas pœnis accumules.

18. *Et sane sicut mons cadens defluit, & rupes transfertur è loco suo.*

19. *Sicut aquæ comminuant lapides, & puluis terræ inundat ipsius germina, & spem hominis perdis.*

20. *(Sic) præualeſ ei perpetuò, & abit mutans vultum ſuum, & extrudis eum.*

18. Denique, sicut tam repentinus & tam violentus meus hic caſus demonſtrat, quemadmodum mons quipiam concuſſus, quantumuis antea ſolidus & firmus dilabitur, & rupes ipſe ſubito impetu emotæ alio transfruntur: 19. & ſicut paulatim ſtillantes aquæ lapides atterunt, & puluis agri ſenſim inundantibus aquis aggetus plantas corrumpit, tota miferi agricolæ ſpe deperdita: 20. ſic tu mortales viribus tuis non definis proſternere, donęc eos tristes, & mutato vultu, abeuntes, ex ipſa vita extrudas.

21. *Promouebuntur liberi eius, & (ipſe) nesciet: aut imminuentur, & ipſe eos ignorabit.*

22. *Verū caro eius ſuper eum dolebit, & anima eius intra ipsum lugebit.*

21. *Quod si non ſic penitus è medio tollantur nonnulli, quin liberos relinquant, vel erit aliqua eorum auctoritas, vel ipſi quoque deprimentur: vtrumuis autem eueniat, nihil hoc ad illorū patres, vt qui morte ſublati nihil iſtatum rerum norint, 22. ipſorum verò adhuc viuorū tum corpora torſerint dolores, tum animos multiplices mærores excruciarint,*

## S Y M M A E T D I S P O S I T I O

### C A P I T I S X V .

**H**ec est altera amicorum Iobi congreſſio, in qua non imprudentia ſatiū ut antea, ſed etiam peruicacia peccant, & quidem Eliphaz, quanuis maximo natu, ſociis ſuis ſemper preeunte. Tam est diſſicile quād illas & ab ilpias, inter diſputandum preſertim, ſuperare, ſicut quotidie nunc etiā experimur. Solus enim Deus ſyncerū inquirendæ veritatis ſtudium animis hominum inſerens, illis perſuadere potest, pulcherriſimum eſſe vicitoria gonis veritati cedere. Eliphazus igitur verſ. 2. & 3. ab aſper-

S. j.

rima increpatione exorsus subiicit illi reprehensioni vers. 4 5. & 6. non rationem, sed manifestam calumniam, quasi videlicet quum dixisset Iobus communes esse tum probis tum improbis summas huius vita miseras, inde consequeretur inanem esse Dei cultum, & vanas apud Deum preces: sive quod Iobus vi doloris, & aduersariorum importunitate aliquatenus extra reuerentia Deo debite fines abruptus, & paulo audaciū Deum compellans, manifestum numinis contemptum proderet, ut facere veteratores & rabule consueverunt. Horum autem nihil unquam Iobo in mentem venisse, suis locis ostendimus. Quare vero longius progrereditur Eliphazus, ratiō magis à proposita questione recedit, primum quidem vers. 7. 8. 9. 10. 11. Iobum futiliter admodum increpans, tanquam contemptus amicis sibi stulte sapientis nomen arrogantem: deinde versutè, vel certè inscienter, quæ pro sui defensione protulerat Iobus, non aliter interpretans, quam si apud Dei tribunal se se à quāplorū profiteretur: quum tamen disertis verbis nullos homines esse apud Deum mundos Iobus esset testatus, atque adeò peccatorum suorum veniam deprecatus: hoc unum videlicet contendens, iniuriam sibi maximam ab amicis fieri, quod de ante acta sua vita ex presente ipsius calamitate iudicium ferrent. Inde vero breui rursus, sed nimil imperiosa prefatione adhibita, vers. 17. incipit graphicè prorsus, iusta diuina in eos severitatis iudicia describere, qui sceleratè se gerunt, illa non obscurè in Iobum detorquens, à quibus tamen ipso Deo teste, fuit, si quisquam alius, immunis.

## CAPVT X V.

1. Respondit autem Eliphazus & dixit.
2. Num sapiens loquetur (num sapientis est proferre) scientiam venti, & replebit (replere) Euro ventrem suum?
3. (Et) argutari sermone (qui) non prodest, & verbis quibus non proficit? (nihil promouet?)
1. & 2. Hæc autem excipiens Eliphazus, Enim uero, inquit, an eum decet qui tam sapiens videri velit, ipso vento leuiora quasi scienter dicta proferre, atque adeò velut Eurū ipsum turgido pectore efflare. 3. Quidni sic enim tot vanos sermones, & tā inaniter effusas voces appellē?
4. Immo tu irritum facis timorem, & auersis meditationem coram Deo.
5. Nam docet iniquitatem os tuum, & non ego: & labia tua testificantur aduersum te.
6. Condemnat te os tuum, & non ego: & labia tua testificantur aduersum te.
4. Immo non tantum vana, sed quibus etiā omnis illa quā Deo debemus reuerentia sic tollitur: nec precibus apud

apud Deū locus vllus relinquitur. 5. & 6. Sūt enim prorsus impia quæ hoc ore tuo profers, nec aliter loqueris quām rabulæ & desperatæ impudetiæ homines consueverunt: vt non ego te, sed tuum ipsius ostendarguat: nec aliis quām te ipso testibus mihi sit opus.

7. Num primus homo natus es, & ante colles formatus es?
8. Num arcanum Dei audiisti, & eliciisti ad te sapientiam?
9. Quid nosti quod nesciamus? quid intelligis (quod) nō (sit) nobiscum?

10. Etiam canus, etiam decrepitus (est) inter nos, & abundanter diebus patre tuo.

11. An parum (sunt) præ te (idest te indignæ) consolationes Dei, & aliquid occultatum est apud te?

7. Num tu verò qui tantam tibi sapientiam præ cæteris vendicas, cum ipso mundo exortus es, & priùs quām colles conditus, vt à nemine doceri possis, cæteros exte discere oportear? 8. Num te Deus arcana quædam in peculiari sua schola docuit, vnde sapientiam omnem ad te pertraxeris? 9. Immo eequid nosti nobis incomper tum? ecquid habes quo simus ipsi destituti? 10. Etiam in hoc cœtu non deest canus quispiam, atque adeò tam prouerbiæ etatis, quām tuus ipse pater. 11. Et tamen istæ quas velut ab ipso Deo acceptas adferimus consolationes, leuiores sunt quām vt eas probare possis: nimirum quod apud te quidpiam magis reconditum delitescat.

12. Quorūsum te abripit cor tuum, & quid innuunt oculitui?
13. Ut responset Deo spiritus tuus, & proferas ore tuo verba?
14. Quid est homo ut purus sit, & ut iustificetur natus ex muliere?

15. Ecce sanctis illis suis (Deus) non innititur, & cæli non sunt puri in oculis eius (idest, cum ipso collati.)

16. Quantò minus homo abominandus, & putidus bibens velut aquam iniquitatem?

12. & 13. Cedò verò quidnam est quod animum tuum ita transuersum agit extra omnes modestiæ fines? & quid si bi volunt isti collinantes oculi? quod tam alcè spirans audeas Deo ipsi responsare, & verbis etiam ipsum lacescere? 14. Quid enim est homo ut purus haberi possit? homo, inquam, ex mulieris vtero prodiēs, vt scilicet iustum

- ausit profiteri. 15. Ecce tantus est Deus ut ne sanctis quidem illis suis spiritibus innitatur, vt qui non illorum viribus & industria, sed sese uno fretus vtatur illorum opera & ministerio: & ne ipsi quidem cœli mundi sunt cū ipso collati, quātum uis à terrenis istis fecibus immunes:
16. Et puritatem sibi audebit arrogare, homo animal per se abominandum, fædum, & totum haustus tanquam aquis sceleribus turgidum?
17. Indicabo tibi, (Ero igitur tibi præmonstrator) audi me, & quod vidi narrabo.
18. Quod sapientes renuntiarunt, (&) à patribus suis acceptū non celarunt.
19. Quibus solis data est terra: nec transiuit exterius in mediū eorum.
20. Ne te pidgeat igitur me præmonstratorem, & ea narrantem audire, quæ tum ipse met vidi: 18. tum sapientissimi homines à maioribus suis tradita minimè nos celarunt: 19. soli inquā, illi digni sapientū appellatione, qui commissos sibi populos & domi prudentissimè gubernarūt, & foris aduersus exterios fortissimè sunt tutati.
21. Cunctis diebus sceleratus sese ipse excruciat, & numero annorum qui reconditi sunt (homini) violento.
22. Strepitus terrorum in auribus ipsius, in pace vastator veniet ei.
23. Non credet redire (se crediturum) è tenebris: & aspicitur à gladio.
24. Terrent eum angustia & arctatio, (quæ) præualebit ei sicut Rex paratus ad circumuentionem.
25. Quia extendit contra Deum manum suam, & contra omnipotentem sese obfirmauit.
26. Irruet (Deus) in eum, in collum: in densitatem umbonum scutorum ipsius.
20. In summa, Iobe, res ita se habet, quod & ante a tibi prædicti, & tu in te ipso experiris. Nullus dies abit scelerato, quo non sese miserrimè, & haud secus quam parturiēs mulier excruciet, idque toto illo annorum tempore qui sunt violentis & rapacibus diuinitus præstituti. 21. Per petuis

petuis terroribus personant ipsius aures, & tunc demum ei superueniet hostis ipsi exitio futurus, quum maximè in tuto versari sibi videbitur. 22. In aduersis de sui liberatione prorsus desperat, quasi gladio cetuicibus eius perpetuò imminente. 23. Quantumuis aliorum bona deprædatus, vagabitur cibi querendi causa, haud inscius proximum sibi & ad latus adesse diem quo iustas scele-rum pœnas luat. 24. In arctissimas angustias redactum perpetui terrores prement, haud secus quam si Rex quispam validissimus copiis illum, in orbem, nusquam eua-surum, circum cingeret. 25. Autum enim illum, quasi iniecta manu, Deū ipsum aggredi & aduersus Omnipotentem illum obstinatè insurgere. 26. Deus cōtrā per-ruptis quantumuis densis illius scutis obtorto collo per-trahet.

27. Quannis obtexerit faciem suam adipe suo, & ora (id est rugas) fecerit super ilia.

28. Et incoluerit urbes (priùs) excisās, & domos (quæ) non habitabantur, & dispositas in aceruos lapidum.

29. Non ditescet, nec erunt stabiles eius facultates, nec extende-tur in terram perfectio eorum.

30. Non recedet à tenebris, propaginem eius arescat flamma, & abibit flatu oris eius (nempe Dei.)

31. Non credet, per vanitatem deceptus, quod vanitas futura sit commutatio sui.

32. Die non suo complebitur: & frondes eius non virescent.

33. Abripetur sicut viti, acerba ipsius una: & abiicietur tan-quam olea & flos ipsius.

27. Nam, ut etiam luxui indulgens gulam suam eò vs-que expleuerit, ut adipe turgeat totus ipsius vultus, & corrugatum ventris omasum circumferat. 28. Et pro-pagandi nominis sui causa, urbes priùs ab incolis deser-tas, atque adeò in aceruos lapidum abeuntes, instaurarit.

29. Minimè tamen locuples, mox euanescentibus i-psius opibus, fuerit: neq; longius porrigitur in terra quod isti se se perfecturos somniarint. 30. Nam illum quidem inuadent miseræ ex quibus nunquam se se extricabit: e-ius autē familiā adhuc tenerā torrebit flamma ipsius Dei flatu excitata. 31. Ipse verò se se vanitate sua deludens,

CAP. immatura morte sublatus: 33. & ipsius propago prius  
16. & 17. quam ad maturitatem perueniat, exarescet, haud secus  
quam vitium acerbas adhuc vuas tempestas abripit, &  
pubescentes adhuc olearum flores decutiuntur.

34. Etenim caterua hypocritarum erit solitaria, & ignis deuo-  
rabit tabernacula munera.

35. Concipiunt enim molestiam, & pariunt vexationem, &  
eorum viscera concinnant dolum.

34. Nam & quisquis pietatis & iustitiae studium simu-  
lat, & omnis ipsius tum familia tum clientela in solitudi-  
nem redigentur, & domos corruptelis extructas ignis  
vorabit. 35. Ut qui mente cōceptis & excogitatis quas  
aliis inferat molestias, nihil aliud quam vexationes pa-  
riant, & in eo sint toti ut fraudes quam astutissime con-  
cinnent.

### S U M M A E T D I S P O S I T I O

#### C A P . X V I . E T X V I I .

**H**oc toto capite Iobus nihil in Eliphazi verbis animadueriēs ad quod  
non antea respondisset, primum de iniuria qua sibi contra omnia a-  
micitia iura fieret, miserabili proflus lamentatione conqueritur: agnosces  
quidem summam suam esse miseriā, & eam quidem diuinitus sibi infla-  
tam, sed negans eorum scelerum quae ipsi non obscurè imputarat Eliphaz-  
ius, se consciū, esse ea imprecatione adhibita qua nihil de invō: ipso  
ne cogitari quidem possit. Capite verò 17. quasi animo post superiorē ser-  
monem non nihil alleuato, licet propinquam mortem expectans, Eliphazū  
bonitate causa sue fretus, ad ipsius Dei tribunal sponsione provocare non  
dubitat: quia in re duplex beneficium præter spem omnem est consequitus,  
nempe & ipsius Dei repente tandem apparentis iudicio absolutus, (quod  
quem fieri non nisi miraculo posset, ne sperare quidem poterat.) & non in  
vitam modò, de qua penitus desperabat, verū etiam in duplo beatiorē  
quam antea statum restitutus.

#### C A P V T X V I .

1. Respondens autem Iobus, dixit.
2. Audiui talia multa: consolatorēs molesti (estis) vos omnes.
3. Nullus-ne finis erit verbis venti? (id est inanibus) aut  
quid te obfirmat ad loquendum?
4. Ego ne verò sicut vos loquerer, si esset anima vestra loco a-  
nimae meae: (&) coaceruarem aduersum vos verba, & mouerem su-  
per

*per vos caput meum;* 5. (Immo) fulcirem vos ore meo, & motio labiorum meorum (vel strum dolorem) inhiberet.

1. & 2. Ad hæc autem Iobus. Ecquid verò dicis quod non iam toties audierim? Hocci-ne autem est, quod vos omnes facitis, amicum solari, ac non potius diuexare?

3. Nunquām-ne inania ista & ventis ipsis leuiora effundere desineris? & quidnam habes firmi, Eliphaze, cur in ipsis responsationibus tam obstinatè pergas? 4. Egó-ne verò si meo loco essetis, ita ut vos loquerer? ita-ne verba aduersum vos studiosè conquisita concinnarem? Siccine vos habens ludibrio, caput in vos mouerem?

5. Immo vos certè potius labascentes studerem apposito sermone fulcire: & vestram calamitatem lenibus verbis cohibere.

6. Si loquutus fuero, non inhibebitur dolor meus: sin verò (loqui) defitero, quid à me abibit?

Quid igitur hic agam? Nam si loquar, nihilo propterea minuetur hic meus cruciatus: sin verò silentium mihi indixero, quid inde mæ miseriaræ decesserit?

7. Sanè verò me delassauit (Deus) (& tu) deuastasti omnem satum meum; (id est rem omnem familiarem meam.)

8. (Quod) corrugasti me, est proteste: & oborta in me macies mea, in facie mea (id est, palam) id testificatur.

9. Furor eius discerpit me, & oblitus tatur mihi: frendit aduersum me dentibus suis: hostis meus acuit oculos suos contra me.

10. Aperuerunt aduersum me os suum: cum opprobrio percusserunt maxillas meas: simul aduersum me congregatis sunt.

11. Includit me Deus apud peruersos; & in manus sceleratum declinare me facit.

12. Quietus eram, & attriuit me, & arripuit ceruicem meam, & allist me.

13. Circumdat me iaculatores eius, diffidit renes meos, & non parcit, effudit humifel meum.

14. Dirupit me ruptura super rupturā, incurrit in me ut potes.

7. Nam quicquid sit, & quicquid possim pro mei defensione proferre, Deus me in miseriis delassatum prostravit: tu me totum, inquam, ô Deus, meaque omnia deuastasti.

16.&amp;17.

8. Neque id inficiari possum aut velim, hoc ipsum testantibus totius mei vultus rugis, & oborta macie, quæ me totum deformat, palam hoc declarante. 9. Immisit itæ suæ administratos Dominus, qui me arreptum totis viribus aggressi discerperent: qui dentibus in me frendarent, qui me scintillantibus oculis percellerent. 10. Ipsi verò me totis buccis quasi deuoraturi inuaserunt, & colaphis cum ludibrio inflatis, coitione facta, meum os istud contuderunt. 11. Denique Deo visum est dedere me peruersis, & efficere ut ex illa plana qua incedebâ via decedens, in diuerticula & manus illorum incideret.

12. Tranquillus eram, quum ille me prostratum attruit, & collo abreptum allisit: denique me sibi ex aduerso veluti scopum transfigendum proposuit 13. Circumstant me destinati ab ipso iaculatores, à quibus mediis transfigor, vsque adeò, vt, nullo cōmiserationi loco relieto, humus effusis visceribus meis cruentetur. 14. Rui-nam ruina superueniente cumulauit: denique toto in me impetu ruens, vites omnes suas in me exertuit.

15. Saccum assui super cutem meam, & fœdavi puluere cornu meum.

16. Facies mea conspurcata est ceu luto pafetu, & (est) in palpebris meis umbra mortis.

15. Ego verò adhæc, Eliphaze, nequaquam aduersus Deum meum insurrexi, sicut tu me criminaris: sed cutem facco inuolui, & illius pristini splendoris mei, quo supra cæteros eminebam, statim oblitus, cinere me conspersi.

16. Neque verò istud in speciem feci, sicut hypocrita consueverunt, quibus tu me immerito accenses: quum hæc mea facies perpetuis lachrymis defluentibus quasi luto sit folidata: & deiecta atque caligantes palpebrae meæ, quandam præsentis mortis imaginem referant.

17. Non propter iniuriam in manibus meis: & preces meæ pœfunt.

18. O terra, ne tegas sanguinem meum, neque locus sit clamori meo.

19. Etiam nunc ecce in carnis (est) testis meus: & testis meus est sursum.

17. Nec causa est cur propterea anteactam vitam meā infe-

infectemini. Non enim ista mihi propter iniuriam cui- CAP.  
quam illatam euenerunt, & quod ad pietatem attinet, 16. & 17.  
Deum inuoco recta conscientia fretus. 18. Quòd si  
mentior, tu ô terra quæ Iobum superstitem sustinuisti, ne  
me cædis aut sceleris aduersus quempiam admissi reum  
tegit, nec isti mei clamores exaudiuntor. 19. Est e-  
nim etiam in cœlis aliquis integritatis mæ testis, est, in-  
quam, sursum qui pro me aduersum criminationes ve-  
stras testificetur.

20. O Rhetores mei, sodales mei, ad Deum stillat oculus meus.
21. Quòd utinam disputare posset vir cum Deo, sicut filius ho-  
minis cum amico suo.
22. Nam anni numeri (id est mihi præstituti) adsunt, &  
viam unde non sim regressurus, ineo.
20. Neque temerè testem hunc appello. Vos enim ô  
facundissimi homines & præclari mei sodales, hoc scire  
velim, non ad vos, sed ad Deum ipsum oculos istos meos  
stillantes dirigi. 21. Quòd utinam quādiu sum adhuc  
superstes, causam meam mihi concederet ut aduersum  
vos apud Dei tribunal disceptare, sicut agere homines  
cum hominibus consueuerunt. 22. Sed hoc beneficiū  
mihi præcipit annorum mihi definitorum finis expletus,  
& ecce viam, ex qua non patet reditus, iam capessō.

## CAPUT XVII.

1. Halitus mens dilapsus est: dies mei extincti sunt: sepul-  
cra mihi (parata sunt)
2. Nisi sint illusiones mecum, & (ni) in eorum irritatione per-  
noctet oculus meus:
3. Depone, quæso: & fideiube mihi tecum: ecquis est qui ad ma-  
num meam tangat?
1. Quū igitur halitu iam me destituent, & quasi iam  
exacto mæ vitæ spatio id vnum mihi superbit, vt se-  
pulchro condar: priusquām hinc abscedam, cū ista falsæ  
Pietatis in Deum, & probitatis in homines simulatæ no-  
ta quam mihi inuris Eliphaze, 2. Agedum iam nunc  
in iuste apud Deum voco, Nisi vos me ludificamini, &  
dies ac noctes immerito me diuexare non desinitis. 3.  
Confere, quæso, manum, & fideiube futurum vt te iu-

CAP. dicio sistas: quod si tu facere recusas, ecquis alius ve-  
16.&17. strum est qui manum mecum complodat?

4. *Quia cor eorum abscondisti ab intellectu, idcirco non attolles eos.*

Neque verò temerè ad tremendum illud tuum tribu-  
nal, ô Deus, tam confidenter prouoco. Quum enim istos  
sanæ mentis iudicio destitueris, minimè vereor ne te iu-  
dice in ista causa superiores euadant.

5. *(Is) qui blanditias renuntiat (id est assentatur) intimis  
amicis. & oculi filiorum eius absumentur.*

Num igitur, (dicetis fortasse) mavis, Iobe, vt tibi assen-  
temur, quandoquidem nostris liberis reprehensionibus  
tantopere offenderis? Absit. Nam contrà detestor si quis  
amicos blādis verbis fallit: tum in sese, tum in suos iudi-  
cium Dei accersit.

6. *Profecto stauit me (Deus) in prouerbium populis, & (sum)  
tympanum faciebus (i. est, hominum conspectu.)*

7. *Et contractus est oculus meus p̄a indignatione: & crea-  
ta mea omnia sunt velut umbra.*

8. *Obstupescunt super hoc recti, & innocens insurget aduersus  
hypocritam.*

9. *Sed retinebit iustus viam suam, & mundus manibus addet  
robur. (id est, tantò magis integrati studebit).*

10. *Reuertimini igitur omnes, & redite quæso, Nec enim in-  
uenio inter vos quis sapiat.*

6. Hoc igitur verissimum est quod negare nec velim  
nec possim, Iobum, Deo sic volente, esse vulgi fabulam,  
& cunctis quasi tympanum.

7. Emarcuerunt p̄æ animi ægritudine oculi mei, neq.  
iam corpus, sed corporis umbram à capite ad calcem ge-  
sto. 8. Neque verò me latet ad rem tam nouam & re-  
pentinam, non tantùm imperitos & leues homines com-  
moueri, sed etiam sapientes & recti studiosos percelli: at-  
que adeò in eiusmodi casu interdum infontes aduersus  
eos qui sic affligantur tanquā aduersus hypocratas com-  
moueri. 9. Sed is, cuius, licet in hac calamitate versan-  
tis, recta est conscientia, nihilominus suam innocentiam  
retinens, tantò constantius in integritate perseverat.

10. Mutata igitur vestra de me sententia, redite, quæso,  
ad sa-

ad saniorem mētem, & estote mihi & quiiores. Nec enim CAP.  
inuenio ex vobis qui me sapienter & appositè console- 16. & 17.  
tur.

11. Dies mei preterierunt, cogitationes mee abrepta sunt, pos-  
sessiones (inquam) cordis mei.

12. Nox pro die mihi p̄sita est, & lux propinqua est ad faciem  
tenebrarum (id est, pr̄sentibus tenebris.)

13. Quandoquidem expecto ut sepulchrum (sit) domus mea: &  
in tenebris sternam lectum meum.

14. Et foueam compellans (dixi) pater meus es tu: & vermina-  
tioni, Mater mea & soror mea es.

15. Vbi nam fuerit expectatio mea, & expectationem meam  
quis intuebitur?

16. Ad latera inferni (ista) descendens, si quidem simul in pul-  
uere quies erit.

11. Nam quòd ad alteram vestræ consolationis par-  
tem attinet, qua vos me iubetis mira quædam expectare  
si fuero vestris cōsiliis obsequutus, hæc quoq; vanissima  
est. Præterierūt enim dies omnes mei, & quæcunq; sum  
priùs imaginatus, immo quæ iam vt certissima possidere  
me sum arbitratus, momento sunt è medio sublata.

12. Nox hominibus ad quiescendum concessa, vertitur  
mihi in diem laborib⁹ destinatum: nec lucis exortæ be-  
neficio magis fruor quām quū præsens nox est. 13. Post-  
quam igitur hoc vnum expēcto, ut sepulchri domum  
ingressus, ibi in tenebris stratus iaceam, 14. Et foueam  
quidem patris appellatione, vermīum autem erosionē,  
matris & sororis nomine compellaui, 15. Vbi nam istis  
quæ mihi pollicemini potiar, & ecquis me tales intue-  
bitur, qualem me futurum dicitis? 16. Illa scilicet me in  
sepulcri caua descendenter comitabuntur, vt ibidem  
vnā quiescamus.

### S Y M M A E T D I S P O S I T I O

#### C A P I T I S X V I I I .

**C**onstat ex Elij interlocutione quam suo loco audiēmus, & ex pluri-  
mis istorum habitorum sermonum locis, ex ipsis denique circumstā-  
tiis ut eris nūbus, hæc non esse priuatum, sed adstantibus utrinque plurimis  
dicta. Hinc fallum ut Bildadus nunc videatur quasi cum pluribus

quidem disceptare, seorsim tamen Iobum mox compellans: quarevis possit etiam videri suos quoque socios cum aliis comprehendisse, per se vides licet vicissim argutando longius hunc dialoytiorum proferris, in re, sicut arbitratur, manifestiore, quam ut longa disceptatione opus esset. Sic enim facere solent non tantum prouersi imperiti, de quibus recte Comicus,

*Homine imperito nil quidquam est iniustus.*

*Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.*

Verum etiam & quidem in primis, qui per avadav sapientia sibi concessa dono abuentis maxima iniuria loco ducunt signis ab ipsis dissentiant: qualem hic sepe profecto preber Bildadus, nihil aduersus calamitosissimum Iobum aliud quam amaras in reprehensiones adferens, & que dixerant socij de iustis Dei aduersus sceleratos iudicis, inculcans: vere quidem & eleganter dicta, sed aduersus Iobum falsissime & indigne detorta.

### CAPUT XVIII.

1. Respondit autem Bildadus Subites, & dixit.

2. Vsq[ue] quo progressi ponetis finem sermonibus? intelligite & postea loquemur.

Tum Bildadus, quem tandem (inquit) terminum istis mutuis responsationibus statuetis? expendite potius diligenter quisque quid utrinque dicatur, & ita demum nostros sermones ad certum finem dirigamus.

3. Cur habemur tanquam bestia, & sordemus in oculis vestris?

Quid? æquumne est nos à Iobo ad quem consolandum aduenimus, perinde ut bestias sensu & iudicio carentes haberi & nostros sermones tanquam sordidum & impurum quiddam, vobis ipsis qui adestis, praesentibus & audientibus, censeris?

4. O discerpens animam suam in ira sua, num propter te deseretur terra, & transilient rupes è loco suo?

Heus tu verò qui te oblitus hominem esse, te ipsum ravidæ cuiusdam feræ instar præ impatientia dilanias, num clamoribus istis tuis territus Deus, terræ gubernacula deferset, vel consuetum ordinem rerum in tuam gratiam, veluti rupibus emotis, transmutabit? Nam id sanè conqueretur, si iustos, qualem esse te iactare non desinis, & sceleratos eodem loco, vel in aduersis, vel in secundis rebus haberet.

5. Etiam lux sceleratorum extinguitur, nec splendet scintilla ignis eius (id est ullius ex ipsis.)

Quam sit autem istud falsum tute, Iobe nunc experitis.

Nam

Nam etiamsi nonnunquam Deus pro sua clementia sinit sceleratos splendere prosperis rebus florentes, lux tamen illa mox extingui consuevit, nec radios emittit hæc illorum fauilla.

6. *Lux obtenebratur in tabernaculis eius, & eius lucerna super eum extinguitur.*

Et tum ipse, tum omnis ipsius domus, ex illo splendore, in densissimas miseriarum tenebras, incidet, repentina omnis ipsius lucis extinctione.

7. *Arctabuntur gressus roboris ipsius, & proiicit eum consilium suum.*

Quum antea nihil non aggredi, atque adeò viribus suis efficere posse videretur, timidè & per angustias incedet, ex quibus se variis consiliis extricare conatus, ipse sibi exitium sic accersit.

8. *Coniicietur enim in rete pedibus suis, & superrete ambulabit.*

Ipsemet enim se in laqueos induet, & retibus quamcunque viam inierit inuoluetur.

9. *Apprehendet calcaneus laqueum: inuadet in eum prædo.*

Incedētem eum laqueus calcaneo correptum, & prædonum rapacitati exponendum deturbabit.

10. *Latebit humili pedica eius, & decipula ipsius (erit) sparsa ipsi per semitam.*

Gradienti insidiatur humili occultata pedica, & quamcunque incedit, decipulae sunt passim ad eum irretiendum comparatæ.

11. *Vndique terrebunt eum terrores, & dispergent (id est hoc illuc vagari cogent) pedibus suis.*

Et foris quidem hæc illi sunt expectanda. Intus verò & apud se perpetuis terroribus percelletur, quibus huc illuc agitatus nusquam securus pedem ponet.

12. *Erit famæ violensia ipsius: & calamitas parata ad ipsius latus.*

Sceleribus illis quibus tenuiores oppresserit hoc deprehendetur consequitus ut fame contabescat: & obruet illum superueniens grauis calamitas, comes ad ipsius latus perpetua.

13. *Vorabit fulra curis eius, vorabis (inquam) fulra ipsius.*

*primogenitus mortis.*

Ipsam eius cutim, absumptis artuum compagibus & membrorum vinculis, vorabit insigne malum aliquod, velut ex penetralibus mortis ubi præcipua sit eius ad nocendum potestas emissum.

14. *Abripietur in eius tabernaculo fiducia ipsius, & (ille primogenitus mortis) abire coget eum ad Regem terrorum.*

15. *(Is autem) habitabit in eius tabernaculo, absque eo ut sit eius: spargetur super ipsius habitaculum sulphur.*

16. *Inferne radices eius arescent, & supernè excidentur eius rami.*

17. *Memoria illius peribit è terra, neq; erit nomen illi in plateis.*

14. Neque in hoc sisteret gradū hæc calamitas, quod vide nunc Iobe, annon tibi propriè conueniat. Omnes enim illi quibus nititur sceleratus, futurum sperans ut sic ipsius familia & nomen splendeat, vi quadam summa tolluntur è medio: & tandem superueniens ei Malū illud horrendum de quo diximus, ipsum ad illum terrorum principem, Mortē ipsam videlicet, pertrahet, 15. Quæ quidem, ipso penitus foras extruso, domum ipsius sulphure conspersam inhabitabit. 16. Sic tandem igitur fiet, ut infra quidem radicibus, quibus nitebatur, arefactis, sursum verò excisis ramis, 17. Tum ipse, tum omnis ipsius memoria sic aboleantur, ut nulla futura sit eorum in hominum cœtu mentio.

18. *Propelletur è luce ad tenebras, & ex orbe fugabitur.*

19. *Non eris (ei) filius, neque nepos in populo suo, & nullus residuus in habitationibus eius.*

20. *Super eius die obstupescunt posteri, & maiores apprehendent paurorem.*

18. Sic igitur ille ex suo splendore in densissimas tenebras excidet, nec uspiam apparebit, vndique extrusus.

19. Nullo nec filio nec nepote relicto, ex quo possit in eius tribu censeri ipsius familia: neq; superstite quo quam cognato vel affine: 20. *Quem ipsius easum exhortescet quidem posteri, maiores autem non sine ingenti terrore conspexerint.*

21. *Sanè hac sunt habitacula iniqui: & hic locus non reverentis Deum.*

Et ec-

Et ecce in summa quò deueniunt improbi, & eorum exitum qui Deum non reuerentur.

## SUMMA ET DISPOSITIO

## CAP. XIX.

**N**ihil hoc Iobi responso dici potest ~~et~~ ut in deo repov, in quo non eas modis miserias quas commemorat Bildadus, sed tògè quoque grauiores sibi diuinitus eneisse, miserabili prorsus oratione, profiteretur: negat tamen se propterea in numero sceleratorum recensendum, vel istis conuictis dignum: sed potius commiseratione tanto dignorem, quanto gravius afflatur. Admirabilem autem in primis se Iobi constantia & fides in hoc extreimo responso prabet, apertissimè testificans se se, nec illis aduersariis tam ominosis comminationibus, neque illa tot tantarum que calamitatum asperitate impediri, quominus, et si de presente vita desperet, tamen Dei Opt. Max. quantumvis duriter cum ipso agentis virtute & bonitate fretus, hanc ipsam carnem aliquando sic per resurrectionem recepturus, & in ea ipsa eternam apud Deum vitam recuperurus. Sic enim hunc locum accipiendo non dubito, quo nullus in sacr. literis extat ad confirmandam corporum nostrorum resurrectionem illustrior.

## CAPVT XIX.

1. Respondit autem Iobus. & dixit.
2. Quousque molestia afficietis animum meum, & atteretis sermonibus?
3. His decem vicibus ignominia me aspergiis, neque rubescitis, sed alienos vos exhibetis mihi.
1. Tum Iobus ad hæc indignissimè sibi obiecta respondens, 2. Quæris, inquit, Bildade quandiu sim responsandi finem facturus. At ego quæro, quando tandem sitis à me tam miserè affligendo, & vestris istis indignissimis sermonibus opprimendo destituri, 3. Ut qui me iam de cies repetitist tot infamiae plenis conuitiis, omni abiecto pudore, & perinde ac si cum peregrino & extraneo quopiam vobis negotium esset, aspergere non dubitetis.
4. Et verò errauerim: mecum maneat error meus.
- Enim uero dem hoc vobis, ista mihi, culpa mea, merito euensis. Misericordia tamen facite me, quæso, & has diuinitus inficias mihi pœnas, luere me, nullis aliis super additis, sinite.
5. Quandoquidem verò aduersum me magnifice loquimini,

*& arguitis aduersum me opprobrium meum.*

6. *Scitote quod Deus euertit me, & rete suum aduersum me circumdedicit. (id est suo reti me circumsepsit.)*

5. *Quandoquidem verò vobis visum est ærumnas meas grandiloquentia tanta describere, & hunc meum miserrimum statum ad me tam seuerè increpandum atripere: 6. Minimè profectò inficior quod vos dicitis, & magis ac magis vos nosse velim, diuinitus esse me de-repente supplantatum & euersum, ac eius reti, quod tu; Bildad, toties inculcasti, circumseptum teneri.*

7. *Ecce, clamo violentiam, nec exaudior: vociferor, & non est aqua moderatio.*

*Ecce, clamo quidem me supra vires opprimi, sed suble uationem non obtineo: vociferor, sed propterea nec moderius nec æquiūs mecum agitur.*

8. *Semitam meā sepsit, & super semitas meas posuit tenebras.*

*Quacūque via conor elabi, obstaculis me circumsepsit quæ superare nequeo: & omnes vias tenebris obsitas cōperio.*

9. *Gloriam meā à me detraxit, & abstulit coronā capitīs mei. Omnem illum splendorem quo me exornarat, fateor mihi ab illo, sicuti dixisti detractum, & decus illud omne quo me tanquam regem quempiam coronauerat, repente mihi ereptum.*

10. *Destruxit me circumquaque, & abeo, & translulit tanquam arboris spem meam.*

*Quemadmodum arborem quispiam radicitùs euulsurus, illam vndique circumfossam destruit, sic ille mecum egit, ut iam de me penitus sit actum, nec, sicut ex te quoque audui, spes vlla restitutionis mihi magis quam arbori semel penitus extirpatæ supersit.*

11. *Incandescere fecit aduersum me iram suam, & habuit me tanquam aduersarios suos.*

12. *Simul aduenerunt ipsius turmae, & strauerunt aduersum me viam suam. & castram etati sunt circum tabernaculum meum.*

12. *In me exardescens omnem illam iram suam effudit, nec aliter me habuit quam inimicissimos suos habere consuevit. 13. Ipsius turmæ coitione facta me inuasuræ, viam sibi strauerunt aduersum me, & vndique taberna-cula*

Racula mea castris positis circumfederunt.

13. Fratres meos à me summouit, & cognati mei sanè abalienati sunt à me.

14. Desierunt propinqui mei, & noti mei obliiti sunt mei.

15. Inquili domus mee, & ancillæ mee ut extraneum me habent: extraneus sum (inquam) illorum oculis.

16. Seruum meum vocavi, nec respondit, ore meo sum illi simplex.

17. Anhelitus meus alienus est uxori mee, etiam (illam) deprecans per filios ventris mei.

18. Hinc alia etiam duriora sunt consecuta, illo quidem certè minimè ignorante, sed rem totam sic disponente. Fratres enim mei sese à conspectu meo summouerunt: antea mihi notissimi, ab alienati sunt à me. 14. Cognati mei nusquam adfuerunt: obliiti mei sunt qui mihi prius fuerant familiares. 15. Ipse domestici mei ipsæ que adeò ancillæ mee perinde me ut extraneum habent: & neque me alio vultu quàm alienigenam quempiam sibi prorsus ignotum aspiciunt. 16. Serui inclamanti mihi ac supplicibus etiam verbis vrenti, nihil respondent.

17. Ipsa vxor mea anhelitum meum ut insuetum & ingratum fastidit, etiam quum illam per communia illa pignora, susceptos videlicet olim ex me liberos, obtestor.

18. Etiam parvuli auersantur me surgo, & obloquentur mihi.

19. Abominantur me omnes viri arcani mei, & quos amavi conuersi sunt aduersum me.

18. Neque foris alia mea est conditio, siquidem ipsi me homines & ætate & statu vilissimi despiciunt, & tū quoque quum illis assurgo, probris me incessunt. 19. Auersantur me omnes quibuscum antea ceu cum intimis amicis arcana mea cōmunicabam, nec aliós habeo mihi infestiores quàm de quibus sum benè meritus.

20. Cuti mee, & carni mee adharent ossa mee, & euasi cum cute dentium meorum.

Denique cuti, quæ sola mihi caro est, adharent ossa: nec aliud mihi saluum superest præter gingivuarum cutim, quibus hi mei dentes sunt insiti.

21. Miseremini mei, miseremini mei, Vos amici mei, quandoquidem manus Dei tetigit me.

22. Quare persequimini me sicut Deus, & carne mea non saturamini?

21. Istud verò vostam miserabile spectaculum, queso, ad istas insectationes, an potius ad commiserationem commouere vos, vel inuitos debuit? Si vos igitur verè mihi amici estis, & illorum de quibus dixi dissimiles, si vos, inquam, ex amicitia sincerus amor huc ad me perduxit, miseremini potius: miseremini (inquit) mei, quem tam graui vulnere diuinitus affectum intuemini. 22. Annon enim, obsecro, satis est grauis ista Dei manus, sed me à vobis quoque affligi decuit? Et etiā mihi illo merito meo infensissimi essetis, anno odia vestra istud quod in hoc corpore meo vestris ipsorum oculis cernitis explorare debuit?

23. Utinam nunc scriberentur sermones mei, utinam, inquam, in libro insculperentur.

24. Stylo ferreo, aut (in) plumbo, (aut) in perpetuum, saxo inciderentur.

23. Neque verò leuiter hic quidquam effutio, sed utinam, utinam inquam, isti mei sermones ex loquentis ore iam nunc excepti describerentur, 24. vel potius stylo ferreo tabellis insculperentur, vel in plumbum, vel etiam in saxum perpetuo mansuri, incidentur.

25. Ego quoque scio redemptorem meum vivere, & postremo super puluerem persisturum.

26. Et postquam pellis mea erosa fuerit, fore tamen, ut in carne mea Deum intuear.

27. Quem ego contemplabor mihi, & oculi mei cernent, & non aliis, (licet) renes mei consumpti sint in sinu meo.

25. Ceterum, ne me putetis, quanuis de hac vita mea nulla mihi spes supersit, idcirco impiorum instar animū despontisse, vel solos vos nosse quid sit post hanc vitam expectandum, scitote me quoque nosse illum immortalē vivere, à quo sim ego ex ipsa morte redimendus, qui sicut puluerem istum antecessit, vt qui sit eius creator, sic cū illo minimè dissoluetur, sed eius destructioni supererit. 26. Usque adeò, vt ego quem vos deuouetis: ego, inquam, post cuius pellem istud quoque non tam nunc meum corpus quam corporis simulachrum, dissolutum fuc-

fuerit Deū hac ea deim ipsa carne præditus sim intuitus: 27. Quem, inquam, egomet mihi spectabo, & his ipsis oculis meis, non in aliud quidpiam commutatus, contemplabor: quanuis, ut nuncres meæ sunt, quidquid in me superest huius vitæ, ad intima usque viscera sit intus absumptum.

28. Cerè dixissetis, Quare persequimur eum? Nam radix rei inuenietur in me.

29. Timete vobis à gladio (Est) enim ira ex iniquitatibus gladij: ut sciatis (fore) iudicium.

28. Potius, certè vos èquitas ipsa & vera amicitia prohibere ab hac mei insestatione debuit. Diligenter enim, & cum iudicio animaduersa re tota, comperietis me iustum, & firma radice nitentem causam tueri. 29. Non veteror igitur exitium illud quod tu Dei cōtemptoribus dixisti imminere. Timete vos potius vobis ipsis ne vos Deus gladio suo feriat. Hæc enim vestra aduersum metam acerba commotio, non minus est scelus quam si gladio me transfoderetis: quod idcirco præmoneo, ut eu ad quem prouoco, iustum fore iudicem prius cogitetis, quam id re ipsa experiamini.

### S U M M A E T D I S P O S I T I O C A P I T I S X X .

**T**Sophares, arrepta ex iis ipsis Iobi verbis respōsandi occasione, quibus potius aequoscere debuerat (tara difficile est hominibus pertinacibus conceptas semel opiniones abycere.) eadem urget & inculcat, nempe calamitatum Iobi quas diuinitus inflictas constaret, partim repentinum prouersus impeñum, partim grauitatem: inde falsò colligens nunquam nisi cum deplorata improbitatis hominibus agere sic Deum posse nec consueuisse. Quorsum autem hoc: nempe ut efficeret esse falsa que de sua integritate Iobus testatus erat: ac ipsi proinde, vel de resipiscientia cogitandum, vel semel & quidem mox pereundum. Sed hoc quidem verum est, nihil neque verius neque grandiloquentius dici posse de instis in sceleratos, praesertim pietatem simulantes, constitutis diuinitus, etiam in hac vita penit.

### C A P V T X X .

1. Respondit autem T'sophares Naamatites, & dixit.
2. Propterea cogitationes meæ ad loquēdum me reuocant, & ideo (est) festinatio in me.

3. Castigationem probri mei audio: sed spiritus respondebit mihi ex intelligentia mea.

1. Tum hæc verba excipiens Tsophares Naamathites. 2. Eram, inquit, te missum facturus nisi me tuis istis sermonibus cogeres aliud consilium capere: quamobrem etiam tibi sic in promptu respondeo. 3. Sicut autem duras illas increpationes tuas audiaui: ita menti meæ satis supérque suggesteret intelligentia quæ vicissim regeram.

4. Annon hoc nosti (quod) à seculo (fuit) & ex quo collocatus est homo super terram?

5. Sceleratorum (videlicet) exultationem esse ex propinquorū & letitiam hypocrita ad momentum?

6. Si ascenderit usque in cælum eius sublimitas, & caput eius ad nubem pertigerit,

7. Postquam se deuoluerit, in aeternum peribit: videntes eum dicent, ubi est?

8. Tanquam somnium auolabit, nec innuenietur: & recedet ut visio nocturna.

9. Oculis aspiciet eum, & non addet: nec ultra intuebitur eum locus eius.

4. Fieri ne potest igitur, Jobe, ut ignores quod perpetua seculorum omnium experientia comprobabitur, ex quo terram incolere coepérunt homines? 5. Sceleratorum nimirum triumphos non posse ab antiquis temporibus repeti, & hypocitarum gaudia momento evanescere? 6. & 7. Nam ut videantur in cœlū usque sublati, & suo vertice nubes ipsas ferire: mox tamen inde præcipites deuoluti in perpetuum peribūt, usque adeò ut qui prius eos sublimes conspiciebant, dicto citius requirant quod tandem abierint. 8. Euolauerint enim haud secus quam somnium ita ut nusquam innueniantur, ut qui tanquam nocturna visio disperauerint. 9. Denique qui hodie illos viderint, nusquam posthac sunt illos visitari, nec ipse in quo vixerint locus eos agnosceret.

10. Filij eius placabunt tenues, & manus eius restituent rapinam suam (id est, quæ virapuerint.)

Nam quum in liberis soleant patres renasci, si quos iste alios reliquerit, tam erit misera eorum conditio, ut inopes quos ipsorum pater oppresserit, planè sibi satisfacta fareane-

fateantur: & quæ rapuerat ad extrémum exoluat.

ii. *Ossa eius replebuntur ipsius adolescentia, & (ipsa) cum eo in puluere quiescat.*

*Poenas quas sibi sceleribus adolescentiæ suæ accesserunt, ipsum ad intima usque ossa exedent, vna cum ipso in sepulchro decubitur.*

12. *Quoniam dulcuerit in ore ipsius Malum, (&c.) absconderit illud sub lingua sua.*

13. *Et pepercerit ei, nec dimiserit illud, sed id continuerit in palatum suum.*

14. *Panis eius in visceribus eius transmutabitur, (&c. erit) virus aspidum in visceribus ipsius.*

15. *Opes absorpscerit, sed eas euomet, (&c.) ex ipsius ventre expellat eas Deus.*

16. *Venenum aspidum sacerit, occidet eum lingua viperæ.*

12. *Et ille quidem in improbitate exercenda sibi haud secus placuerit quam qui suauem cibum in ore seruat.*

13. *Et sub lingua retentum, seruarit, nedum ut euomuerit: immo in palato magis ac magis degustavit eius sapore delectatus.* 14. *Sed hæc eius alimonia in ipsius visceribus mox prorsus transmutata, meru fel aspidum euadet:*

15. *Opes certè malis artibus accumulatas concoquere non poterit, sed magno cum cruciatu, ipso Deo illas expellente, crudas euomet.* 16. *Vt restandæ ipsa demonstraret, illum sibi venenum aspidum suxisse, viperina salvia exitiali interituru.*

17. *Non videbit riuos fluminum torrentium mellis & butyri.*

18. *Rependet laborem, neque (illum) deglutiet: (rependeret, inquam) secundum facultatem permutationis sua (id est, paria ab aliis referet) neque gaudebit.*

17. *Res male partas vertetas nulla consequetur, sicut Deo piis fauente quasi mellis ac butyri hinc inde decurrentibus fluuis illorum domus redundant.* 18. *Sed è contratio molestias alii illatas repeaderit iste, ne spatio quidem ad eas deglutiendas ipsi concessio, & vice rerum mutata, paria ab aliis referet, nedum ut iis frui possit.*

19. *Quoniam (alios) attruerit & in opes reliquerit: domos abripuerit, non autem extruxerit.*

20. *Quoniam (inquam) non nouerit tranquillum in ventre*

- suo, in optatis suis non euadet.*
21. *Non (fuerint) reliquie cibo ipsius, propterea non expectabit bonum suum.*
22. *Quum impleta fuerit eius sufficientia, angustia erit ipso: omnes manus improborum inuadent eum.*
23. *(Quum) adfuerit ei ad replendum ventrem suum, immittet in eum Deus incandescentiam iræ sua, & pluet super eum, super carnem eius.*
19. *Et ecquis Deum hīc sese iustum demonstrare non agnouerit? Quoniam enim iste cæteros sic attruerit, ut omnibus bonis illos euertatur: domos sibi non extruxerit: sed ab aliis extrectas occuparit.* 20. *Quoniam denique ingluviē suam nunquam expleuerit, propterea vicissim optatis illis suis frustrabitur.* 21. *Et quia nullum rapacitati suę modum ponens nihil deuorandum reliquerit, propterea nihil inueniet vnde sperare suis calamitatibus remedium ullum possit.* 22. *Postquam enim satis superquerapuerit, quæ vel omnium audiissimo possint sufficere, tū, scelestissimis quibusque in ipsum inuidentibus, in summis angustiis versabitur:* 23. *Et quo maximè tempore delitiis affluet, quibus ventrem suum farciat: tunc denum ipse Deus omnem in illum horrendam iram suam, omni calamitatum genere ipsius etiam corpus ccelitus compluens, effundet.*
24. *Effugientem ex armis ferreis (id est, ensibus) transfodiet eum arcus chalybeus.*
25. *Iaculatus fuerit (sagittam) emiserit iaculator, emerget ex eius corpore, & splendebit eius felle: inuadent eum terrores.*
24. *Si gladios euaserit, transfigent eum arcuum chalybæorum sagittæ,* 25. *Frustra nunquam emissæ: sed transfosso ipsius corpore, sanie crux ipsius tinctæ ac emicantes, animo præterea terroribus plurimis saucio.*
26. *Omnes tenebra abdite erunt in ipsius latebris: deuorabit eū ignis non exustatus: male habebit reliquias in eius tabernaculo.*
27. *Retegent cali iniquitates eius: & terra insurget in eum.*
28. *Migrabit germen domus ipsius: defluent in die furoris eius.*
26. *Vbi maximè sese latere posse crediderit, ibi nihil certi, sed obscurissima omnia comperiet. Corripiet eum ignis sponte, & nullius hominum flatu excitatus: nec melior*

lior erit ipsius domesticorum conditio.

27. Cœli enim ipsi patefacient ipsius scelera : ipsa in eum terra insurget. 28. Miserè huc illuc spargentur eius prouentus : denique instar aquæ fluentis dilabentur istiusmodi omnes : ubi Dei furor in ipsos exarserit.

29. *Hæc est portio hominis scelerati à Deo, & pars sermonum ipsius à Deo.*

Et hæc quidem est, Iobe, portio sceleratis à Deo iusto vindice expectanda. Hoc illud est, inquam, quod suis illis responsationibus ab illo potente Deo reportabunt.

### S U M M A E T D I S P O S I T I O

#### C A P I T I S X X I.

**I**Obus non superiorem modò Topharis orationem, sed quidquid etiam prius ab eius amicis dictum fuerat, de infelici sceleratorum exitu, often-surus male ab ipsis intelligi, utitur blanda prefatione quæ superiorem asperitatem leniret, attentionem pesens vers. 2. ab aduentus ipsorum causa: v. 3. à boni & aequi viri officio: v. 4. à terrena quibus dicturus magnitudine: vers. 5. à sui denique miserrimi status circumstantia. Deinceps vero pro-gressus, negat perpetuò euenire sceleratis quod ipsi tortes inculcarant, ut qui è contrario sepe tota vita sua florent, placide moriantur, sobolem quo que bonis huius vita abundantem relinquant, quanvis impietatem suam & dictis & factis testati. Inde vero effici, neque res secundas esse certa pie-tatis & integratatis tercupia: neque homines ex aduersis quantumuis repentinis & grauibus debere coargui: sed, quum neque malis prospera, ne que bonis aduersa in hac vita cuensi, ignorantevolente Deo possint, certam aliquam Deo constare suorum in rebus humanis gubernandi: consiliorum rationem, quam ipse quidem Iobus capere non posset: sed vana esse quacunque ex ipsis intellexerit.

#### C A P V T X X I.

1. *Iobus autem respondit, & dixit.*
2. *Audite audiendo sermonem meum, & hoc erit consolatio-nes vestre.*

Tum Iobus, Attentè, quæso, & solicitè audite quæ sum dicturus: ut ita res ipsa probet vos ad me non sanè magis ac magis affigendum, sed consolandum aduenisse.

3. *Ferte me, & ego loquar, & postquam loquutus fuero, tum irridete.*

Patienter, inquam me prius sicut æquitas postulat, Io-

quentem audite: & tunc demum (silibuerit) sermones  
meos ludibrio habete.

3. Num ego (id est, quod ad me attinet) num ad hominem  
sermo meus, & si (ita est) cur non arctabitur spiritus meus?

Enimuero nulla est mihi vobiscū propriè, nec de ne-  
gotiis humanis controuersia: sed de conscientia hīc agi-  
tur, & cum Deo ipso non cum hominibus hīc mihi ne-  
gotium est: quod quum ita sit, miramini me sic singultate  
potius quam loqui, ut iis euenit quorum spiritus coar-  
ctatur?

5. Respicite ad me, & percellimini, & manum ori admouete.

Denique habita mei, quem omnium hominum cala-  
mitosissimum cernitis ratione, attoniti potius & taciti  
auscultate, quæ sum dicturus, quam ut me pro me dicen-  
tem impatienter feratis.

6. Quum recordor, sum attonitus, & apprehēdit carnem meam  
horror.

7. Cur scelerati viuunt, senescunt, etiam opibus pollut?

8. Soboles eorum stabilis est coram eis, & eorum posteri (stant)  
ob oculos ipsorum.

9. In domibus eorum pax est extra metum, nec est virga Dei su-  
pereos.

10. Tauri eorum ineunt vaccas, nec effundunt (sem en) pariuunt  
eorum vacce, nec abortiunt.

11. Emittunt tanquam pecus parvulos suos, & nati eorum sub-  
filiunt.

12. Attollunt vocem sicut tympanum & cithara, & exultant  
ad vocem instrumentorum Musices.

13. Transigunt in bono (id est suauiter) dies suos: & momen-  
to ad sepulchrum descendunt.

14. Quanuis dixerint Deo, Recede à nobis, & scientiam viarum  
tuarum nolumus.

15. Quid est Omnipotens ut seruiamus ei? & quid proficiemus,  
si supplicemus ei?

16. Quæsiuisti ex me, Tsophares, an illa non nossem quæ  
perpetua docet omnium seculorum experientia. Sunt il-  
la certè mihi notissima quæ recordati nequeo, quin ha-  
reā animo percussus, & ipso corpore totus cohorrescā.

17. Quod enim de momentaneis sceleratorum in hac  
vita

vita secundis rebus, & repente ipsorum excidio dixisti, plurimis exemplis refellitur. Quid autem esse causæ dixerim, cur viuant, cur ætatem ad senium usque producere, cur opibus pellere finantur? 8. Sed & eorum liberi, contra quæ tu tantopere asseuerasti, superstites apud patres perstant, & ob oculos eorum sobolescant. 9. Quietæ sunt eorum familiæ & omnis metus expertes, nec vilis diuinitus flagellis castigantur; 10. Tauris vaccas feliciter in euntibus, & vaccis vicissim nunquam abortientibus mirum in modum augentur eorum armenta. 11. Domo gregatim educti ipsorum patuuli, alacres & vegeti subsiliunt: 12. Et partim instar tympani & citharæ cantillant, partim multis instrumentis præminentibus sese oblectant. 13. Sic denique suauiter hac transacta vita, nullis diuturnis morbis excruciat, quasi momento ad sepulchrum descendunt. 14. Et tamen ipsi Deum palam aspernati illum à se faceſſere iusserunt, & nunquam sese ab illo doceri sustinuerunt. 15. Immo in has etiam horrendas voces eruperūt, Quis est iste Omnipotens, ut ei nos subiiciamus: & apud eum fusæ preces quid tandem nobis contulerint?

16. Ecce(tamen) in manu ipsorum non est ipsorum bonum: sententia ipsorum procul à me abeat.

At ecce, nihil istorum evenit Deo vel inuito vel nō cogitate, quæ hęc ipsorum felicitas in ipsis sita non sit: ac proinde absit ut ipsorum impietati assentiar. Sed ita nihil hominus ruit vestrę aduersum me infectionis fundamentum.

17. Quādo(vero) lampas sceleratorū extinguetur? & veniet super eos nimbus, (&) funes distribuet (Deus) in excedentia sua?

18. Et erunt (scelerati) sicut palea ante ventum, & gluma quam aripit turbo?

17. At enim, ut dixisti, Bildade, sceleratorū lampas extinguetur. Dixisti quoque tu, Tsophares, Deum illos ira sua compluere: & hanc hereditatem illis esse diuinitus addictam. At istud videtis minime ita repente, nec omnibus illis evenire sicut affirmastis. Definite igitur, si potestis, ut certius aliquid ea de re nouerim, intra quod tandem temporis spatium hęc sceleratorum lux extingua-

tur, nimbus ille ipsis superueniat, & hāc illis portionem Deus iratus distribuat. 18. Quando denique isti siant palea vento exposita, & gluma turbinis vi disiecta.

19. Deus (inquietis) reponet filii eius violentiam ipsius: Redderet illi, & (hoc) sciret.

20. Viderent eius oculi exitium suum, & de ira Omnipotens biberet.

21. Nam quod erit desiderium eius erga domum suam post se, & numeris mensuris ipsius truncatis?

19. Ad hāc nimirum excipietis, Deum liberis illius sceleratis seruare ipsius oppressionum vltionem. At enim, si ad humanæ rationis normam, quod vos facitis, ista Dei iudicia expendantur, illum ipsum luere potius & lentire scelerum suorum pœnas: 20. & exitij sui testē esse oculatum, & propinatum ab Omnipotente Deo irae ipsius peculum bibere decuit: Illū verò, definito vitæ suæ spatio, è viuis sublatum, quæ tandem domus suæ cura tangit?

22. Num (quispiam) Deum decebit scientiam? Immo ipse sublimia gubernat.

Equis verò, præsertim ex vobis, qui ex rebus vel prosperis vel aduersis, semper in hac vita patere Dei consilia contenditis, illum docebit quomodo res terrenas regi oporteat quem tamen inficiari non potest sterum ipsarum cœlestium esse unicum arbitrum ac gubernatorem.

23. Iste morietur in vigore sua perfectionis, totus tranquillus & quietus.

24. Eius mulætralia redundant latte, & ossa eius irrigantur medulla.

25. At ille moritur aro animo, nec comedetur cum hilaritate.

26. Simul (tamen) in terra iacebunt, & vermes operient eos.

23. Ecce tibi ex duobus pariter probis vel sceleratis, unus perpetuò in hac vita successu rerū usus, 24. cuius mulætralia latte redundant, qui suauiter ac delicate semper vixerit, qui nō minus placidè & tranquillè ex hac vita exceedat. 25. Alter verò nunquam huius vitæ degustatis commodis, mæsticiè plenus moritur. 26. Una mors autem in hac vita tam disparest ambo, in tumulo inentes, vermibus coopertos obruerit. Quis autem hic erit humanis vestris rationibus locus?

27. Ecce, non i cogitationes vestras, & cogitata que aduersum me arripitis.

28. Dicitis enim, vbi est domus magnifici, vbi est tabernaculum habitationum sceleratorum?

27. Ecce vero noui quid hic vobis in mentem veniat, & quid aduersum me sitis cupidè arrepturi, ut causa cadam. 28. Dicitis enim, ostendatur nobis quò deuenierit istorum potentū & magnificorū domus, & vbi sint sceleratorū arces, quas olim incolebant: quasi videlicet illarū ruinæ, vestram aduersum me sententiā confirmēt.

29. Annon (verò) percontati estis transeuntes per vias, (id est peregrinantes viatores;) nec iudicia illorum negaueritis.

30. Quòd in die calamitatis prohibetur sceleratus, (id est parcitur scelerato) & (quo) die indignationes inuehundur?

At enim, nunquám ne percontati de his rebus estis peregrinantes? nunquám ne illos quæ passim ipsis per vias occurrerunt illorum magnificorum potentiarum & magnificientiarum indicia commemorantes audiuitis?

30. Et quis nescit nullos esse excidiis & variis calamitatibus minus quam istos obnoxios? & istis præcipue parcí, quum ista iræ diuinæ testimonia in terris grassantur?

31. Quis indicabit in facie ipsius (id est ipsi præsenti) viam suam? & quod ipse patrauit quis rependet ei?

32. Itaque ipse ad sepulcra ducetur, & apud tumulum (eius) vigilabitur.

33. Suavia ipsi fuerint prærupta torrentium, & post se omnes homines trahet, & ante eum (erunt quorum) non (est) numerus.

31. Neque id mirum est euenire. Quis enim sceleratum præsentem ausit suorum scelerum arguere? quis de patratis ab ipso iniuriis pœnas sumperit? 32. Itaque tantum abest ut is sit ipsius exitus quem dixistis, vt contrà placidè mortuus, præficiis apud eius tumulum vigilaturis sepulcro inferatur. 33. Et sic fuerit ille quidem viuus suis illis sublimibus magnificè in præruptis torrentium vallibus extructis arcibus delectatus; mortuus autem maxima cum subsequentium turba, & antecedentibus ipsum innumeris funeratus.

34. Quomodo igitur consolamini me vanitate, quoniam vestre responsiones (sunt) relicta (in audientiū animis) aberratio à vero?

Quorsum igitur vanissima ista mihi pro consolationibus proponitis, quum vestræ istæ responsiones, mera sint aberratio quam in audientium animo relinquunt?

Tertia congressio amicorum Iobi.

S V M M A E T D I S P O S I T I O  
C A P I T I S X X I I .

**G**rauissimam aduersus Iobum accusationem instituentes valde imprudentes ipsius amici, quasi extantis & tam repentinis ipsius calamitatibus necessario statuendum esset ipsi infensissimum esse Deum, ut qui hominibus non nisi peccatis eorum provocatus irascatur: neque iratus aliter quam pro peccatorum qua admiserunt modo & ratione pœnas illis infligat: coniuruerunt totam ad hanc thesin reuocarant, De Dei in quempa amore vel odio, ac prouide de cuiusvis vel innocentie, vel scelerata vita, statuendum esse, prout placidus & beatus, vel miser & calamitosus huius presentis vita status tandem in hominibus euadit. Nec enim aut ita graues & diuinas, sed moderatas leuiter peccantum, aut ita leues & momentaneas, sed grauissimas & longissimas, immo etiam nisi resipuerint exitiales esse sceleriorum pœnas. Hac igitur thesin amicos quidem Iobi affirmantes, Iobum autem insificantem audiuiimus, & tum super amicitia sua vita innocentia ad ipsius Dei tribunal aduersus accusatores suos provocantem, tum etiam in genere, prelati exemplis, demonstrantem vanissimum esse illorum accusationis virumque fundamentum, quod videlicet tum ab irato Deo innistantur omnes huius vita calamitates, tum semper tandem scelerati in hac vita suorum scelorum pœnas luant. Aut igitur istam Iobi exceptionem elidere, (quod fieri certè non potuit) aut illa thesis omessa, ad hypothesis descendere. & certis testimoniosis illa de quibus Iobum accusabatur probare, aut certe, mutata sententia, ab illo accusando desistere amicos istos oportuit. Cörà vero nunc Eliphazus tertio congregadiens, ipsa questione, sive per imprudentiam, sive pertinaciter omissa, occasione inde arrepta quod Iobus, tum ipsorum insectationibus provocatus, tum magnitudine cruentati corporis & animi penè oppressus, neque in sua tuenda innocentia, neque in deploranda sua miseria, iustum semper modum tenuerat, primū absurdā quādā & velut ex illius dictis necessario statuenda (falso tamen & perperam) primis quatuor versibus admodum acerbè colligit. Inde non iam telle ut antea, sed aperte Iobum ut inhumaniter, auarè, crudeliter auctoritate & opibus suis abusivo in versibus 5.6.7.8.9.10.11. accusat: atque addè impietatis rōum facit usque ad vers. 20. & quidem cum asperissimo sarcasm, que vele ac religiose Iobus superiore capite aduersus prophanos dixerat vers. 14.15 & 16. ad ipsum impenitito detorquens: ut plane, quin neque ratio iibis, neque testimonios ullis tam acerbas istas criminaciones confirmet, connivitoris potius quam accusatoris partes agat. Tandem deinde, velutire præclarè confecta, Iobum ad hac agnoscenda, & apud Deum

Deum deprecāda scelerā spe certa restitutionis in integrum ipsifallit, exhortatur: restatus etiam futurū ut hoc consilium sequiū, non modo in gratiam cum Deo redeat, verū etiam pro aliis intercedens exaudiatur. Hac autem in re mirū est Eliphazum quid securum esset, quamuis imprudentem & nihil tale cogitantem, prædictisse. Nam & ipse Iobus est optimum istarum omnium calamitatū exitū cōtra suam expectationē in hac ipsa vita foritus, & nonnisi Iobo intercedente Eliphazus cum fūcū est in gratiam à Deo receptus.

## CAPVT XXII.

1. Respondit autem Eliphazus Themanites, & dixit.
2. Num Deo proderit vir: immo proderit sibi prudenter agens.
3. Num voluptas (est) Omnipotenti si iustus fuerit: & num luxuria (est ei) si integras præstiteris vias tuas?
4. Ad hæc autē respondēs grauiter commotus Eliphazus Themanites, 2. Quid ergo supereſt, (inq uit) Iobe, nisi ut hactua quā prædicas integritate, Deū ſic obſtrinxeris, ut tibi videri poſſit iniuriam faceret? Quasi verò emolumētum illum Deo accedere poſſit ab Homine, ac non potiū commodo ſuo ſapiat qui ſapit: 3. Quasi alicuius probitate & integritate ſic afficiatur Deus, in ſe ſe vno, & per ſe vnum perfectissimè beatus, ut ſic ei vel accidat quæpiam qua priū carebat delectatio, vellucrum aliquid obueniat.
4. Num ob timorem tui arguit te, & tecum venit in iudicium?
5. Num illum verò existimabimus veritum ne ſe forte ac culares, actoris partes præoccupare voluiffe?
6. Noīne malitia tua multa eſt, nec eſt finis sceleribus tuis?
7. Ne aquam quidem fesso præbuisti: & à famelico remouisti paſzem.
8. Atqui viri brachij (erat) terra, & acceptus persona ſedebat (id eſt dominabatur) in ea.
9. Viduas (ramen) remiſſisti vacuas, & brachia pupillorum attrita fuerunt.
10. Propterea circum te ſunt laquei, & terruit te pauor repente.
11. Aut tenebras non vides, & abundantia aquarum operuit te.
5. Et quid verbis opus eſt, quum quanta tua fuerit im-

probitas, cui nunquam finem imposueris, res ipsa coar-  
guat. 6. Pignus enim accipere sine discrimine, ab ege-  
nis etiam tuis cognatis non es veritus, & tantum absuisti  
ab eo, ut nudos vestires, ut contrà quidquid illis supererat  
vestium ipsis eripueris. 7. Lassos viatores ne frigida  
quidē recreasti, neque famelicos dignatus es panis buc-  
cella. 8. Nectam en hic habes quod prætexas. Tu enim  
is eras cuius potentia omnes suberant, falsa videlicet ista  
probitatis specie sic tibi conciliatis omnium animis, ut  
te tanquam Regem solio insidentem veherarentur.  
9. Hac autem potestate quantopere sis abusus, viduæ  
suis bonis spoliatae, & pupilli per vim oppressi testantur.  
10. Hinc te vides, Iobe, laqueis diuinitus vnde irre-  
titum: hinc illatam repentina commutatio quæ te totum  
pereclit. 11. Nisi forte tantæ sunt istæ tenebræ ut om-  
nes tibi mentis oculos eruerint: & nisi totus iaces tanto  
calamitatum velut aquarum pondere submersus.

12. *Annon Deus (est) in sublimitate cœlorum? Intraere vero*  
*summitatem stellarum, quam altæ sint.*

13. *Et dixeris, Quid nouit Deus! num per caliginem iudicabit?*

14. *Nubes sunt latibulum illi, & non videt: & in ambitu cœli*  
*deambulat.*

12. Quid? an ista semper latè posse existimasti, donec  
aliquem in cœlis illis sublimibus sedere, inde cuncta in-  
tuentem tanto damno tuo experiteris? in cœlis, inquam,  
illis, quorum quam excelsa sit summa, ipse stellarum  
conspicetus ostendit, quibus tamen ille excelsior est.

13. Vide igitur ne forte illis prophanis & impiis assensus,  
quos paulò antè commemorasti, tu quoque dixeris, Quæ  
est ista Dei notitia? ite, An possit Deus ex tam alto loco  
per interpositam caliginem ista despicere & discernere?  
14. Tales sunt & impudentissimæ voces istæ, Latitat  
Deus inter nubes, nihil videt: sed sese in ambitu cœlo-  
rum deambulans oblectat.

15. *A non semitam seculi obseruas, quam homines scelerati cal-*  
*caturi?*

16. *Qui succisi sunt, & (quorum) non erat tempus: & (quo*  
*rum) fundamentum (factum est) flauius effusus?*

17. *Qui dicebant Deo, Recede à nobis, & quid fecerat ipsis*  
*OMNIS*

*Omnipotens?*

18. Immo ipse domos eorum impleuerat bonis. Itaque consiliū eorum procul sit à me.

19. Viderunt (hoc) iusti, & latati sunt, & innocens subsannuit eos.

20. Quoniam non fuit succisa substantia nostra: residuum autem illorum deuorauit ignis.

15. Si te rationibus vinci non pateris, experientiæ saltem crede, & ab ultima usque veruſtate repeſe quod tandem euaserint qui scelerum via incesserunt. 16. Comperies autem illos intempestiuā morte abreptos: & illud omne quo ſpes ipsorum nitebatur inſtar fluij pretereuntis dilapſum. 17. Ausis videlicet illis eò usque insanire, ut Deum à ſe facere iuberent. Et quid damni tamen illi ab omnipotente Deo acceperant? 18. Imò compleuerat eorum domos Deus omni bonorum genere. Absint igitur à me quām longissimè prophanorū iſtorum cogitata: quod tu quoque, Iobe, reſtaſtus es, ſed quām recte tu videris. 19. Et hic quidem eſt illorum exitus, quem intuentes integrā vitā homines, diuinis Dei iudiciis applaudunt, & damnatissimis illis meritō insulant. 20. Ut qui ſe & res ſuas ſalvas, illos autem contrā penitus igne illo diuino videant iure abſumptos.

21. Aſſueſce igitur cum eo, & pacem habe: per hacteſi obueniet bonum.

22. Accipe legem ex ipſius ore, & reponere sermones eius in corde tuo.

23. Si reuersus fueris ad Omnipotentem, iuſtauraberis: ut qui procul peruerſitatem à tabernaculo tuo ſummoueris.

24. Abiice humi aurum, & eſto tibi aurum Ophir ut petra torrentium.

25. Omnipotens autem ſit anx tua, (ſit in quam) tibi ſicut argentum copioſum.

21. Quæ, quum ita ſe habeant, audi tandem, Iobe, quod & antea ſuafimus, & nunc repeto. Pro eo quod à Dei iudiciis tantopere abhorres, & te ſic excruias, redi cum ipſo in gratiam, & ſedatiore animo eſto, maximū inde commodum percepturus. 22. Sed magna & ſeria mutatione hīc opus eſt, nempe ut pro eo quod eſt tuis.

cupiditatibus obsequutus, os ipsius consulas, & sermones ab ore ipsius exceptos, toto corde amplectaris.

23. Quod si feceris, & ad illum Opt. Max. conuersus, omnia ista quibus in illum peccatur, à tabernaculo tuo procul summoueris, certus esto fore ut in integrum restituaris. 24. Itaque pto eo quod terrenis istis opibus te ipsum totum addixisti, aurum humi abiicito, nec sit tibi pluris aurū ipsum obrysum quam silices isti per quos torrentes decoluuntur. 25. Omne verò tuum perfugium, & pro omni argenti vi & copia, tibi sit ille qui sibi & omnibus solus sufficit.

26. Tunc certè super Omnipotente oblectaberis, & ad Deum attolles vultum tuum.

27. Deprecaberis illum, & exaudiet te, & vota tua persolues.

28. Et (quum) decernes quidpiam firmum erit tibi: & super vijs tuis splendebit lumen.

26. Tunc verum & solidum gaudium auctore Omnipotente gaudebis, & vultum hunc tuum qui nunc totus concidit, ad Deum ipsum intrepidus attolles. 27. Ut quite precantem exaudierit, pro quo beneficio vicissim illi quæ tu voveris luctus persolues. 28. Ratum erit quod ab ipso requisieris, ipso, quidquid aggrediaris, splendor suo tibi præente.

29. Quum(improbi) deprimentur, tunc dices, Exaltatio, Nostra (Deus) oculis demissum seruat.

30. Liberabit non purum, & (is) euadet puritate manū tuarū.

29. Denique quo tempore Deus improbos iustis pœnis affectos deprimet, tu contrà attolli te senties, & gratus agnosces: sicut enim ille superbos prosternit, sic eos in quorum oculis elucet modestia, benignus conservat. 30. Quinetiam tam est Deo gratus qui probitati studens sese coram ipso abiicit, ut ipsius quoque precibus improbos condonet: itaque nostris consiliis obsequutus, non modò te ipsum liberabis, verum aliis quoque veniam impetrabis.

S V M -

SVMMA ET DISPOSITIO  
CAPITIS XXIII.

**L**AUDATA VIRTUS CRESCEBAT, INQUIT ILLUS. EGO VERÒ METUERIM POTTIUS NE IN SUA PERBIAM EUADAT, EX QUO SATANA LAQUEO QUAM PAUCISSIMI SALVI EUADUNT. Eadem verò CONTRA MALEUOLORUM & OBSTACULORUM OMNIVM CALUMNIAV M VERSIB. PROXIMIS SEQUENTIBUS. N. IN QUOD AD DCEUM IPSUM ATTINET, TU SEMPER IUSTA, QUANTUMVIS OCCULTA, SUORVM CONSILIORVM RATIONES CONSTANT, ACQUIESCERE SE RESTATUR IN EO QUOD ILLI VISUM FUERIT, ETIAMSI PERGAT SECUM AGERE SICUTI CAEPEBAT. SESE TAMEN NON POSSIT NON IN TAM MISERO STITU PERTURBARI, SED IN PRIMIS MIRARI QUI FAT VI IN TANTIS CALAMITATIBUS TANDIU POSSIT MISERAM VITAM TRABERE. ETHIC RURSUM ADMIRANDUM EST, IHO EXTRA ORDINEM CONCESSUM FUSSIT QVOD TANTO PER OPTABAT, ET TAMEN NEC SPERARE NEC PETERE ADEBAT, NEMPE, UT DCEUM IPSUM TANDEM CONSPICERET, ET APUD EIUS TRIBUNAL CASA CADERENT IPSIUS ACCUSATORES.

CAPVT XXIII.

1. *Ad h. ec autem respondens Tobus,*
2. *Etiam hodie, inquit, sermo mens (est) exagitatio: (nam) plaga mea grauis est supra gemitum.*
1. & 2. *Immo, Eliphaze, tantum abest ut ista quæ ex te audio silentium mihi imponant, ut contrà nunc quoq; me cogas animum in varias partes distractum testari: & toties iam iteratas querimonias, meis istis vulneribus omnes quantumvis graues gemitus meos longè superstantibus, instaurare.*
3. *Vtinam scirem & inuenirem eum. Irem enim usque ad eius sedem.*
4. *Disponerem coram eo ius (meum) & os meum replerem redargutionibus.*
5. *Cognoscerem quæ responderet mihi, & intelligerem quid diceret mihi.*
6. *Num copia roboris contenderec mecum? Nequaquam, Immo ponerec in me (robur.)*

7. Illic rectus disceptarem apud eum, & liberarer in perpetuum  
& iudicante me.

3. Video te offendit, quod ad ipsum Deum aduersum  
vos prouocarim. Quidni verò id facerem? quod utinam  
sicut inter nos mortales fieri consuevit, scire possem ubi  
se conueniri vellet. 4. Nam ad ipsius usque tribunal  
pergere non dubitarem, non aduersus illum certè, (ut  
pote iudicem, non autem actorem aut rem) sed aduer-  
sum vestras criminaciones causam meam acturus: nec  
mihi deessent plurimæ firmissimæque rationes quibus  
vos coarguerem. 5. Audirem quid ipse vicissim mihi  
aduersum vos illum compellant responderet, & quid  
illi de iure meo videretur intelligerem. 6. Non enim  
ille me profectò sua illa qua summè pollet potentia &  
vi opprimet, sed me potius fulciret. 7. Et illic de-  
mum insolenti mihi licet ius meum apud æquissimum  
iudicem tueri, & , istis rescissis, quæ de me vestro libitu  
statuitis, semel à vestris criminacionibus liberarer.

8. En antros sum ibo, & non aderit: & retrorsum, nec cum (il-  
lic) animaduertam.

9. Ad lauam agentem ipsum non video: abscondet se ad dex-  
tram, nec (illum) conspiciam.

10. Ceterè nouit viam quæ est mecum, & si explorauerit me, e-  
grediar sicut aurum.

11. Gressus eius pressit pes meus, viam eius seruavi, neque (ab  
illa) deflexi.

12. Mandatum labiorum eius non detrectavi, pra mihi presti-  
tatis recondidi dicta ipsius.

8. Ceterum fateor quidem infinitum quoddam esse discri-  
men inter istud quod requiro tribunal, & instituta inter  
homines iudicia. Nam siue antros sum progrediar, nus-  
quam ille mihi fiet conspicuus: neque retrorsum rece-  
denti apparebit. 9. Ponamus illum versari ad lauam,  
viderit tamen a me non poterit: esto ad dextram, effugiet  
tamen oculorum meorum aciem, haud secus quam si se  
se occultaret. 10. Quid tum verò? Ab hac tamen ad i-  
psum prouocatione minimè destitero. Nec enim cōspi-  
cua ipsius presentia, vel uilla mea narratione mihi opus  
est, ut quod sit ius meum intelligat: sed optimè nouit ip-  
se qua-

Se qua via incesserim: & futurum certissimè scio, vt ipso  
neque, sicut vos facitis, temerè, neque ex falsis coniectu-  
ris iudicium ferente, sed iusta & legitima de me quæstio-  
ne habita, purior ab hoc ipsis iudicio quam aurum igni-  
bus exploratum euadam. 11. Sum enim illius mihi  
præuentis vestigia sestatu, idque tam sollicitè vt à via  
mihi ab eo præscripta non deflexerim. 12. Denique  
mandatis quæ maiores illi nostri ab ipsis ore excepta  
nobis tradiderūt sic acquieui, vt illa intimo animo meo  
recondita, quibusuis etiam ad hanc tuendam vitam ne-  
cessariis & mihi consuetis, anteposuerim.

13. Et (i) ipse (lit) in uno, quis auocabit eum? nam (quod) a-  
nima ipsius cupid, etiam facit.

14. Sanè perficiet statutum meum [quod de me facere de-  
creuit] & ita multa sunt apud eum.

13. Quod si persistet ille irreucabili decreto sic aduer-  
sum me pergere, quis illum ab hac sententia abduxerit?  
quod enim semel sibi faciendum decreuit, etiam re ipsa  
exequitur. 14. Sanè igitur quod de me semel consti-  
tuit, agendum perficiat, idque me minimè repugnante.  
Solet enim ille quamplurima facere eiusmodi, quorum  
ratio apud illum constat certissima, quamvis nobis occulta.

15. Propterea sum ad eius conspectum attonitus, & (istud) ex-  
pendens expauesco ab illo.

16. Et sanè Deus liquefecit cor meum, & Omnipotens ille me  
perterrefecit.

17. Quod non fuerim excisus à presentibus tenebris, & (quod)  
a facie mea auerterit caliginem.

18. Et hoc illud est quod me in ipsum intuentem per-  
cellit, & magitudinem ac diutunitatem meatum ista-  
rum calamitatum apud me excedentem penitus per-  
turbat. 16. Hæret enim animus concidens, & quem o-  
mnipotens ille miseriis istis meis terminum præfixerit i-  
gnorans, obstupefit. 17. hoc etiam demirans, qui  
fieri potuerit vt in hoc tam misero statu hucusque man-  
serim superstes, & quinam ille me in his tantis animi &  
corporis cruciatibus operiti caligine mortis prohibeat.

S U M M A E T D I S P O S I T I O  
C A P I T I S X X I I I.

**R**efutatis superiore capite que partim extra rem ipsam, partim in Iobum peculiariter dixerat Eliphazus, ad propriae questionem recta pergit Iobus, pars summa affirmans vers. 1. quod in capite responderat: Deum videlicet tum in afferendis probis aduersus improborum iniurias, tum in puniendis sceleratorum sceleribus, non palam semper & aperiens, sed plerunque occulta quadam & planè inperuestigabile ratione, notis ipsi unitem posibus, agere. Diem enim illum probis Deum agnoscens ab improborum tyrannide vindicandis destinatum, saepe nunquam hic ipsis illucescere, ut si valeret amicor Iobi sententia videri possit Deus iste uniussumma uirgilius vel non perspicere, vel non curare, si quis in presentem duntaxat hanc manu & vita statuta intueratur: quoniam illud de non vindicatis insontibus eredecim prunis versiculis, alterum de toleratis sceleratis, proxime sequentibus aliis duodecim graphicè proposito describitur, versiculo demum ultimo totam dissertationem concludens. Verum autem esse quod in adversariis oppugnat Iobus, neque de benevolentia Dei ex profundo, neque de ipso odio in homines ex adue so presentis vita statu indicandum esse, partim Deus ipse postea declaravit, causa cadentibus ipsis Iobi accusatoribus: partim omnium gentium, ac presentim Ecclesia historia declarat, que passim in sacris litionis, ac potissimum & ex professo psal. 73. & 92. legem. 15. Habacuk 1. de hoc ipso argumento diff. runt. Nec aliunde certe apertius colligi potest aliquid esse indicium divini temporis nobis quidem in eo nperatum sed omnino post hanc vitam futuri constitutum: quam ex eo quod nulli possim beatius quam improbi, nulli miserius quam boni, quod attinet ad vitam huius commoda, cure: culum eius transfigant.

## C A P V T . X X I I I .

1. *Quinam ab Omnipotente occultata non fuerint praesituta (ab ipso) tempora quum igit qui norunt eum non certant dies eius?*

Cæterum, ut omassis istis omnibus quæ me propriæ attingunt, de te ipsa dicam: qua tandem iusta ratione possit negari, tempora quæ Omnipotens ille, cuius summa & irrefragabilis est tum sapientia, tum potentia, rebus omnibus praefixit, homines, sic ipso volente, latenter: quum illis ipsis à quibus Deus agnoscitur & colitur, dies ipsi à sceleratorum tyrannide in hac vita liberadis nullus oriatur.

2. *Limites agrorum (transibunt) diripiunt greges, & pascunt,*

3. *Afinos pupillorum abducunt, pignorantur bonis viduarum.*

4. Deflectere faciunt pauperes à via: simul abdunt sese pauperes regionis.
5. Ecce sunt onagri in deserto: prodeunt tanquam ad opus suū: mane perquirunt prædam, desertum (est) eis panis.
6. In agro pabulum eius demetunt & vineam ipsi scelerati se-rotino tempore vindemiant.
7. Faciunt ut (pauperes) pernoctent nudi absque vestimen-to: neque operimentum est (eis) in frigore.
8. Qui inundatione montium perfusū, & absque omento, amplexantur rupem.
9. Abripiunt ab uberibus pupillos, & à paupere pignorantur.
10. Nudos incedere faciunt absque vestimento: & famelicos (eos qui) qui portarunt manipulos:
11. (Ec) intra parietes ipsorum expresserunt oleum, & torca-taria calcarunt: & sitiunt.
12. Ex urbe gemunt homines, & animæ intersectorum vocife-rantur: & Deus non ponit (id est, non annotat) absurditatem (id est,) quod tam sit præter omnem rationem & æquita-tem).
13. His sunt (tamen) inter rebelles luci, non agnoscunt vias e-ius, neque hærent in semitis eius.
2. Quid enim est quod isti non audeant? neglectis a-grorum limitibus, in quorum tamen conseruatione po-sita est maxima ex parte publica tranquillitas, aliorum greges direptos, ibidem ut suos pascent. 3. Ne pupil-lorum quidem armentis parcunt quominus ea depræ-dentur, & ipsarum viduarum facultates per vim cri-piunt, quasi iure quodam instar creditorum pignoraren-tur. 4. Illis grassantibus, nulla, ne tenuis quidem sortis viatoribus, tuta est via, adeò ut deflectere à via publica, & latebrae querere passim cogātur. 5. Sunt enim isti non tam homines, quam feræ & indomitæ bestiæ, quales sunt in desertis onagri, ad latrocinandum prodeentes, & sun-mo diluculo haud aliter ad rapiendam prædam intenti, quam si quoddam hoc esset opus & artificium ad tuendā ipsorum vitam cōparatū. Deferra deniq; in quibus hanc velut arte faciunt, sunt illorū agri, ex quotū fructibus vi-vant. 6. Tēpore mēsis cuiusvis agri occupatū deme-tūt: neq; mēse cōtentū, vineas quoq; autūno & serotinos

fructus non sine maximo scelere depradantur. 7. & 8. Occurrētes vestibus omnibus spoliatos sub dio penitus nudos relinquunt, in mediis frigoribus pernoctaturos, & ex montibus nocturno redundantemadore totos perfusos, in ipsarum rupium amplexibus morituros. 9. Et hæc quidem foris. Domi vero tam sunt immanes ut si cū pauperibus sit ipsis negotium, non dubitent ipsis quoque illorum infantulos ab uberibus matrum abreptos pignorari. 10. & 11. Mercenariis quorum operatum in colligendis & gestandis manipulis, tum exprimendo oleo, & calcanda in torcularibus vindemia sunt usi, tantum abest ut debitam mercedem persoluant, ut contrā famelicos & sitiiculosos illos dimittant. 12. His iniuriis affecti miseri quidem ac languentes in urbibus ciues gemunt, interfectorum autem sanguis ipse ad Deum vociferatur vltionem poscens. Quid hic autem Deus, si de illius iudiciis, quemadmodum vultis, ex apparente cuiusque in hac vita statu constituendum est? Certè nemo vobiscum sentire potest qui tantam hanc omnis diuini & humani iuris perturbationem, non dicat à Deo vel nesciti vel negligi. 13. Et tamen hos demum sic oppressos oportuit ab illorum tytannide prohiberi, qui tuin ipsa naturæ iura violent, & omnem ipsis arguentis conscientię lucem extinguunt, tum diuinitus traditā maioribus nostris honestæ & rectæ vitæ rationem penitus aspernantur.

14. Diluculo surgunt homicide, interficiunt pauperes & inopes: noctu vero sunt quales (sunt) fures.

15. Oculus autem adulteri obseruat tenebras, dicendo, non intuebitur me oculus: & in occulto ponit (id est occultat) faciem suam.

16. Persodiant (fures) in tenebris domos, quas interdiu signarent: ne sciant lucem.

14. Et sic quidem in hac vita cum iis agitur qui sic opprimuntur. Nūc ad ipsis eorum oppressores accedamus. Ecce, alij vitam sibi ex aliorum cædibus parantes, primo diluculo experrecti, cunctos occurrentes sibi, nec resiste re valentes, occidunt: alij noctem ad furta expectant.

15. Ex horū numero sunt adulteri, qui maritorū thorū violaturi crepusculū expectant, & ne à quoquā deprehendantur.

hendantur, velati incedūt. 16. Alij verò domos inter diu notatas, nocte perfodiūt: & sunt omnes isti lucifugæ.

17. Idecirco simulatque (est) Māne, (est) illis umbra mortis: idecirco (inquam, simul atque) agnoscitur (idest alii alios possunt dignoscere) terrores mortis (sunt eis.)

18. Lenes sunt super faciem aquarum, maledicta est eorum portio in terra, non recedit via vinearum.

19. Ariditas & æstu rapiunt aquas niuiis: (sic) sepulchrum eos qui peccant.

20. Obluiscitur cum matrix, dulcescit ei vermis, amplius non memorabitur: sed sceleratus confringetur sicut arbor.

21. Afflxit sterilem ne pareret, nec viduæ beneficit.

22. Atque adeò potentes per vim periraxit: insurrexit. & ne mo credebat vitæ suæ (id est, quo insurgente omnes vitæ suæ diffidebant.)

17. Et ita quidem isti viuunt. Sed hic audiui quid vos mihi obiiciatis: istos nimis ne tum quidem quum pro suo libitu sic viuunt, impunè id facere. Furibus enim istis lucem ex orientem esse mortis cuiusdam instar, haut aliter perterritis quam si præsens illis esset mors ipsa, simulatque alijs alios possunt dignoscere. 18. Ut autem aliquandiu perdurent, tamen incerti & hoc illuc minimo etiam impulsu agitati, fluitant velut aquis supernantes: & tum ipsos, tum quicquid possident, execratio comitatur: donec ex hac vita excedant, vineis planè dissipati, quæ ipsa putatione reuiuiscunt. 19. Nam è contrario, sicut ariditate & æstu niues statim colliquatae disparent, ita sepulchrum istos sceleribus deditos repente abreptos tollit è medio. 20. Mortuos verò, nō matres, non vxores deflent: sed verribus grata & suavis esca facti delentur ex hominum memoria, instar arboris nunquam repullulaturæ confacti. 21. Et id quidem merito, & Deo paria illis referente, ut qui steriles vxores affixerint, in hoc ipsum intenti ne parerent: neque viduas matres fouverint: 22. quinetiam potentes ipsos per vim sibi seruire coegerint, vsque adeò ut illis insurgentibus nemo non esset suæ ijs suis vitæ incertus.

23. Dat eis (Deus) ad confidentiam, & (quo) innitantur: & oculi eius (sunt) super vias eorum.

24. Euecti sunt paulisper, & non sunt: sed deprimuntur sicut quilibet obturantur, sed sicut summitates spicarum succiduntur.

23. Ego verò vobis ex aduerso regero, quæ jam ante a respondi, nec esse falla probastis: nempe Deum nihilominus istis perditis affatim suppeditare quibus freti vitam hanc securi transfigat, quasi intentis in eos ipsius Dei oculis, ut eis omnia ex ipsorum animi sententia succedant. 24. Et si enim, ut est brevis humana hæc vita, ad tempus duntaxat euecti, tandem amplius non extant: tamen non aliter quam alij quivis morte deprimuntur: & ut illis quoque morientibus obturentur ora, tamen minime violenta morte, sed ætate prouecti succiduntur, sicut, matura demū messe, demeti segetes consueuerunt.

25. Quod si non, nunc (id est age) quis mentiri me faciet, & sermonem meum rediget ad nihilum?

Quod si quis aliter screm habere existimat, agendum prodeat qui me arguat mendacijs, & vanum esse meum responsum ostendat.

### S U M M A E T D I S P O S I T I O

#### C A P I T I S X X V .

**C**ontinetur hoc capite tertius Bildadi congressus, prorsus itidem à questione proposita de improborum felicitate, & proborum afflictionibus ad Dei potentiam & Majestatem describendam deflectens, quasi videlicet Iobus suam innocentiam aduersus accusatorum calumnias usurpans, in Deum ipsum velut iniquè secum agentem insurrexit: quod tam me, & si sum erat, se se ubique Iob peccatore in agnoscente, & inservitabilem Dei Majestatem agnoscente: quanvis minimè sit negandum Iobum (quod sepe iam repetit & Elius in epostra reprehendit, & ipse met à Deo deprecatur) parum amicorum amarulentissimis criminationibus & magnitudine dolorum penè prostratus, modum interdum in sui defensione non tenuisse. Vicunque tamen Bildadus in ipsa sui sermonis applicatione peccet, vere tamen & magnificè de Deo sentit & loquitur, ut ei profecto mullo magis quam Homericō Menelao conueniat illud, τεῦπα φροντίδα μηδέλα λιγεως.

#### C A P V T X X V .

1. Respondens autem Bildadus Subites, dixit.

2. Dominatio & reverentia (sunt) cum eo: pacem facit in extensis suis.

Tum

Tum ista excipiens Bildadus, In quem inueheris, inquit, Iobe? certe in eum qui unus & summus est rerum omnium Dominus, cuius Maiestati summam reuerentiam debent omnia: qui sursum in altissimis illis cœlis, firmissima, & beatissima cum pace, dominatur.

3. Non est numerus exercitibus eius: & super quem non surgit lux eius?

Innumeræ sunt ipsius copiæ, & ecquis tandem huius vice lucem aspicit, nisi lucis ab illo ex orientis beneficio?

4. Quinam igitur iustus declarabitur homo cum Deo (collatus?) & quomodo purus fuerit natus ex muliere?

Cedò igitur qui te usque adeò confidenter apud Dei tribunal listis, quem tandem mihi dederis qui suam iustitiam subiiciens ipsius examini, iustus possit meritò censi: & qui tandem purus vere fuerit quem mulier genuerit?

5. En usque ad Lunam (ascendamus,) & non splendet: & stelle non sunt puræ in ipsius conspectu.

6. Quantò minus homo (qui) vermis (est?) & natus homine vermiculus?

5. Ecce si omnes illas coelestes regiones radiantibus ignibus inferiorem hunc mundum illustrantibus cum ipsis Dei cōditoris luce conferamus, neque Lunam, quæ prima occurrit, splēdere, sed præ illo metas esse tenebras fatebimur: neque stellæ in cœlis summis collocatae nitere comparentur. 6. Quantò minus puritatis apud ipsum Dei tribunal quidpiam tribuemus homini, qui nihil aliud est quam putris quidam ex humo somptus, & humi repens vermis: homini inquam, vermiculo ex aliis hominibus exorto?

### S U M M A E T D I S P O S I T I O

#### C A P I T I S X X V I .

**I**obus toties & tam odiosè reperitis aduersariorum calumniis vehementer irritatus, habens insto dolori laxatis, liberius iam & illos arguit, & suam sententiam tuerit, negans se se ob illa sclera de quibus accusabatur tam duriter dininitus tractari, de potentia & sapientia Dei magnificenter tamquam illi differens, nendum ut esset eius obtrectator, cuius tamen iudiciorum rationem negat ex huic vita presenti stain vel aduerso vel profero perspicere posse.

## CAPUT X X VI.

1. Respondit autem Iobus, & dixit.
2. Cui opitulatus es? (an) cui non est robur? quem tutatus es? (an) brachium (cui) non inerat robur?
3. Cui consilium dedisti? (an cui) non (ineft) sapientia, tu vero sapientiam abunde indicasti?
4. Cum quo indicasti sermones (idest quem tuis verbis docuisti) & cuius anima prodiit ex te?
1. & 2. Atqui Bildade, (inquit ista excipiens Iobus) ut ad priorē exceptionis tuae partem respondeam, si tanquam est Dei potentia, & omnium captum superans Maiestas, qui sit ut illam audeatis huius praesentis vitae statu metiri, & cum demum ipius rectum usum arbitrari, cuius ratio patet: Stant nec quæso, suo unius robore Dei iudicia, an sunt quasi per se imbecilla, tuis argumentis fulcienda? non illius brachium quasi per se infirmum, aliquo abs te suppeditato subsidio indiget?
3. Num tuis consiliis ille regedus est, ac si per se non saperet, tuisque monitis ipsum instrui oporteat?
4. Quem inquam, tuis istis sermonibus erigendum suscepisti? an eum cuius animam desipientem possis refocillare?
5. Mortua formantur de subtus aquas, & incolas earum.
6. Nudum est sepulchrū coram eo, nec est operimentū perditioni.
7. Extēdit Aquilonē super inane suspendit terrā super nihilū.
8. Ligat aquae in nubibus suis, nec funduntur nubes sub illis.
9. Adstringit faciem throni, & expandit super eū nubem suam.
10. Terminum circumscriptit superficie aquarum, usque ad summationem lucis & tenebrarum.
11. Columnæ cœli contremiscunt, & obstupefunt ad eius incrementum.
12. Robore suo findit mare, & intelligentia sua ferit elationem maris.
13. Spiritu suo cœlos ornauit, & formauit manus eius serpentem transuersum.
5. Minime vero. Nam contraria (ut me quoque noueritis) illam summam & immensam Dei Maiestatem, neque ignorare, neque minore quam vos animi propensione prædicare) hic est cuius unius vi tot res antea vitae omnis expertes formam induunt intra inferas istas aquas, ut & ipsi

ipſi earum incolæ. 6. Hic est cuius oculis penitus patent ipſa ſepulchrorum antra, & cui nullum obici tam densum & profundum operimentum potest, quo prohibetur ipſa totius mundi infima, quum alioqui res illic abditæ pro penitus perditis, quod ad nos attinet meritò censeantur, clarissimè intueri. 7. Ille cœlos quos Aquilonari cardine circuolui videmus, non ſolidæ materiæ, ſed liquenti & quaſi vacuo ſpatio expaſtos circumfudit, & terræ molem à nihilo poſteribus æquis librata mufpendit. 8. Idem aquas in nubibus tanquā vafculis colletas, ita quandiu ipſi libuit cohibet, ut illatū pondere nubes, terras alioqui obruituræ, minimè rumpantur. 9. Ille ſolij ſui ſurſum collocați extima coagmentata, ſuperfuſa ſuarum nubium teſtudine, retinet. 10. Sed & aquarum superficieſ ſuos limites circumſcripsit nunquam mouendos, donec defiſiant lucis & tenebrarum vices. 11. Ille ſonora tonitruum increpatione cœlos velut à fundamen‐tis ipſis emotos obſtupefacit. 12. Ipsum autem mare vi ſua diffindit, & fulminibus dextre ac peritè vibratis fluctuum tumorem tranſuerberat. 13. Et ut in ipſius opere pulcherrimo deſinam, hic ille eſt qui cœlos illa inenarrabili pulchritudine exornauit, & spiræ ille ſuis giris vndique cœlos, ſerpentium iſtar percurrentes, ſunt opus manibus ipſius tornatum.

14. *Et hæc ſunt extrema viarum eius, & quam puſillum de eoē tonitru verò roborum ipſius à quo intelligetur?*

Et hæc quidem ſunt extima quædam illius quam olim in creando mūdo exeruit, & nunc in eius administratio‐ne demonſtrat, potentiaſe testimonia, cuius quantula eſt portio à nobis audita? Inſignibus illis verò ipſius geſtis quibus non tam ſplendet quam cum tonitru coruſcat, animo percipiendis, quis tandem par fuerit?

### S U M M A E T D I S P O S I T I O C A P I T I S 27,28,29,30,31.

**H**AECENUS Iobus Eliphaz & Bildado respondit. Supererat Tſophares, quo tacente, (ſine quod Iobum habere pro desperato ſine quod non posset eius exceptiones elidere,) progreditur Iobus in ſuā deſtione, quinque proxime ſequētibus capitibus, & in iſto quidem 27. oſtendit que

descelerorum prosperis rebus differuerat, non eò spectare quasi Deus illic faueret, vel nullos eorū in hac etiā vita iustis suppliciis afficeret. Nā ē contrario se agnoscere iustas eis pœnas etiam in hac vita ( quales Deo visum est) diuisitius infligi, quod res ipsa testetur: sed hoc negare esse perpetuum, ac proinde nullo niti firmo fundamento, quod ex tā repentino & tam calamitoso ipsius casū, aduersus eum concludebant. Quandam enim etiam esse occultissimam Dei sapientiam, quares omnes sic admistret, ut eius ratio nulla possit humana opera sagacitate, industria iniri, & quam adorare non scrutari oporteat: nempe quum verè pios, quorū unum se esse serio testatur & probat, durissimè affigit, & ē contrario sceleratos patientissimè tolerat. In summa igitur Iobus tribus de rebus agit his quinque capitibus: isto nempe cap. 27 de pœnis que sceleratis, nō quidem semper nec omnibus, sed quibus & quoties Deo placet, in hac etiam vita infliguntur. Cap. verò 28. de occulta illa Dei sapientia, quod argumentum generaliter & breviter tractat, ut minus habeat pondus. Cap. denique 29, 30, 31 de antea dicta vita sua integritate differt, quam repentina penè incredibilis calamitas exceperit: in quibus duobus quoniam eum quæra oportuit modum ubique non rennuit, præterea merito ab Elio primū, idque non sine acerbitate: ac deinceps ab ipso Deo, sed grauius simul ac moderatus illum audiemus reprehendi.

## C A P V T X X V I I .

1. Perrexit autem Iobus assumere parabolam suam (id est in illa sua tam seria & graui responsione,) & dixit.
2. Vixit Deus qui summouit ius meum, & Omnipotens qui a maritudine affecit animam meam.
3. Tantis perdum halitus meus in me est, & Spiritus Dei in naribus meis,
4. Si loquentur labia mea iniuriam, & si lingua mea meditabitur dolum.
5. Absit à me ut instificē vos, donec expiream: nec tollam integratem meam à me.
6. Iustitiam meam apprehendi, nec deseram eam: non afficiet me probro cor meum in diebus meis.
1. Ad hæc Iobus videns aduersarios suos tacere, magnopere confirmatus, pergere cœpit multò etiam liberiùs, & confidentiùs quām vñquam antea in illa tum veritatis, tum sui grauissima defensione, sic exorsus. 2. Auditio quidem, amici, quę sit vestra de me sententia, & fateor Deum illum Omnipotentem ita nunc mecum agere, & languentem hanc animam tanta miseria premere, ut nulus mihi tuendæ apud vos meæ integritati locus ab ipso relictus

relictus videatur. 3. Sed idem ille Deus, in quo vita omnium viuentium sita est, & cuius quanta sit vis in hac calamitate mea experior, ita sit mihi propitius, ut quamdiu hic in me halitus perdurabit, & flatum istum mihi diuinatus insitum naribus spiraro: neque illius in me asperitas, neque vestræ obtrectationes à me voculam vllam extorquebunt hominis vel apertè improbi, vel probitatè simulantis. 4. Absit, inquam, à me vt quandiu mihi spire rare licuerit, vlo vel dicto vel facto merito à vobis ego vel impietatis vel simulatæ integritatis accusatus fuisse competrat: & videar vitæ innocenter exactæ testimoniū abiecisse. 5. & 6. Nec enim perfunctoriè iustitiā colui, sed illam seriò sectatus constantissimè quoque retinebo: nunquam illam à me amittam: nunquam committam vt me cor meum vlliū, præsertim tam probrofæ defectionis, quandiu superstes fuero, coarguat.

7. *sit hostis meus, vt (est) peruersus: & aduersarius meus, vt (est) sceleratus.*

Egō-ne verò dixerim, Deum sceleratis fauere, vel eos inultos semper pati? Immo tantū ab eo absum vt ita senserim, vt è cōtrario si libeat hostibus meis imprecari, nō aliud sim optaturus, quām vt talem Deum experiantur, qualis est aduersus peruersos & sceleratos.

8. *Nam quæ spes est hypocrita, posse quam auaritia studuerit? quando euaginabit Deus animam ipsius?*

9. *Num clamorem eius audiet Deus, quum superuenerit ei angustia?*

10. *An in Omnipotente se oblectabit? (an) Deum inuocabit quoniam tempore?*

8. Nam vt quispiam pietatem falso prætexens, malis artibus, Deo conniuente, suas opes auxerit, quæ tamen spes illi supererit quum Deus illam, qua toties eū offendit animam ex ipius corpore, tanquam vagina quadā abreptam, ad suum tribunal euocabit? 9. Num illius in his angustiis vociferantis clamores exaudiens? 10. Num illius recordatione, quem simulationibus suis toties provocavit, ille sese eriget? & num illum assidue inuocabit?

11. *Docebo vos Dei manum, & quæ (sunt) apud Omnipotentem non celabo.*

12. Ecce vos omnes vidistis: & quid ita vanitate euaneſcitis?

11. Denique ut administrationem illam in Dei omnipotentis vnius manu sitam à me non negari noueritis, explicabo etiam vobis opera illa Dei, quibus gerendis illâ vim suam nobis spectandam præbet, & occultiora quoque penes ipsum residere demonstrabo.

12. Quum autem ista vos ipſi vestris oculis animaduerteritis, ſicut ex vestris sermonibus appetet, qui tandem fieri potest, ut tam vanis & inanibus argumentis, mecum agatis?

13. Hæc eſt portio hominis scelerati apud Deum, & hæreditas tyrannorum, quam ab Omnipotente accipient.

14. Si multiplicati fuerint eorum liberi, (multiplicati fuerint) gladio: & eius pignora non saturabuntur pane.

15. Superftites eius morte ſepelientur: & vidua eius nō ſiebūt.

16. Si coaceruauerit tanquam puluerem argentum, & tanquam lutum parauerit vefimenta.

17. Præparauuerit (illa) ſed iuftus induetur illis, & argentum (eius) partietur innocens.

18. AEdificauerit ut tinea domum suam, & ut umbraculum (quod) facit cufos.

19. Diues iacebit, & non colligetur: aperuit oculos ſuos, & non eſt (quidquam).

20. Abripiant cum terrores ut aquæ, noctu ſurrepturus eſt eum turbo.

22. Et ruet in illum, nec parcer (ei) (ipſe verò) à plaga eius fugiendo fugiet.

23. Plaudet (vnuſquisque) votis ſuis ſuper illum, (id eſt, ad illius exitium) & ſibilabit ſuper illum ē loco ſuo.

13. Hæc ſunt igitur, fateor quæ tandem Deus sceleratis quaſi debitam ipſis portionem destinauit, & hoc demū eſt lucrum quod ab Omnipotente referent illi qui ſua potentia fuerint aliis opprimendis abuſi. 14. Demus illos numeroſam familiam reliquife: gladio tandem tam multos genuiſſe deprehendentur, vel famelici tam multi interibunt.

15. Si quibus gladius vel fames pepercunt in morte ſepeliendis, nulla eorum vidua maritum deflebit, gaudens potiū ſeſe ab illo liberatam. 16. & 17.

Etiamſi opes coegerit instar pulueris, & tam multam veſtem

stem coaceruarit, vt non pluris eam faciat quām lutum: parauerit quidem illa, at non sibi, sed probæ & integræ vitæ cuiquam ad quem vestes illæ transferentur, & illius pecuniæ dominum futurum. 18. Et ille quidem multū in domo magnifica & stabili erigenda laborarit, exitus autē ostendet illū non tam hominis quām tineæ domū extruxisse, in qua exuccus contabescat: nec firmius stabit illius structura, quām tuguriolū, æstus vitandi causa, à vinearū custodibus erectum. 19. Iacebit tandem collapsus iste nuper tam locuples, nec à quoquam colligetur: & hūc illū respiciens, nihil vsquam opis inueniet. 20. Terroribus mentis sibi male conscię quasi inundantium aquarum diluuio totus opprimetur: & noctis tempore cæteris mortalibus ad quietem capiendam concessio, horridis tempestatibus consternabitur. 21. Rapidissimus enim ventus repente excitatus ipsum abripiet, ita vt mox non compareat, turbine nimicū vehementissimo sublatus. 22. Ruet enim Deus vltor in illum, minime ipsi parsurus, huc illuc ad inflictas diuinitus plagas discursaturo. 23. Et, quod est miserabilius, tantūm aberrit vt de gradu deiectum non modò quisquam commiseretur, vt contrà certatim plausu & sibilo sint eius extium prosequuturi.

## CAPUT XXVIII.

1. *Essanè argento eductio, & locus auro (vnde) funditur.*
2. *Ferrum ex puluere sumitur, & lapis effundit es.*
1. *Et de rebus quidē apertis ac manifestis, & Dei tum in puniendis sceleratis, tum in protegēdis piis prouidētia haçtenus distum esto. Nūc ad illa occulta & penitus ab hominum captu remota veniamus. Latent sub terris auri & argentifodinæ, ex quibus deum eruta conflantur.* 2. *Ferri ex puluere eliciendi, & æris ex lapideis glibis eliquandi, rationem homines adinuenerunt.*
3. *Extremitas statuta tenebris, & omnis consummatio peruestigatur, lapides caliginis & umbra mortis.*
4. *Erumpit torrens ab incola, & (aqua) obliuioni traditæ à pede exhaustiuntur, & præ hominibus (idest multitudine hominū) summoventur.*

5.. *Est terra ex qua oritur panis, & (quod) sub ea (est) conuertitur tanquam ignis.*

6. *Locus Sapphirorum (sunt) lapides eius, & pulueres auri sunt ei.*

7. *Semitam illic non nouit auis, nec eam intuitus est oculus vulturis.*

8. *Non calcarunt eam filii superbie, non transiuit per eam Leo.*

9. *In cautes injiciunt manus, & montes radicibus subuertunt.*

10. *In rupibus riuos diffindunt, & omne pretiosum cernunt oculis suis.*

11. *A fluxu coercet fluuios, & abscondita proferunt in lucem.*

3. Et tantam hic esse fateor hominum industriam, & usque adeò pertinaces labores, ut ipsi naturæ vim adserant. Terminos enim à Deo positos, id est abditissimas illas terrarum specus, transgressi, nec profunditate tanta deterriti, non desinunt à peruestigatione donec metallicos illos lapides abditissimis illis locis, & velut in ipsis mortis sinu reconditos, nanciscantur. 4. Et ut ipsis imia terrarum perfodientibus occurrant torrentes, nō ex eorum numero qui regiones alluunt, sed subterranei, & pedibus hominum prorsus ignoti: nihil tamen ea difficultate deterriti, machinis adhibitis diductos sic extenuant, ut tandem hominum laborantium numero cedere coacti, summo ueantur. 5, 6, 7, & 8. Sic interdum accedit ut summum quidem solum aliquod satum fruges a-lendis hominibus subministret, cuius tamen intima, quasi in ignem, aurum nimirum in fornacibus confundum suggestoria, erutis inde quoque gemmis conuertatur: quæ loca nunquam ullæ volucres, quamuis vndeque vagantes, tranarunt, nec unquam aquila, quamuis acutissimis oculis praedita dispexit, nec ferocius illi feratū catuli calcarunt, nec pertransierunt leones, quamuis abditissima loca peragrantes. 9. Interdum vero non aliquid friabile solum perfodiunt, sed durissimis etiam caubibus iniecta manu, montes funditus euertunt. 10. Aliacos quinetiam fluuiis per medias rupes in riuos diductis penetrant, ut quidquid ibi pretiosum celabatur, ipsorum oculis pateat. 11. Coercito denique redundantium aquarum fluore, altissima quæque in lucē proferunt.

12. At sapientia illa unde elicetur? & ubi nam est ille locus prudentie.

Hæc igitur quantumuis occulta scrutantut in terris & inueniunt mortales. Sapientiam autem illam diuinam, huius vniuersitatis regulam, cuius ratio ipsi soli constat, cedò, indicate si nostis, vnde tandem eruerimus: & in quo tandem huius mundi loco elicere & comprehenderem possitis quam sequatur rerum omnium creator idem & gubernator, in illius sapientia vsl & effectis rationem.

13. Non nouit homo preium eius, neque inuenietur in terra viuentium.

14. Abyssus dicit, non est in me: & mare dicit, non est apud me.

15. Aurum reconditum non dabitur pro ea: neque ponderabitur argento preium eius.

16. Non estimabitur auro obrizo, cum onyche pretioso & Sapphiro.

17. Non aquabit eam aurum, nec adamas, nec eius permutatio fiet vase ex obrizo.

18. Nec corallis, nec galis commemorabitur. & estimatio Sapientie superat margaritas.

19. Non aquabit eam Smaragdus Aethiopicus, nec auro mundo estimabitur.

20. Est illa certè tanti ut in hominum estimationem non cadat, nec usquā in hominibus quotquot viuunt sitam illam inuenierimus. 21. Illam si queras in profundi gurgitibus, negabunt eam intra se sitam esse: & ipsum mare testabitur eam à se non contineri. 22. & 23. Nulla reconditi auri summa, nullū argenti pondus responderet eius preio. Non aurum obrizum, non onyx pretiosus, non Sapphirus æquant eius estimationem. 24. Quid aurum? immo non adamas, non vas ullum ex auro obrizo fabrefactum, illi sint paria. 25. & 26. Ne cōmemorari quidem præ illa merentur corallus vel galis, quum ne margaritæ quidem, nec Smaragdus Aethiopicus, nec aurum purum putum ad illius estimationem accedant.

27. Vnde igitur aduenerit hæc Sapientia? & ubinam est locus (illi) Intelligentia?

28. Nam abscondita est ab oculis omnium viuentium, & ab a-

- ibus culti, (id est per aërem volitantibus) occultata.
22. Perditio & mors dicunt, Auribus nostris audiuimus famam eius.
23. Ut igitur homines tam seduli rerum illarum per scrutatores omni animi contentione studeant illam comprehendere, vnde tandem illam nanciscetur? & ubi tandem demum illius intelligentiam assequentur?
21. Nam si deorsum inter homines illam querant, nemini omnium qui vivunt yifa est: sursum verò nulli volucris, quantumvis in altum sublatæ, conspecta fuit.
22. Deorsum denique si intima terrarum penetralia, ipsamque adeò Mortem percontemur, famam quidem eius, ut pote vndiq; personantem ad se usque peruenisse, nec quidquam amplius dicet.
23. Deus intellexit viam eius, & scit idem locum eius.
24. Nam ipse ad extrema usque terre aspicit, (&) sub toto cælo videt.
25. Ad statuendū vento pōdus: & aquas appendit in mēsura.
26. Faciens ipse pluiae statutum, & iter fulgetris tonitruum.
27. Iam tū dispexit eam, & enarravit eam, aptauit illā, quin etiam inquisuit in eam.
28. Dixit autem homini, Ecce timor Domini est sapientia, & recedere à malo est prudentia.
23. Certè quoquo versus homines, quantumvis ingeniösi & diligentes sese conuerterint, fareri necesse est quod si à vobis fuisset animaduersum, non ita metemere ex huius calamitatis magnitudine de anteacta vita mea iudicium tulissetis: soli nimirum Deo notam esse, ium sapientiam illam infinitam, qua in rebus omnibus condens & disponendis usus est, ac nunc etiam in iisdem ad suos fines dirigendis adhibet: tum quo velut in loco, penes ipsum unum videlicet, resideat.
24. Nec enim est hominem similis, qui singularia, vix possunt animaduertere: sed ex alto terras hinc inde totas intuerut, & quidquid sub cælo toto extat, obseruat.
25. Neque ab aliquo temporis spatio facere & obseruare istud cœpit, sed hūc mundum creans, simul ipsis aërem perflaturis ventis sua constituit pondera, & aquas velut in bilance iam tum appendit.
26. Hinc illud pluiae stillaturæ, quasi guttisilius

Hijs numeratis, cōstituit demensum, & vorūscātibus fulguribus iter suum præstitutum. 27. Is est ergo qui iam cum quum hunc mundum conderet, suoque digeret ordine, pro illa sua sapientia singula dispexit, & postea operibus illis suis, velut illius interpretibus, homines docuit: aptatis videlicet illis prout sapiētissimē decreuerat, id grāccuratissimā cum animaduīsione qua res omnes iam inde ab initio ad ministravit. 28. Homines deniq; diuinx illius inscrutabilis sapientiæ minimē cōsideres, sed spectatores & adoratores esse iubens, hæc esto, inquit, sapientia vobis cognoscēda & exercenda, Deum vestrū opificem ac Dominum reuereti, & à malo abhorrete.

## CAPUT XXXIX.

1. Perrexit Iobus assumere parabolam suam (id est, in illis suis grauiſſimis sermonibus,) & dixit.

Et haec tenuis quidem Iobus, quum de Sapientia Dei in huius mundi administratione, tum illa nobis manifesta, tum arcana & captum omnē hominum superante grauiſſimē differuerisset, & nemo ex ipsis accusatoribus, ut antea, responsaret, hæc quoque superioribus adiecit: sese videlicet tum pro illius manifestæ in prosperis ipsis rebus, tum pro alterius arcanæ in his suis calamitatibus exemplo proponens.

2. Quis dederit mihi (vt essem) secundum menses priſti nos, secundum dies (quibus) Deus custodiebat me!

3. Quum splendere faceret lampadem suam super caput meum & ad lumen eius ambularem in tenebris.

4. Quum crām in diebus iuuentutis mea, in societate Dei in tabernaculo meo.

5. Dum adhuc (erat) meū Omnipotens & circū me puerim ei.

2. Q si talis essem, aut repente fierem, qualis olim eram, quum me Deus aduersus mala omnia rueretur. 3. Quū ipso cœlitus me irradiante, & suæ milii lucis faciem præferente, per medias tenebras securus incéderem? 4.

Quum & ætate florerem, & tam familiariter sese Deus rebus meis immisceret. 5. Quum, iisque, & Omnipotens ille meū versaretur: & essem amplissima familiæ mei obseruantissima circumcinctus,

6. Quum lauarem gressus meos butyro, & rupes fundebat apud  
merinos olei.
7. Quum iens ad portam per urbem, parabam in platea se-  
dem meam.
8. Videntes me iuuenes abdebat se, senes vero assurgebant &  
stabant.
9. Principes cohiebat sermones, & manū admouebant ori suo.
10. Vox procerum supprimebatur, & eorum lingua adharet  
ipsorum palato.
11. Tunc me auris audiebat, & me beabar oculis me videbat, &  
testificabatur de me.
6. Abundabam enim domi tanta pecudum copia, ut  
penè vbiunque pedem posueram profluere butyrum,  
& ipsæ rupes olei riuos mihi profundere viderentur.
7. Foras autem quories ad portam, locum videlicet  
capiendis consiliis & iuri dicundo constitutum, per me-  
diā urbem proficiebar, erat mihi in publico patara  
fedes. 8. Et iuunes quidem faci vultus conspectū,  
reuerentia quadam tacti, sese subducebant: grandiores  
autem natu assurgebant, & sedenti adstabant. 9. Prin-  
cipes ipsi sermonem abrumpentes, admota ori manu, si-  
lentium ipsi sibi indicabant. 10. Summum denique  
me praesente vbi quis silentium erat inter ipsos, ut ne vi-  
nus quidem mutiret. 11. Vbi vero loqui coeparam, tum  
me cuncti exceptis audiissimè sermonibus meis, beatū  
prædicabant, nec me quisquam intuebatur, qui me suo  
testimonio non ornaret.
12. Liberabam enim afflitos vociferantes, & pupilos, & qui-  
bus non (erat) adiutor.
13. Benedictio pereuntium super me veniebat, & cor vidua-  
rum exhilarabam.
14. Iustitiam induebam: & (ea) me induebat, (&) iudicium  
meum, (id est recte composita vita, erat mihi) tanquam pal-  
lium & tiara.
15. Oculi (id est, oculorum loco) eram cassis, & pedes (id  
est, pro pedibus) claudis.
16. Pater eram in opibus: & litem (qua) non norā inuestigabam.
17. Et obterebam molares improborum, & ex eorum dentibus  
gradam eripiebam.

12. Quid

12. Quid si me igitur in eo statu nunc quoque conspiceretis, qui de hominum integritate vel improbitate, ex praesenti in hac vita statu iudicium fertis? nempe me non amplius pro impio in Deum, & in homines scelerato, sed pro viro iusto & probo haberetis. Et ne simulationis arguere me possitis, prouoco ad illa publica omnium de mea antea cœta vita testimonia, ex quibus apparebit verè fuisse me afflictorum, pupillorum, omnium denique opere destitutorum liberatorem. 13. Hinc illæ tot alioqui miserè periturorum faustæ pro me effusæ preces, procurante me speciatim ut viduarum gemitus in lætitiam mutarentur. 14. Iustitia me totum dabam, & illa mihi vici. fam laudem conciliabat, & studium illud eque & boni, erat mihi pro regio quodammodo pallio & diademate.

15. Eram cœcis oculus, claudis pedum loco. 16. & 17. Pater eram in opibus, quorum ignota iura postquam dili gente cognouissem, suscepto illorum in nocentie patrocinio, curabam ut scelerati, erepta ex ipsorum faucibus præda, iustas improbitatis suæ pœnas darent.

18. Itaque dicebam, In nido meo expirabo: & tanquam arenam multiplicabo dies.

19. Radix enim mea exposita erat ad aquas & ros pernoctabat in ramis meis.

20. Gloria mea renouabatur apud me, & arcus meus in manu mea immutabatur.

21. Me audiebant (omnes) & expectabant, & tacebant ad consilium meum.

22. Post sermonem meum non iterabant, & super eos stillabat sermo meus.

23. Et expectabat me sicut pluiam, & os suum aperiebant ut ad pluianam serotinam.

24. Rudebam ad eos, & non credebant: & lucem vultus mei non deiiciebant.

25. Deligebam viam eorum, & sedebam summus, & habebam sicut Rex in ipso exercitu, ut qui lugentes consolatur.

26. Hac igitur via insistens, & Deo tam propitio fretus, nec occultam illam eius sapientiam expendens de qua mihi vobis cum nunc est controversia, statuebam apud me futurum, ut sic in nido meo, id est, inter meos placide

atq[ue]m

& cum dignitate, diebus vite meę quasi supranumerum  
arenę multiplicatis, è viuis excederem. 19. Deorsum  
enim, recte & cōscientiæ meæ radix erat velut ad aquas pe-  
rennes diuinæ benignitatię exposita, quibus assiduè riga-  
batur: sursum verò ramos inde exortos, familiam videli-  
cet & greges meos nocte cœlestis ille ros cœlitus in illi-  
los decidens fecundabat. 20. Ad illam autem inter  
homines mihi partam dignitatem & auctoritatem sub-  
inde nouum quidpiā accedebat: & mea potentia quo-  
tidie inter meas manus incrementū recipiebat. 21. Ne-  
que sanè temerè sic iudicabam. Omnes enim me loquen-  
tem attentissimè audiebant: omnes dum loquerer expe-  
ctabant: omnes loquuto assentiebantur. 22. Nemo qui  
me audisset, sibi quidquam postea dicendum arbitrabla-  
tur: nemo non aures simul & mentem dicenti mihi præ-  
bebat. 23. Me quidem certè verba facturum nō minùs  
auidè obseruabant quām solet; & tu summo, pluia illa  
frugifera & optatissima quasi ore hiante expectari. 24.  
Quod si etiam non nihil urbanè vel liberiùs à me dictum  
esset, nemo tamen offendebatur, nec propterea vultum  
vnquam mutare me oportuit. 25. Si quod anceps ne-  
gotium sese offcrebat, indicabam quānam esset ipsi via  
deligenda, summo & honoratissimo loco instar Regis  
cuiuspiam exercitu suo circum eindī considens: & quid-  
quid protuleram, perinde accipiebatur, vt eius oratio  
qui miseros & languentes solatur.

## C A P V T . X X X .

1. Nunc autem derident me minores me diebus, quorum pa-  
tres dediti natus essem ponere cum cānibus gregis mei.

2. Etiam robur manuum illorum ad quid mibi super eos, pe-  
rierat senium.

1. Talis igitur eram paulo ante. At (bone Deus) quā-  
ta & quām repentina secuta est mearum rerum omnium  
commutatio? Nam ecce minoribus etiam natu sum ludi-  
brio, quorum patres ne dignatus quidem essem eodem  
loco habere atque canes custodiendis meis gregibus ap-  
positos. 2. Nam illorum quidem iuniorum robur nul-  
li mihi y sui fuisset: horum verò senectus talis erat ut con-  
sumpta

fumpta partim in otio , partim in flagitiis ætate , frustra tamdiu vixisse meritò viderentur.

3. In egestate & in fame solitary , fugientes in solitudinem , in tenebras , desolationem & vastitatem .

4. Decerpentes maluas iuxta virgulta , & ( quibus ) radices (& iuniperi (erant) cibus .

5. E medio pulsi (&) contra quos clamabatur ut (côtra) fures .

6. Ad commorandum in præruptis torrentium (& in ) cauis camporum & rupium .

7. Qui inter virgulta eiulabat , (&) sub spinetis aggregabatur

8. Filii stultorum , etiam filii sine nomine , abiecti præ terra ipsa .

9. Nunc sum canticum eorum , & factus sum eis sermo .

10. Abominantur me , procul recedunt à me , & à facie mea non inhibent sputum .

3. & 4. Homines , inquam , usque adeò detestabiles , vt ne in summa quidem egestate & fame quisquam eos ferret , adeò vt conspectum hominum fugientes , sese in horrida & squalida loca recipere coacti , maluis , radicibus & iuniperoru deceptis granis miserrimam vitâ traherent . 5. Vrbibus extores , & clamoribus ciuium præsuribus exacti . 6. Quibus prærupta per quæ torrentes deuoluuntur , campestres cauernæ , rupium specus vix tectum præbebant . 7. Errantes inter virgulta , & intersentes aggregati . 8. Homines nullius frugis , homines nominis nullius , & ipso quod pedibus calcant solo deiectiores . 9. Hi sunt qui nunc de me cantillant , & quibus præbeo garriendi argumentum . 10. Qui me abominantur , & vt pollutum refugiunt , immo conspue re menon verentur .

11. Quia (Deus) funem meum soluit , & affixit me , & (ipsi) frenum à conspectu meo laxarunt .

12. Ad dextram meam lascivientes adolescentuli insurgunt , pedes meos propellunt , & super me calcant semitas sua noxae .

13. Disiecerunt semitam meam , ad contritionem meam conserunt : non (est) adiutor illis , (id est aduersus illos .)

14. Tanquam per rupturam latam irruperunt , & sub dirutio ne deuoluunt se .

11. Quoniam enim Deo visum est meam illam auctoritatem dissoluere , qua veluti vinculo quodam omnes

in officio continebantur, idcirco nulla nunc mei reue-  
rentia tacti effusis habenis in me feruntur. 12. Hinc fit  
vt ipsos etiam adolescentulos, & tatis flore petulanter a-  
butentes, non pudeat ad ipsam dextram meam in me  
insurgere: pedes meos propellere: me denique velut ha-  
bere pro semita, in qua suam illam ad nocendum protet-  
tuiam exerceant. 13. Sic inuersa est omnis vita meæ ra-  
tio: sic calamitas subinde calamitati meæ adiicitur: nec  
quisquam est eheu qui aduersus illorū iniurias mihi mi-  
serissimo patrocinetur. 14. Omnes enim simulatque  
ruere cœpit paries qui me circumcingebat, quasi amplio  
sibi aditu patefacto impetum in me fecerū, & per ipsam  
dirutorum lapidum congeriem, id est occasione ex hoc  
ipso meo casu arrepta, qui potius commiseratione di-  
gnus erat, præcipiti saltu in me prouerunt.

15. Conuersum est in me quidquid est terrorum, (&) tanquam  
ventus propulsat præstantiam meam, & tanquam nubes preterit  
falus mea.

16. Nunc itaque diffluxit in me anima mea: corripuerunt me  
dies depressionis.

17. Nocte perforat (Deus) ossa mea: pulsus mei non conques-  
cunt.

18. Pra multa vi (illius) mutatum est (id est, mutauit colo-  
rem) vestimentum meum, (&) sicut os tunica mea me circumcin-  
git.

19. Projecit me in lutum, & assimilatus sum pulueri & cineri.

20. Clamaui ad te, & non exaudiisti me: adstisti (id est, stisti me  
ipsum apud te) neque considerasti me.

21. Versus es in truculentum mihi, & pro robore manus tua in-  
fensus es mihi.

22. Attollis me ad ventum, cui inequitare me facis, & dissol-  
uis me à compage (id est in nihilum me redigis.)

15. Et illa quidem foris me opprimunt. Intus verò  
quidquid vsquam est quo terrefieri potest vel constan-  
tissimi hominis animus, in me insilit: & turbinis instar o-  
mne meū illud decus, quod iuuandis omnibus inseruie-  
bat, tanto impetu prostravit, vt repente sit mihi spes vl-  
lius euasionis erepta. 16. Nunc itaque me omnis ille  
vigor animi quasi liquefactus destituit, ex quo in istud  
misericordiam

miseritum tempus sum detrusus. 17. Tantum enim abest ut nox recreandis mortalibus constituta, vel tantillum quietis mihi concedat, ut contra tunc demum ipsas ossium medullas grauissimi cruciatus, nunquam desinente arteriarum pulsu, transfodiant. 18. Immo tanta vis est illius mihi diuinitus inficti mali, ut vestimenti mei colorem promanans ex ulceribus sanies immutatur: nec os tunicæ meæ collum meum arctius constringat, quām illa Dei manus me totum circumcingit.

19. Iaceo denique totus in purulentum istud lutum immersus: & ipsis scabiei squamis & ramentis scatens, macerato pulueri & cineri quām homini similius evasi.

20. Quod autem omnium grauissimum est, sum ad te altissimè vociferatus ô Deus, neque metamen exaudiuisti, neque respexisti, quum apud tribunal tuum comparerem. 21. Et quanuis natura sis infinitè clemēs, mihi tamen factus es truculentus & immitis: & totas in me vites tuas exerces. 22. Tu me sursum hue illuc quasi venti arbitrio iactandum extulisti, & quicquid in hoc meo corpusculo solidum subsistebat, eō usque colliquasti ut mox sim nusquam substiturus.

23. Scio enim quod me ad mortem, & domum omni viuentī constitutam reuocas.

24. At non in tumulum mittet manum, quanuis in illius contritione (sit) eis clamor.

23. Satis enim prospicio me ex hac vita domum illam mortalibus omnibus coaceruandis constitutā reuocari.

24. Hoc ipsum tamen non nihil me solatur, quod quantumvis frustraclament calamitosi dum conteruntur: tamen Dei manus cadaveris semel sepultum, & omnis sensus expers amplius non attinget.

25. Nisi fleui ob durū diē (id est lachrymis sum prosequutus calamitosos) (&) nisi anxia fuit anima mea super egenum.

26. Quando bonum expectavi, tunc venit malum: p. astolatus sum lucem, venit caligo.

25. Et quis hic locus, amici, vestræ illi sapientiæ relinquitur? Nunquam enim propitius sit mihi Deus, quem testem ac iudicem appello, in lachrymis etiam sum prosequutus quos vidi in calamitate versari: & nisi pauperū

inopia sum intimè commotus. 26. Sed quum prospéra cuncta expectatē, tunc demum aduersa superuenerūt, & lucem præstolanti aduenērunt tenebræ.

27. Viscera mea feruent, neque silent: occuparunt me dies op- pressioneis.

28. Ater ambulo absque Sole, flos in cœtu hominum & vocife- ror.

29. Frater factus sum draconibus, & socius pullis struthionū.

30. Cutis mea denigrata est super me: & os meum exaruit pre- seccitate.

31. Et fuit (id est verla est) in luctum cithara mea, & lyra mea in vocem flentium.

27. Feruefacta viscera mea crepitant: oppressit me ino- pinantem aspernum hoc tempus. 28. & 29. Adustam eutem circumfero, at non Solis æstu:tanta est hæc mea calamitas, vt nulla me frequentia hominum cohibeat quominus palam inconditos istos clamores edam, quasi draconum per deserta cum sibilis suspirantium frater, & pullorum struthionū quiritantum socius. 30. Atram reddidit squalor totam hanc meam cutim qua circum- uestior: & fauces meæ p̄x seccitate exaruerunt. 31. Si- meos cantus terminauit luctus, & in planctum omnis exultatio mea desit.

### S U M M A E T D I S P O S I T I O.

#### C A P I T U L U M X X I.

**H**oc capite Iobus suam integratē cogitur copiosissimè defendere & particulatim asserere, antealtæ vita sua veluti catalogum contexens: ad id, ut videtur, ad altius calumnias ab Eliphazo in ipsum non minus spe ciatis supra ab initio cap. 22. usque ad vers. 11. cōtoris. Vtitur autem gr. uissima inficiatione, usque ad vers. 35. idque ordine pulcherrimo, exorsus à seipris vers. primis quatuor & deinceps agens de fraude in mutuis contra libis vers. 6. de furto vers. 7. & 8. de adulteriis vers. 9. 10. 11. & 12. de potestatis herilis abuso, vers. 13. 14. 15. de pauperum, ac præseriū viduarū ac pupillorum contemptu vers. 26. 27. 28: de referende iniuriæ cupiditate 29. & 30. de hospitalitate vers. 32. de dissimulata improbitate vers. 33. Deinceps verò ad Deum ut cōfessum ac iudicem prouocat, uniuersam hanc innocentia sua defensionem concludens vers. 38 & 39. horrendis ubiq. interpositis imprecationibus, si mendax comperiatur. Mendacem au- tem Iobum minimè fuisse testatus est ipse Deus, initio huius historie, ag: deinceps

deinceps etiam in extremo audiens. Principius autem fructus hinc à nobis colligendus non hic est ut Iob factam iniuriam fuisse nouerimus, cui male nulli sunt magis expositi quām qui Iobi exemplū imitātur: sed in eos situs est ut in hoc exemplo singuli, ac praeferim quibus sunt ample ad virtute in exercendam facultates, que sint sancte & honeste vita, domi & foris officia consideremus. Hoc enim vere mihi liceat affirmare, Christiane lector, plura hoc uno capite comprehendit pia & verè iusta vita precepta, eaq; non in nuda contemplatione, sed certissimo exemplo & usu confirmata proponi, quām in ullis vel Philosophorum vel historicorum libris exīt.

## CAPVT XXXI.

1. Fædus percussi cum oculis meis, & quid considerassem in virginē?

2. Quānam enim est portio Dei desuper, & qua hereditas Omnipotentis ab excelsis?

3. Nōnne calamitas scelerato (parata est?) & aduersum quidam extraordinarium sceleratè versantibus?

4. Nonne videt ipse vias meas, & omnes gressus meos dinumerauit?

1. Sed hæc, (sat scio, dicetis) nihil ad Iobum, quem tu, Eliphaze, ausus es etiam ut summæ improbitatis coniunctum increpare. Ego vero, sicut nuper sum testatus, in eadem integratatis patrocinium non deseram. Primum igitur hoc testor, ita me vitam meam compolsuisse, ut veluti fœdus cum oculis meis pepigerim: nempe ut nec illi me ad turpe quidpiam allicerent, nec illorum ego conspectu abuterer. Absit igitur ut ad ullam virginem impuros oculos aduerterim. 2. Quinam enim hoc faccerem, minimè nescius, etiamsi facile possem hominum manus effugere, quām soleat Deus ille sursum habitans, persoluere huic sceleri mercedem: & quid ab illo Omnipotente cuncta ex alto contuente & diuidicante, referant istius flagitij rei? 3. Nempe calamitatem improbis paratam, & horrendas aliquas pœnas quas effuge re nequeunt quicunque sceleribus indulgent. 4. Méne vero an non ille penitus nouit, gressibus etiam penè meis omnibus, quacunque incessi dinumeratis?

5. Si incessi cum falsitate, & ad fraudem sese mouit pes meus.

6. Appendat me bilancibus iustis, & noscat Deus integratatem meam.

Si in mutuo cum aliis cōmercio fraudulenter me gessi,  
& sciens prudens ad alios falledos me contuli, Deus ipse  
adhibita iusta bilance hæc omnia expendat, & an non  
sincerum me præbuerim dijudicet.

7. Si deflexit pes meus à via, & post oculos meos ambulanit cor  
meum, & manibus meis adhæsit macula.

8. Seram & alius comedat, & germina mea eradicentur.

Si ab eo quod sequendum est deflexi, neque mihi iustum & rectum, sed cupiditas preiuit: si denique quidquā  
contrectauit quod manus meas inquinaret, faxit Deus iustus iudex ut extranei satis meis vescantur, & quæcumque  
mihi germinant, radicitus perdantur.

9. Si pellecūtum fuit cor meum super muliere, & apud fores ami-  
ci mei sum i-sidiatus.

10. Molat alteri uxori mea, & super eam incurvant se alij.

11. Est enim nefas & iniquitas iudicum. (idest obnoxia  
Magistratum cognitioni & damnationi.)

12. Nam ignis est qui usque ad consumptionem devorasset, &  
omnem meum prouentum eradicasset.

9. & 10. Si mulieris alienæ forma pellecūtus, captaui at  
apud amici fores eius potiendæ occasionem; iusta legē ta-  
tionis vxorem meam alius violet. 11. & 12. Est enim  
hoc ingens scelus, & dignissimum iudicum animadver-  
sione: quod etiamsi nullus magistratus vindicasset, fuisset  
tamen instar ignis me mæque omnia funditus absu-  
mentis.

13. Si ius serui mei, vel ancillæ meæ sum euersatus, quum me-  
cum discepiarent.

14. Quid enim fecissem Deo surgente? & (eo) visitante, (id  
est, in hoc inquirente) quid ei respondissem?

15. An non qui me in utero fecit, fecit illum: & aptauit nos in-  
matrice una?

13. Si herili potestate in seruos meos aut ancillas abu-  
tent, illos apud me conquerentes seu iure seu iniuria de-  
spexi, idem mihi diuinitus eueniat.

14. & 15. Etsi enim  
seruandum est inter dominum & seruum discrimen, ta-  
men quum & ego & ille vnicum habeamus vitæ huius  
autorem, à quo uterque sumus in utero, etsi non nume-  
ro, specie tamen uno & eodem compacti, si quid tale ad-

missem

misissem ecquid Deo tribunal conscidenti, & eius facti cognitionem suscipienti, responderem?

16. Si prohibui (quidquam) ab optatu pauperum, & oculos viduarum feci deficere.

17. Si comedi buccellā mēā solus, nec comederunt ex ea pupilli.

18. Certe à pueritia mea creuerunt mecum tanquam apud patrem, & illas iam inde ab utero matris meae deduxi?

19. Si vidi pereuntem absque vestimento, nec fuit operimentum inopis.

20. Nisi mihi benedixerunt eius lumbi, & fuit ouium mearum vellere calefactus:

21. Si sustuli manum aduersus pupillum, videns in porta auxilium meum.

22. Scapula mea decidat ab humero suo, & brachium meum (auulsum) ab acetabulo suo confingatur.

23. Immo pauori mihi fuit exitium ab eo: & (quod) ab eius sublimitate non possem euadere.

16. Si pauperum optata sum frustratus, & oculos miscitarum viduarum in me conuersos sum passus expectando deficere. 17. Si, quod auari & sordidi factitant, solus cibum capi, nulla eius parte pupillo esurienti decisa.

18. Nisi è contrario illos adhuc puer adsciuī, ut apud patrem meum simul adolesceremus: istas verò nisi adhuc infans foui, & manu prehensas domum deduxi. 19. Si quis mihi occurrit nuditate pericens, cui vestimentum non præbuerim. 20. Immo nisi, testibus, ac penè loquentibus ipsorum lumbis, ouium mearum vellere calefactis, mihi bene sunt precati pauperes. 21. Si auctoritate mea elatus, & quod paratos haberem qui me etiā peccantem tuerentur, manum aduersus impotentes sustuli.

22. Scapula hæc mea ultrò ab humero decidat, & hoc meum brachium, ab acetabulo auulsum, cōfringatur. 23. Immo perterritus me exitium mihi ab eo si quid tale admissem paratum: & quod fieri non posse scirem ut sum mæ illi Maiestati eriperer.

24. Si posui aurum spem meam: & auro dixi, fiducia mea(es.)  
25. Si latatus sum quum multiplicata sunt opes mea, & quum multum nacta est manus mea.

24. Deus mihi testis & iudex esto, si spem meam col-

Tocauit in auro: si, inquam, aurum pro eo colui à quo dependere. 25. Si eorum more qui animum accumulandis opibus totum adiiciunt, exultaui facultates meas videns augeri, & eas existimauit mea mihi industria comparatas.

26. Si vidi lucem quando splendet, & Lunā claram incedentē.

7. Et seduxit sese clam cor meum, & osculata est manus mea os meum.

28. Etiam hoc fuisset scelus iudicum (id est iudicum cognitione & animaduersione dignum) quia abnegassem Deum (qui est) sursum.

26. & 27. Execrabilis sim ego si Solis faciem coruscam, & Lunam in illo suo splendore fulgentem cernens, clam meipsum fallens, nedum ut me palam idololatris adiunxerim, ori, sicuti solent, admota manu, cultum ipsis exhibui. 28. Est enim scelus istud sola horrenda poena expiable, quo Deum illum Soli & syderibus ipsis superstantem abnegassem.

29. Si latatus sum casu inimici mei, & exultaui quum deprehendit eum calamitas.

30. (Immo) ne dedi quidem palatum meum ad peccandum, & petendam maledictionem anima illius.

31. Nisi dixerint homines tabernaculi mei, Quis det ex carne eius: non saturaremur.

29. Disperebam quoque si ex ullius inimici mei casu aduerso arripui lætitiae argumentum, ne si quidem in magna aliquam calamitatem incidit. 30. Immo ne ore quidem meo ad ullas imprecationes aduersus eum concipiendas sum abusus. 31. Et tamen testore ego mihi non defuisse ex domesticis etiam meis hortatores, qui me ad referandas, magno quoque cum fœnere, iniurias incitare, idque tam infensis animis, ut ne si viuos quidem ipsos deglutiuerent, sibi latus factum iti clamarent.

32. Foris non pernoctauit peregrinus: ostia mea secundum viam aperui.

Tantum autem abfui ab eo ut domesticis meis in ista seuitia fuerim assensus, ut peregrinos non tulerim sub dio pernoctare, & secundum viam patere prætereuntibus x-

bus ædes meas voluetim.

33. Si texi sicut homo (id est quiuis consuevit) transgresiones meas ad occultandum in sinu meo peccatum meum.

Ergo, inquietis, nunquam peccasti lobet? Sanè peccasse me absit ut diffitear, quod & antea toties sum testatus, quanvis non is sim quem esse me criminamini. At quoties peccavi, testis est mihi Deus, an visitatissimo plerisque more, transgressiones ullas meas dissimularim, & repugnante mea conscientia, tectas in sinu retinuerim.

34. Certè fregisse multitudinem magnam: sed despectissimus familiarum terrobat me: & tacebam, nec egrediebar ex ostio.

Fuit tamen profectò tanta auctoritas mea ut facile possem obstantes mihi quantumuis multos domare: sed si quis mihi repugnauit, etiam vilissimus ex plebe, tanta mihi fuit religio tale quicquam experiri, ut ne pedem quidem domo extalerim.

35. Quis dederit mihi qui me audiat? ecce signum meum, Omnipotens (qui) respondebit mihi, & titulus quem scripsit vir litis meæ (id est aduersarius meus.)

36. Nisi super humerum meum gestarim ipsum, & alligem cum pro diademate mihi.

37. Numerum gressuum meorum narrauerim illi, & tanquam principem accedere fecerim.

35. Scio vos ne istis quidem fidem habituros. Quod vtinam hoc mihi daretur ut haberem qui me æquo animo audiens causam meam decideret. Ecce enim istud in summa signum quo tendo ut de mea innocētia constet. Omnipotens ille Deus videlicet quem scio suo responso quæ modò protuli comprobatum: & ille ipse accusatorius libellus quem aduersarius in me profert. 36. Immo habear ego pro peracto reo nisi potius quām de mea causa non cognoscatur, illarum criminacionum libellos ipsos humeris ipse meis sim gestatus, & tanquam diadema mihi circumdatus. 37. Immo ut accusator meus norit quām sim ab omni tergiuersatione remotus: ego ipse omnem antea & vitæ rationem apud illud tribunal reddere sum patatus: nec expectabo dum aduersarius eò me vocet: immo egomet iudicem illum penes quem est in omnes imperium, appellabo.

38. Quod si aduersum me terra mea clamat, & flent eius sulci,  
 39. Si fructum eius comedи sine pecunia, & dominorum eius animam efflare feci,  
 40. Pro tritico carduus oriatur, & pro hordeo lolium.
38. Denique ut paucis omnia complectar, si competrar sic abusus eo quod possedi territorio, ut vel ipsis ta-centibus hominibus, terra possit aduersum me accusatiōem instituere, & aruorum meorum sulci de malamentari. 39. Si eius fructibus, vel dolo malo, nec persona luta operariis mercede, vel per vim oppressis, & præfame ad mortem adactis dominis, vixi. 40. Pro tritico carduos, & pro hordeo lolium mihi producat.

## S U M M A E T D I S P O S I T I O

## C A P I T I S X X X I I .

**I**obum initio audiuius primū quidem constantissimè omnes Satana insulcis & impressiones sustinentem, & invicta pressus animi fortitudine repellentem à cap. primi vers. 13. ad cap. secundi vers. II. Deinceps autem usq; ad hoc caput 32. idem maxima eorum qui ad ipsum consolandum venerant imprudentia, que tandem in virulentas ac penē coniunctiorias reprehensiones euasit, miris modis exagitatus, ercentibus simul magis ac magis, tum animi calumnias acerrimis exulceratis, tum tam misere vexatis corporis cruciatibus, id ipsum admisit quod solent qui in duplice periculo in sinistra duntaxat partem conuersi, alterum latius aduersario nudum prebent. Depellendis enim meritis aduersariorum calumnias totus intētus, nec animaduertens quid Satan potissimum moliretur, nempe ut tandem in ipsum Deum insurgeret, suam illam constantiam multis admodum inconsideratè, quasi apud ipsum Dei tribunal, dictis contaminauit, atque adeo parum absuit quin Deum ipsam accusans victoriam Satanae cederet. Commisera-tui autem scrum suum ille qui et si interdum uad. iudeo pol. lxx (ut de se loquitur Apostolus) suos velit caput redi, nunquā tamen illos sic premis, quin eos opportūnè subleuet, primum excusatuit Elium qui tum illorum Iobi amicorum imprudentiam refutaret, tum Iobum, non de antea facta sanè vita, ut illi falso fecerant, reprehenderet, sed ut aberrantem, & nisi alio quam ad suam integratatem refugeret, & placidum illum ac docilem spiritum recuperaret, in apeream impietatem mox ruutrum, sensim in viam re-uocaret, tantisperdum superueniret ipse Deus, totam hanc litem deci-surus. Eisi vero fatendū est Iobū non paruam iuste reprehensionis, & quidē grauis & afferre occasionē multis illis inconsideratè effusis prebusse: certum est tamen Elium pleraque aliter quam mens Iobi ferret, siisse inter-pretatum: immo etiam in iis que redargui merebantur arguendis modum non semper tenuisse, quod sanctis presertim hominibus vehementiore natu-ra p̄tra.

rapreditis vsuuenire consueuit: usque adeò res est ardua tum etiam quā  
reclē agimus, in neutrā partē peccare. Sed si quis consideret quā usque se  
Iobus importunitate illorum accusatorum, & humanis viribus intolerabi-  
li calamitate adactus, extra viam proripuerit: & quā sit pertinax in o-  
mnibus existimationis sua tuenda studium, presertim quoies ab iis ladi-  
mūr quos minimè oportuit: fatebitur non blandiore, sed tali prorsus censore  
& censura opus fuisse Iobo, ut penitus se Deo sub. icere docoretur: sicut  
facere perrexerat, donec ab amicis ipsius vitam acerbissimè calumnian-  
tibus ad istas disceptationes periraberetur: sic tamen aberrans ut subin-  
de in via n̄ redeat, ut presertim ex cap. 9 apparet, vbi eadem isdem pene  
verbis profitetur, qua & Elias, & Deus ipse post Elizum, Iobο inculcane.  
Elias igitur (celebris & ipse à genere, qui à doctorib. & interpretibus proba-  
biliter genus traxisse putatur ex Nachore Abrahami fratre ex c. Genes.  
22. 21.) superioris disceptatoris auditor, quum utrinque silentium filium  
esset, interloqui cœpit, sermone sex integris consequentibus capitibus, ali-  
quatenus quidem aduersus Iobi accusatores, propriè verò ac precipue ad-  
uersus ipsum Iobum continebat: cuius dicitur, quod ad Iobum attinet, pro-  
ponitur huius cap. vers. 1. & 2. quod videlicet non contentus negare se ra-  
tem esse qualis in ipsum esse falso tres illi calūniabantur, ut inde ipsum col-  
ligerent propter talia scelera affligi, eo usque progressus esset ut diceret  
causam tanta sibi infligende calamitatis inuenire Deum in ipso non po-  
tuisse: atque adeò iuste cum ipso Deum sic agere videri nequire, nisi ad  
summa nullan & inscrutabilem rerum omnium causam, nempe ad volun-  
tatem Dei, quatenus omnibus secundis causis praedit, deueniretur: quasi ve-  
ro Deus si summo iure uti vellet, in sanctissimis etiam quibusque iustissi-  
mam causam non sit comprehensurus cur ipso non tantum poenis quantis-  
unque in hac vita puniat, sed etiam extremo exitio addicat. Illos  
autem Iobi accusatores prouicis quidem sed grauiter à vers. 3. ac deinceps  
usque ad finem capitis, in eo reprehendit quod eo omisso in quo Iobus erat  
redarguendus, pergeant eorum scelerum ipsum accusare, quorum tamen  
nullam adserent probationem. Intermixta verò longissima prefatione,  
se excusat, quod etate multò quam illi inferior, prodire tandem in me-  
diū audeat, ac etiam ab illis omnibus dissentire.

## CAPUT XXXII.

1. Tunc destiterunt tres illi viri respondere Iobō (super eo)  
quod ipse iustus esset in oculis suis.
2. Excanduit autem ira Elias filij Barachelis, Buzite, ex co-  
gnatione Rami, aduersus Iobum: excanduit, inquam, ira eius in Io-  
bum, quod is iustificasset animam suam (id est seipsum) præ Deo.
3. In tres quoque ipsius amicos excanduit ira eius, propterea  
quod non inuenerant responsū & (tamen) damnarant Iobum.
4. Sed Elias expectauit Iobum in sermone: quoniam erant se-  
niores ipso diebus.

1. Et hactenus quidem responsare desierunt tres illi Iobum suam innocentiam aduersus eorum criminaciones confidentissimè afferenti. 2. Quod animaduertens Elias adstantium vnum, celebris & ipse genere, Barachelis videlicet filius ex cognatione Rami quæ ad Buzitum familiam refertur, grauiter admodum aduersus Iobum commotus est: non quod obiectas sibi criminaciones insciaretur, sed quod in vnicam suam tuendam innocentiam intentus, multa inconsideratè de se dixisset: modò comparans anteactam innocentem vitam suam cum tanta tamque repentina calamitate: modò coram ipsius Dei tribunalı valde securè sese sistens: ut planè magis de sua tuenda integritate, quam de iustitia Dei placidè agnoscenda & prædicanda laborasse videretur. 3. Nec tamē illis tribus Iobi accusatoribus subscriptis, immò grauissimè quoque illos in eo coarguit, quod nihil habentes quo Iobum accusationem ipsorum inficiantem refellerent, pergerent tamen cum habere pro coniuncto.

4. Quanuis autem grauiter illos audiendo fuisset commotus, nec Iobū tamen, quādiu sibi visum est loquentē, nec etiam illius accusatores, quod inter illos omnes esset minimus natu, ausus est interpellare.

5. Videlis itaque Elias non esse responsum in ore trium illorum virorum, excanduit ira ipsius.

6. Et incipiens loqui, Elias (inquam) filius Barachelis Buzita dixit, Parvus sum diebus, vos autem valde senes: ideo repressi me, & veritus sum sententiam meam vobis indicare.

7. Dicebam, dies loquentur, & annorum multitudo patefaciet sapientiam.

8. Profectò Spiritus est in hominibus, sed inspiratio Omnipotens facit ut sapiant.

9. Non sapient magni, nec senes intelligunt iudicium.

10. Ideo dixi, Audi me, indicabo etiam ego sententiam meam.

5. & 6. Animaduertens autem Elias Buzites, Barachelis filius, eò redactos à Iobo tres illos viros, vt non habent quod illi responderent, grauiter apud se propterea indignatus, in hostandem sermones erupit. Prodeo quidem ego iuuenis apud vos ætate valde prouectos, sed imposita mihi à vobis necessitate loquuturus, postquam diu multum-

multumque meipsum repressi. 7. Sperabam enim forte ut vos quidem hac etate dignos sermones proferte-  
tis, ego vero sapientiam quam senectus ipsa vos docuit-  
set, ex ore vestro exciperem. 8. Sed, ut res ipsa docet, in-  
est quidem hominibus vis illa ratiocinatrix, sed quae ni-  
si Dei afflatu dirigatur, vere sapere non possit. 9. Nec e-  
nim vel auctoritas ipsa sapientiam, vel senectus per se re-  
rum recte diiudicandarum facultatem suppeditat. 10.  
Itaque quum & ipse quid haec de re tota sentiam, profer-  
re cogar, velim ut me singuli diligenter & attentè au-  
diatis.

11. Ecce, expectauiverba vestra, auscultauit usque ad sensa ve-  
stra, tanti per dum inuestigaretis sermones (idest, perpendere-  
tis quid esset Iob oposito respondendum.)

12. Vos denique considerauit, & ecce non est Iob redargutor, qui  
sermonibus eius respondeat.

11. Obiici quidem certè mihi leuitas nequit ita vobis-  
cum agenti, ut qui nunquam vos loquentes interpellari:  
tum: immo non tantum quid diceretis, verum etiā quid  
dictum veleris attentissimè auscultarim, expectas dum  
vobis in mentem veniret quid esset solidè Iobi verbis  
opponendum.

12. Expensis autem omnibus quae sunt à vobis profe-  
cta, comporio nihil à vobis prolatum quo Iobus meritè  
possit conuidus videri.

13. Neque vero dicite, Inuenimus sapientiam. Deus propellit  
eum, non homo.

14. Nam (ille quidem) non instruxit aduersum me sermonē:  
(tamen) et si non vestris verbis, illi respondebo.

13. Nec est sanè quod contra statuatis inuenisse vos id  
quod res est, & quo vel uno planè conuincatur Iobus:  
quod videlicet, quum non humanitus hæc tanta & tam  
repentina calamitas, sed planè diuinitus sit ipsi inficta,  
Deo ipso iudice reus eorum scelerum peragatur, de qui-  
bus illum arguitis.

14. Nec enim illi defuerūt, ut audiuistis, quibus vestras  
istas accusationes abundè refelleret: cui tamen habeo  
quæ respondeam, sed ita ut minimè vestris vestigiis insi-  
stam.

15. Territi sunt; non responderunt ulterius; remouerunt à se sermones.
16. Nam expectavi, sed non loquuntur sed subsistunt; nec ulterius respondent.
17. Itaque proferam ego quoque partem meam: indicabo etiam ego sententiam meam.
18. Sum enim plenus sermonibus: urget me Spiritus ventris mei.
19. Ecce venter meus tanquam vinum non apertum, & tanquam utres noui rumpitur.
20. Loquar ergo & erit mihi dilatatio, aperiam labia mea & respondebo.
21. Amabo (verò) ne accipiam vultum cuiusquam (id est, absit ut in cuiusquam gratiam utar dissimulatione) & apud hominem utar cognomentis (id est, adulatoriis verbis.)
22. Nescio enim cognominare (id est, blandiri) (nam) statim crearet me factus mens.
15. 16. & 17. Sed & ex circumstantium corona nullus istud mihi rectè vitio verterit, quod, istis usque adeò perculsis utne hiscere quidem amplius audeant: & illis frustra tam diuturno ad respondendum concessi spatio, penitus obmutescant: ego quoque non nihil pro virili mea collaturus, quid hac de te mihi videatur exponam.
18. & 19. Tam multa verò hic mihi suppetunt dicenda, ut cōtinere me ne si maximè quidem velim, spiritus hic meus patiatur: totus videlicet haud secus turgens ac uter vini, vel etiam musti plenus, breui, nisi recludatur, disrūpendus.
20. Loquar igitur, ut respirare mihi liceat, & intus tam diu concepta tandem liberè profundam.
21. Nec verò quisquam offendatur, queso, si nulla cuiusquam habita ratione quæ veritati officiat, liberrimè loquar, neque in gratiam cuiusquam blandas illas præfationes adhibuero.
22. Nec enim artes istas asserandi noui: & si forsitan id facere studerem, parata esset aduersum me seu ra conditoris illius mei vltio.

S V M

SUMMA ET DISPOSITIO  
CAPITIS XXXIII.

**E**Liū diximus multa Iobi dicta sinistre interpretatum, & quamvis non immerito seuerius tamen reprehendisse, quod sic demonstro. Agendum considerentur que post prefationem, & eam quidem satis aculeatam, septē primis versibus comprehensam, hoc capite, exagitat vers. 9. & prioro parte versiculis decimi. Nusquam prorsus cōperietur sic loquutus Iobus: sed hac inde colligit Elias, quod non semel innocētiā suam apud ipsum Dei tribunal Iobus erat his etiam verbis professus. Si disposuero iudicium, ego iustificabor. Item, Loquar, & responde mihi: Quot sum mibi iniquitates & peccata? Prevaricationes meas indica mibi cap. 13. 18. 22. & 23. Sed ista sic fuisse à Iobo dicta, non ipsius Dei habita ratione, quasi sese apud illum esse à vīa p̄p̄t̄r̄ cogitaret, sed ut lanteactā vitam suam tanquā sceleratam amicis suis e aluminantibus responderet, satis liquet tum ex aliis locis plurimis, tum ex his ipsius verbis cap. 9. 2. Quomodo se iustificabit homo cum Deo? Si velit cum eo contendere non respondebit ei ad unum ex milie: & cap. 14. 4. Quis munditatem ex immundicie elicet? & mulio etiam appetitus cap. 9. 20. & 21. Si me iustificauerit, os meum condemnabit me. Perfectus ego? non nouerit in animam meam. Certum est igitur illa Iobi dicta ab Eliō aliter accipi quam mens ipsius Iobi ferret. Ad alteram autem vers. 10 partem, & vers. 11 quod attinet, toridem quidem illis verbis usus fuerat Iobus cap. 13 vers. 14-16. & 27 immoderata quadam vehemētia versus, sed hac certè à grauiſſimo incredibilis penè doloris sensu, non autem à superbia, ac multo minus ab impio quodam affectu profecta, consolatiōne potius, & ad constantiam exhortatione, quam obiurgatione tam aspera indigebat. Aliud enim est modum non satis tenere in tam iusta lamentatione, quam aduersus Deum ipsum arroganter contendere, quod posterius nunquam certè fuit Iobo propositum. Et istud ex vers. 12. Deus est maior homine, & ex vers. 13. Deus onusia verba sua non loquitur, quorsum in Iobum detorta, quoniam nemo grauius quam ipse Iobus de inscrutabilitate Dei plurimis in ipsius gestis sapientia subinde disseruerit. Sed & illa que sequuntur ad finem usque capitris de duplicitate ratione, una quidem & proposita autem, altera vero & dictione quas nos erudire Dominus consuevit, est recte & vere dicuntur, tamē & d'ev & p̄p̄c & iwo. Nam reuera Iobus, et si sub hac quoque ferula proficere ipsum oportuit, neutrā ob illam causam fuerat Satane velut in manus traditus, sed ut in eo sic probato Deus de hoste suo triumphans singularē nobis tum sua in confirmandis suis bonitatis, tum vere piorum constantie exemplum praberet. Elias igitur in summa, quamvis Iobo contra triū illorum criminaciones recte patrocinatus, & maiorem in Iobi sermonibus moderationem meritò requirens, tamen instas multas excusationes Iobō reliquit, minimè fortassis illas tandem suppressuro, nisi Deus Iobum, & ipse quidem, sed moderatissima & mereiq; reprehendens, totam controversiam tum verbis tum reip̄a definitisset. Cur autem

nihilominus neque Iobus ad hac tam copie sè dicta quicquam responderit,  
neque Deus tres alios graniter increpans, Elium vlo modo reprehende-  
rit, suo demum loco exponemus.

## C A P V T   X X X I I I .

1. Et verò, Iobe, audi quæso sermones meos, & omnia verba  
mea ausulta.
2. Ecce nunc aperiam os meum, loquar lingua mea in palato  
meo.
3. Rectitudo cordis mei(erunt) dicta mea, & sententiam labia  
mea puram loquentur.
4. Spiritus Dei fecit me, & halitus Omnipotentis viuiscauit  
me.
5. Si possis responde mihi, dispone (rationes tuas) coram me,  
consiste.
6. En ego iuxta os tuum (adsum) pro Deo: è luto sum forma-  
tus, etiam ego.
7. Ecce terror meus minimè te confernabit, & manus mea su-  
per te non erit grauis.
1. Neque verò habeo duntaxat, Iobe, quæ meritò in  
tuis accusatoribus reprehendam: sed mihi vel præcipue  
tecum est negotium. V elim igitur vt quæ sum dicturus  
æquis animis audias, & quam attentissimè auscultes.
2. Nec enim leuia quædam, sed præmeditata, sed quasi  
intelligentiæ meæ palato prægustata, sum prolatus.
3. Nullo denique motus præiudicio, sincerè & absque  
vlo fuco proferam animi mei sensa. 4. Sum autem ho-  
mo & ego à Deo conditus, & ea viuens anima qua homi-  
nes cæteri. 5. Neque te in hac calamitate positum ver-  
bis vel auctoritate obruere cogito: sed si quid habes quod  
excipias, liberum tibi esto quæcumque voles, & quo vo-  
les ordine securè disposita regerere. 6. & 7. Quoniam  
enim te quum ad Dei tribunal prouocares, audiui sollici-  
tè illum deprecari, & quidem meritò, ne te suæ Maiesta-  
tis illius splendore perterrefaceret, en habes quod tu po-  
stulasti. Adsum enim ipsius Dei vice & nomine, homo  
tui similis, ex luto efformatus: vt te conqueri non possis  
meum terribilem conspectum, aut insultum ullum meū  
ferre non posse.

8. Profecto dixisti in auribus meis, & vocē sermonum audiui.  
 9. Purus sum, & absque transgressione: sum mundus, nec est iniquitas mihi.  
 10. Ecce confractio[n]es aduersum me inueniunt, & habet me pro hoste.  
 11. Ponit in cippo pedes meos, obseruat omnes semitas meas.  
 12. Ecce in hoc non comperiris iustus, respondeo tibi. Nam maior est Deus homine.  
 13. Cur aduersus eum contendisti? omnia enim verba sua non effatur.  
 8. Hoc igitur non inficiaberis quod audiente me, & verborum tuorum sonitum probè percipiente, dixisti.  
 9. Audiui, inquam, quā diceres, sum purus & expers sceleris, sum mundus, nec est in me iniquitas. 10. Ecce tamen captat qua ratione me conterat, & me tanquam hostem persequitur. 11. Immo quasi vereretur ne sibi elaberer, arctissimis compedibus me constrictum tenet: & ita me quacunque incedo sollicitè obseruat, ut ubi cunque pedem posui, ipse quoque vestigium figat. 12. Hæc verò quā diceres, Iobe, aio, te iustum non deprehendi. Annon enim nosti quanta sit inter Deum & homines imparitas? 13. Cedò igitur quę hęc est cōfidentia: audere te, cum Deo contendere, cui potius æquo placidō que animo subiicere te totum debuisti? Nec enim ille omnium factorum suorum rationem reddit, vel reddere tenetur.  
 14. Sed semel loquiur Deus & secundo ei qui non videt ipsum.  
 15. In somnio (&c) visis nocturnis, quando inuadit sopor homines dum dormitant in cubilibus suis.  
 16. Tunc retegit Deus aurem hominum, & castigationem eorum obsignat.  
 17. Ut hominem auertat (ab) opere, & elationem à viro summoneat.  
 18. (Qui) prohibeat animam suam à sepulchro, & vitam suam ne incidat in gladium.  
 14. Nec tamen queri possunt homines quod ab ipso non præmoneantur, ut qui contra non uno modo sed multipliciter eos qui sese ab ipso auertunt, ad se intuendum reuocare consueuerit. 15. & 16. Interdum videli-

cet (quod tu Eliphaze initio tuorum sermonum commemorasti) per somnia & nocturnis visis, quum altissimo sopore correpti sunt homines, vellicans ipsorum aures, & imminentes ipsis castigationes animis eorum insculpens, ut præmonitos doceat quæ facere destinarent abiicere, & elatos vetet in male suscepis perseverare, sic tandem præsentem seu ex morbo, seu ex gladio interitum euasuros.

19. Redarguitur etiam dolore (quispiam) super cubili suo, & multitudo ossium eius, vehementer.

20. Et abominatur eius vita panem, & anima eius cibum desiderabilem.

21. Deficit caro eius à conspectu: & conteruntur ossa eius (&) non videntur.

22. Appropinquat fossa anima ipsius, & vita eius lethalibus malis.

19. & 20. Interdum verò quia his monitis quispiam non obtemperat, pergit tamen Deus eum veluti secundò compellare in lecto prostratum, & grauissimo quopiam cruciatu, sicut tu nunc experiris, ad intima usque ossa diuexatum, usque adeò ut deiecto prorsus appetitu cibum omnem respuant. 21. & 22. Quinetiam sic apparèt morbo emaciati omnes ipsorum artus, ut, ne exceptis quidem illorum ossibus, nulla in ipsis cōspiciatur hominis figura, & neque viuere, sed iam in foua iacere videantur: neq; remedii ullis, sed iis potius indigeant à quibus ipsorum cadauera efferantur.

23. Quod si apud eum adfuerit angelus (id est diuinitus missus quispiam) interpres unus ex mille, qui annuntiet ei reūtitudinem ipsius, (id est, quid facere ipsum pro officio oporteat.)

24. Tunc (Deus) miserebitur eius, & dicet, Redime illum, ne descendat infoueam, Inueni propitiationem.

25. Tenerescet eius caro pueritia, redibit ad dies adolescentiae sue.

26. Deprecatus (enim) fuerit Deum, qui placatus fuerit ei, & præbebit ei videndam faciem suam cum hilaritate, ac restituuet homini iustitiam suam.

27. (Ille verò) intuebitur in homines, & dicet, Peccavi, & reūtitum

etum peruersti, neque (id) profuit mihi.

28. Redemit animam meam ne transiret in fossam, & vita mea videt lucem.

23. Quod si tam misero illi adfuerit diuinitus vir Dei quispiam, sequester inter illū & Deum futurus, qualem vix vnum ex mille inuenias, à quo in rectam illam Dei viam reuocetur (tuum autem est Iobe expendere an non hoc beneficio te nunc dignetur Deus.) 24. Tunc quantumuis desperata illius hominis salus videretur, misertus eius Deus sequestrum illum iubebit ei renuntiare impretratam esse ipsi liberationem quominus in foueam defēdat, & quidē eo quod Deus ipse sit ei natus certo redēptionis pretio. 25. Mox autem ad hanc Dei vocē putrisilla ipsius caro, tenera & nitens apprebit, qualis est in pueris, ut credi possit in adolescentiā florem restitutus.

26. Ipse verò sicut Deum sibi reconciliatū fuerit deprecatus, ita hoc beneficium ab eo consequetur, ut eius vultum quem antea tātopere exhorrescebat, hilaris & exultans, recepta quam prius amiserat iustitia, intueatur. 27. Quinetiam sese ad reliquos homines conuertens, & publicè Deo gratias agens, ut beneficij memorem hominē decet, Ecce, inquiet, peccaueram, & rectam viam desertueram, vnde in tantas miserias merito incideram. 28. Ille verò me quominus in foueam detruderet liberauit, cuius etiam beneficio hanc nunc lucem aspicio.

29. Ecce omnia ista facit Deus bis & ter cum homine.

30. Ut auerterat animam eius à fouea, & ut illustretur in luce viuentium.

31. Attende, Iobe, audi me, tace & ego loquar.

32. Si sint sermones [id est, si habes quod dicas] responde mihi, loquere, nam cupio te iustificare.

33. Quod si non sunt, tu audi me: tace, & docebo te sapientiam.

29 & 30. Et ita quidem solet pro benignitate singulari sua, Deus, idque non semel sed reperitis vicibus sese cum hominibus gerere, ut præsenti exitio illos eximat, & ut huius vitæ luce fruentes quam felicissimè & quam diutissimè conspicui inter superstites versentur. 31. Hæc autem vide, Iobe, ut patientissimè audita quam attentissimè expendas: tace, inquam, tantisper dum loquar.

32. Vbi verò loqui desiero, si quid habes quod excipias, responde & intrepidè loquere. Nihil enim magis capio quām ut iustus cōpetiaris, nedū ut tuis aduersariis assentiat. 33. Sin minus, tacitus auditor esto: neque te huius silentij pigebit, quandoquidem ex me quid sit hac de re sapienter sentiendum intelliges.

## S U M M A E T D I S P O S I T I O

## C A P I T I S X X X I I I .

**P**ergit Elius lobum quanuis dissimili ratione, tamen acerbius penè quam illius amici accusare, quasi videlicet aduersus Deū ipsū insur rexisset. Et fatendum quidem est, lobum, quod & ipse à Deo reprehensus agnoscit, ab amicis iniquissimè cum ipso agentibus toties exagitatum, multa non tantum liberius, sed etiam iricosideratius, inter suos eiulatus, ut toto penè cap. 10. effudisse, & refellendis amicorum criminationibus ita fuisse intentum, ut non omni ex parte nec placide prorsus, in Dei voluntate ac quiesceret. Nunquam autem illis in mentem venisse ut vel sepe peccatis expertem diceret, vel Deum ut iniustum argueret, ex plurimis ipsius quam adfert defensionis locis perspicue apparet. Ceterum vitetur Elius primis tribus versibus prefatione summe grauitatis plena, & quidem odiosè quoddam lobī dictum usurpans ex cap. 12. II. & alterum vers. 4. ex cap. 9. 32. quasi omnes ad secum dammandum lobum euocans. Deinceps vero vers. 5. & 6. & 9. proponit accusationis sua capita, pauculis ad exagerandam accusationem interpositis vers. 7. & 8. que postea dicitur refellit usque ad vers. 31. de iustitia quidem Dei perpetua magnificè sed non sanè necessario differens, quum id non modo nunquam negasset, verum etiam apertissimè professus esset lobus, immo de illa auctoritate potentia Dei totidem penè verbis cap. 12. differuerisset, atque nunc Elius à vers. 13. ad 31. usque, cuius verba manifestè rursus peruerit lobus enim se iniustum pradicans, minimè repugnare voluit nisi quātū alibi, tum usque adeò expresse dixerat supra 9. 20. sed aduersarius in quibus sceleris viri hypocrita fuisse dicebatur, suam innocentiam opponit, id que verè ipso quoque Deo teste supra 1. 8. & 2. 2. sicut & Paulus i. Cor. 4. 4. Corinthis respiciens, Nul'ius rem mihi sum, inquit, conscius: addes postea quod ad Dei tribunal attinet, Non sum tamen per hoc iniustificatus. Illud verò, Remouit à me iudicium meum, quod totidem verbis dixerat lobus supra 27. 2. non ad Deum quasi iniuste agentem, sed ad illius in qua versabatur calamitatis magnitudinem refertur, ut querantia & talis esse ut in eam unam intuentes homines non possent non existimare nihil eiusmodi cadere in quenquam nisi sceleratissimum posse, sicut ex tota sermonis illius serie liquere facile potest. Nec illud, Sine transgressione, addiderat lobus supra 6. 4. que verba odiosè inculcat Elius vers. 6. Deniq; quodlibet Iobo exprobratur vers. 9. quasi dixisset. Non professe cuicunque si ambulanterit cum Deo, immerito quoque tribuitur Iobo, quod tamen sibi excedisse restatur.

testatur Propheta Psal. 73.13. Dixerat enim aliud Iobus, & quidem verisimile, cap. 9.22. aduersorum calumnias refellens, nemptum probos tuum improbos à Deo consumi, id est quantumvis huius vitæ miseriae & calamitatis tuum probis tuum improbis immittis, ac proinde ex huius vita statu prospero vel aduerso de probitate vel improbitate cuiuspiam ferendum non esse indicium: quod verissimum esse conuincebat ipsius Iobi exemplum, & quotidie ex eo cuicidetur, quod non alia sit Ecclesia vera in hac vita conditio. Elius denique vers. 31 & 32. sapientissime quidem & relictissime Iobum docet, ut Deo se subiucere discat, potius quam tantopere in predicatione sua integritate insistere, & apud ipsius Dei tribunal tam confidenter disceptare. Sed postea sermone nem suum non minus asperè quam illum erat exorsus, aduersus Iobum tanquam esset ab eo Deus ipse in ius vocatus, concludit.

## CAPUT XXXIIII.

1. Pergens præterea loqui Elius, dixit.
2. Audite sapientes verba mea, & intelligētes auscultate me.
3. Auris enim explorat sermones, & palatum gustat comedendo.

1. Pergens autem Elius & irasci & loqui, conuerso ad circumstantes sermone, 2. Vos, inquit, sapientes & intelligentes quotquot adestis, & loquentem Iobum mecum audiuitis, attente, quælo, me respondētem auscultate. 3. Aures enim non tantum ad audiendum verborum sonum, sed ad res ipsas quoque diiudicandas sunt nobis attributæ: nec palatum cibos tantum recipit, sed eorum etiam saporem inter comedendum degustat.

4. Iudicium eligamus nobis, & dispiciamus inter nos quidnam (sit) bonum.

Optauit Iobus sibi dari quibuscum iudicio certaret. Agedum accipiamus conditionem, & ex æquo & bono causa vltro disceptata, quidnam ius ipsum ferat dispiciamus.

5. Dixit certè Iobus, Instus sum, & Deus summouit iudicium meum?

6. Num super iure meo mentirer? grauissima est sagitta mea, absque transgressione.

5. Status autem controvetsiæ in iis positus est quæ dixit Iobus, se nimis iustum esse, & à Deo ius sibi suum erexit: 6. aperte & sine vlla dissimulatione se ius

suum asserturum; tam graui & intolerabili calamitate se tanquam sagitta immerente m transfigi.

7. Ecquis (est) vir sicut Iobus, ebiturus ludibriū sicut aquam?

8. Et initurus societatem cum operantibus scelus (id est cum flagitiofissimis quibus suis) & ambulatus cū hominib⁹ imp̄j⁹?

9. Dixit enim, Non proficit quispiam cui placet (incedere,) cum Deo.

7. Ecquem verò tandem Iobi similem esse comperie-  
mus, detestandū fese vlerò propinans, hominum ludibria  
haurire tam facile paratus quam si frigidā aquā biberet?

8. Atque adeò societatem cum sceleratissimis inire, &  
impiis fese adiungere paratus? 9. Quænam est enim,  
obsecro, hęc eius oratio, Nihil homini prodesse, si Deum  
ducem sequatur?

10. Ideo viri cordati, audite me. Absit à Deo fortis improbitas,  
& ab omnipotente iniquitas.

At vos minimè recordes, audite me contrarium affir-  
mantem. Absit enim à nobis, vt Deum illum verè poten-  
tem & in quo nihil desiderari queat, illis suis viribus ad  
iniustè vel improbè quidquam faciendum abuti existi-  
memus.

11. Nam opus hominis reddit ei, & iuxta semitam cuiusque  
fecit ut inueniat.

Nam è contrario, prout fese quisque gerit, sic cuique  
repentit: & eò reuocat hominum studia, vt quod quis-  
que sectatus fuerit, id demum tandem nanciscatur.

12. Denique profecto Deus ille fortis iniustè nibil agit, o-  
mnipotens, inquam, ille ius nunquam peruerit.

Et, vt paucis omnia complectar, hoc affirmo & vt cer-  
tissimum asseuero, vt in illum summè & sine exceptione  
potentem nulla cadit imbecillitas, sic fieri non posse vt  
quidquam agat iniustè, nedū vt innocētis iura peruerat.

13. Quis imperat ei in terra? & quis constituit orbē vniuersum?

Quis igitur es Iobe, qui toties sis ausus Deum quasi in  
ius vocare, & istorum quæ pateris rationem ab ipso ex-  
poscere? Num enim quempiam ipse in terris constituit,  
cuius consiliis vrataer, nedum imperio regatur? ac nō hic  
vnu s potius orbem hūc vniuersum, quo ipsi visum est  
ordine

ordine dispositus, & sic constructum suo vnius nutu gubernatur?

14. Si adiiceret ad eum (Deus) cor suum spiritum eius & hali-  
tum eius ad se colligeret.

15. Expiraret omnis caro simul & homo in terram reuertetur.

Immo, quantum hic fallaris animaduerte. Tantum e-  
nim abest ut melior sit hominum conditio futura, si face-  
ret Deus quod tu ab ipso flagitas: ut contraria penitus vel  
let illos introspicere, & prout affectos illos inueniret de  
ipsis statuere, mox illorum spiritu ad se datorem ipsius  
reuocato, statim expitare & in terram reuerti simul om-  
nes illos oportuerit.

16. Quod siqua (est tibi) intelligentia, audi hoc & ausculta  
vocem sermonum meorum.

17. Num verò qui ius odit dominatur? & num prorsus insti-  
tentem damnabis?

18. Quod si quid sanæ mentis habes, audi & attendo  
quæ ex me nūc audies. 17. Dic amabo, numis meretur  
domini appellationē, cui ius ipsū sit exosū, quo legitima  
potestas omnis continetur? & cuius fuerit improbitatis,  
atque adeò insaniæ, illum audere ullius iniustitiæ reum  
facere, qui solus sit summè iustus simul & potens?

18. Num regi dicere (fas fuerit) ô Nequam? & nobilibus, ô  
sceleratē?

19. (Et hoc fas erit ei dicere) qui non suscipit vultum prin-  
cipum & (apud quem) non agnoscitur potens prætenui, quod o-  
mnes sint opus maximum ipsius?

18. An hominem Regem fas fuerit nequam appellare, & iis à quorum beneficentia pendeant cæteri, scele-  
ratos illos vocando, conuictari? 19. Et istud scilicet fas  
erit ei tribuere, apud quem illa summa & seipsa sola ni-  
tens æterna Maiestas pati non potest ut, quod nimium  
est inter homines vñitatum, maior apud eum habeatur  
potentum & diuitum quam inopum ratio. Est enim il-  
le supra omnes inenarrabiliter eminens, non precario  
quodam vel aduertitio iure, sed quod nos omnes sine ex-  
ceptione agnoscere tenemur, vt qui id ipsum quod su-  
mus, ab ipso & per ipsum existamus.

20. Momento moriuntur, & medinoccio dimententur populi;

& abibunt: & potens auferunt, (idque) non manu.

21. Sunt enim eius oculi super vias cuiusque, & omnes eius gressus videt.

22. Non (sunt) tenebra, nec (est) umbram mortis (id est, vlla tam tenebricola caligo,) ut ibi lateant qui vacant sceleri.

23. Hinc illæ non minus repentinæ, sed multò latius patentes, quæ non in uno quopiam, nec in privata cuiuspiæ familia, sed in vniuerso terrarū orbe spectantur mirificæ rerum omnium conuersiones: in quibus videmus hos vel illos populos momento interire, & è suis sedibus translatos disparere: & potentissimos quoisque, nulla etiam humana vi, è medio sublatos intēire. 21. Neque verò ista temerè, vel nulla ratione eueniunt: sed quum neque alij alios, nec quisquam seipsum bene norit, Deus è contrario qua quisque via incedat intēis oculis obseruat, quasi singulis singulorum vestigiis insistens. 22. Et quanuis illi sedulò latebrarum genus omne captent, nullæ tamen sunt tenebræ, nulla ne mortis quidem ipsius caligo potest obstare, quominus omnes sceleratæ vitæ deditos dispiciat.

23. Nec enim ponit super virum ultra (id est cuiquam imponit onus grauius quam par sit) ut eat cum Deo in iudicium (id est, ut Deum possit in ius vocare.)

Nunquam enim cuiquam plures quam deceat plagas imponit, ut de Deo quasi iniuria affectus conqueri merito possit.

24. Cōterit potentes absque inquisitione, & statuit alios pro eis.

25. Propterea facit ut nota sint facta ipsorum, & conuertit nos, & atteruntur.

26. Pro sceleratis (id est, sicut scelerati merentur) collidit eos, in loco spectantium.

27. Quoniā sic recesserunt ab eo, nec ullas vias considerarunt.

28. Ut ad eum (nempe Deum) adducerent clamorem inopis, & ut clamorem afflictorum audiret.

24. Hinc nulla quoque præente, quæ quidem nota sit hominibus, cause cognitione, potentissimos quoisque cōterit, & alios ipsorū loco cōstituit. 25. Sed illis quibus eos afficit pœnis, apparētibus nocte sub qua delitescebā in diē conuersa: & iplis subitò attritis, satis quæ fuerit illo

rum

rum vita patefacit. 26. Elidit enim eos, ut potest suis scriberibus id commeritos, & quidem velut in publico orbis terrarum theatro propositos. 27. Ut qui tam turpiter ab ipso defecerint, nec ultra de re minus quam de cognoscendis ipsius mandatis laborant. 28. hoc tandem illis flagitiis suis assequuti, ut miserorum ab ipsis oppressorum clamores ad Deum usque, minime profecto vani futuri, peruerterent.

29. (Si) dat quietem, quis exagitabit? si vultum abscondit, quis videbit eum, siue super gentem, siue super hominem simul? (id est siue de tota aliqua gente, siue de uno quopiam agatur.)

30. Ne regnet quispiam hypocrita, & propter offendicula populi.

29. Est autem a Deo tranquillitas quam si cuiquam largiatur, quis eam perturbabit? Si autem vultum suum Deus auerterit, ecquis eum in uitum intuebitur? Neque hic quicquam interest de tota quapiam gente, an de uno duntaxat homine queratur. 30. Et ita quidem Dominus a gere consuevit, ne Reges regio nomine tam specioso ad tyrannidem abutentes diutius rebus potiantur, & miseri populi indignissimè irretiti in exitium tandem ruant.

31. Itaque ad Deum dici debet, Perfero, non disrumpam.

32. Prater (id quod) video, doce me: si quid iniustum feci, non addam.

33. Num ex te illud rependet? nam tu illum auersatus es. Tu quidem elegisti, at non ego (elegerim.) Quod autem nosti loquere-

34. Viri intelligentes assentientur mihi: & quisquis sapiens audiet me, (dicentem),

35. Iobus non loquitur scienter, & non sunt eius verba cum intelligentia.

31. Non fuit igitur cum Deo suscipienda contentio, sed illi potius ferienti verbis istis respondendum, Tu quidem me credis, ego vero ictus recipio: neque repugno,

quasi vincula quibus me constringis vi abruptarus. 32. Verum quum hic mihi non satisfaciant que de tuis iudi-

ciiis adhuc didici, doce me præterea quæ seire me operæ

pretermis. Quod si mihi propter delictum aliquod hæc

inflicta est calamitas, eanebo deinceps ne peccato pecca-

tum accumulem. 33. Num vero, quicquid istud sit &

vnde cunque sit factum ut in hanc miseriam incideres, & quum est ut sese Deus arbitrio tuo gerat? At tu, Iobe, insciari te non potes illius de te decreto minime acquieuisse. Tu inquam, diligere potius, atque adeo præscribere illum quomodo te tractare debuerit, quam ipsius decreto stare maluisti: quod quidem absit ut ego admittam, exemplum tuum sequutus. Quod si quid hic habes quod istis dictis meis opponas, agendum illud effare. 34 & 35. Sed futurum planè confido ut mihi Iobum tāquam minime intelligenter loquutum arguenti quisquis verè sapit assentiar. cup onv abon, singy rupin rios ob cui fl

36. Pater mi, probabitur Iobus usque in seculum propter responsiones (communes) cum hominibus improbis.

37. Nam addit peccato suo scelus, & inter nos plaudit, & verba sua aduersus Deum multiplicat.

36. Neq; tu verò existimato, Iobe, hæc à me dici, vel tui odio, vel ut miseriā tā misero adiiciam, quū te potius vel ut iuuenis habeā patris loco. Sed hoc, pater mi, Iobe, pro certo habeto, tantum abesse ut istis responsis, que non tibi profecto sed hominibus minime probis concue- niunt, aliquod à Deo solatium obtineas, ut contrā non sit te desiturus magis ac magis examini suo subiicere, ut & te & illum melius nosse discas. 37. Nā tu quidem ita pergens ut ccepisti, non simpliciter officio tuo defuisse, sed etiam plus satis loquutus quæ in Dei infamiam redundant, magni sceleris reus reprehenderis.

### S Y M M A E T D I S P O S I T I O

C A P I T I S X X X V . pel nov. m. 77

**A**nte reprehenderat Iobum Elius, quod de Deo vissu fuisset ut in*versi 2. & 3.* nempe quod negans sibi magis profuisse vita integratam, quam si scelerate vixisset, id etiam ex eo probare conatus quod sepe miseri quatumuis indignè oppresi, & ad Deum refugientes non exaudirentur. *versus 9.22. & 10.15. & 30.20.* videtur plane sese ut iniuste afflictum, Deo iniuste afflenti, neque miserorum clamores exaudienti iustiorē constituere. Etsi verò fatendum est Iobo, ut homini non tantum grauissime afflito, verū etiam ut a suis accusatoribus oleum camino suffundentibus indignissime exagitato, non pauca inter lamentandum, & dum amicorum calunias refelleret, excidiisse reprehensione digna: nunquam tamen hoc illi in-

*men-*

mentem venerat ut Deum argueret iniustitia, nedum ut sese iustiorum co  
predicaret: quo duplex horrenda blasphemia si fuisset ab eo extorta, Saïa  
certe, non autem Iobus, in hoc certamine victoriam obtinuisse. Immo ne hoc  
quidem potuit ex illis Iobi, quanvis immoderata profusis verbis colligi, si  
quis non tò p̄ntò praeceps sp̄ctet sed loquentis sensum & diabolus candidè  
expendat: quem Iobus neque de iis que post mortem eueniunt, sed de huic  
tantum vita statu prospéro vel aduerso differuerit, ex quo recte negat de  
odio vel amore Dei sine de cuiusquam integritate vel improbitate iudi-  
candum: neque de sua iniustitia aduersus Deum, sed apud Deum aduersus  
calumnias intentatas contenderit. Elias igitur asperius quam oportuit Io-  
bum redarguit, immo ne satis quidem apie refellit quo perperam ex ipsis  
dictis colligit. Ponamus enim Iobum conquestum esse de Deo ut iniusto: si-  
ue derixit, quod probos & improbos nullo discrimine cedat, siue exod. 34. 7.  
vñ, quod nihil sibi profuisset vita anteacta integritas: an satis apie res-  
pondit Elias, quoniam diceret Deum non esse qua cumlibet p̄is ac probis,  
quasi accepto ab eis hec neficio debitorem? Minime profectò. Manet enim  
nihilominus illud inconcussum principium, consentaneum esse Dei natura  
ut bonis quidem delectetur & beneficiat, malos autem oderit & penit  
afficiat, quia nūs nec ab illis beneficium, nec ab istis damnum recipiat: ex  
quo principio male intellexisse orta fuerat illa inter Iobum & eius cri-  
natores concertatio. Elias igitur vers. 6 & 7. vel apposite non respondet,  
vel μεταλλάω τὸ γένος aliud in Iobo redarguit, nempe quod sui nullam  
habitam fuisse rationem non aliter conqueretur, quam si Deum sibi ali-  
quo beneficio ad referendam gratiam obstrinxisset, quale est hodie insanum  
illud Sophistarum de merito ex congruo & condigno dogma. Quod denique  
postea vers. 9. 10. 11. 12. 13. respondens ad illam Iobi querelam, quod  
Deus miseris ad se clamantes non exaudiere, causam omnem eius rei in  
clamantium preces ut irreligiosè conceperas reiicit, nodum illum non peni-  
tius expedit. Ex innumeris enim tum veteribus tum quotidie penè occur-  
rentibus exemplis constat priora netiam ad verum Deum sese conuerten-  
tium preces non semper exaudiens vel quod nesciā: quid petat ut Matth. 20. 22. & Luc. 9. 55. vel quod illicer D: us apud se d. creuerit, ut Ezech. 14. 14. vel quod non expediatur vñz. Cor. 12. 9. Sequitur deinde duplex  
conclusio, sapiens quidem una & recta vñz. 14. altera vero vers. 15. &  
16. equo sane rigidior, nec etiam vñz illo Dei consentanea, ut qui Iobum  
non eius castigandi quantumvis vñz dñe flet quod in eo ut & in optimis  
quibusque, si libuisset, aeterno tristitia merito puniret) sed excendente  
tantum & probandi causa, scilicet à Satanâ tractari permisit.

## CAPVT XXX V.

1. Præterea respondens Elias, dixit.
2. Num hoc habes pro iudicio, (id est pro iuste dicto) Iusti-  
tia mea est pra Deo (id est maior iustitia Dei?)
3. Num dixisti (id est, quæsiuisti) quid (illa) profittibi, (d  
E. E. j.

cens) *Quid vilitatis capio (ex ea) magis quam ex peccato meo?*

1. & 2. Adiecit autem etiam ista Elius. Ut omittam cætera, num te in eo recte fecisse tueberis quum ea diceres quibus concessis sequeretur te quidem iustum esse, Deum autem iniustum? 3. Quum videlicet tuam istam quam tantopere prædicas iustitiam nihil tibi conferre verbis istis conquereris, *Quâ nam in re potior est mea conditio quam si sceleratè vixisssem?*

4. *Ego respondebo tibi sermones, & sodalibus tuis tecum.*

Mihi vero non desunt quibus & te sic loquutum, & tuos amicos à quibus nihil ad ista tibi accommodatè responsum fuit, meritò refellam.

5. *Aspice cælum & intuere nubes, quanto (sint) altiores te.*

6. *Si peccasti, quid facies aduersus eum? & si multiplicata fuerunt scelera tua, quid illi facies?*

7. *Si iustus es, quid dedisti ei, & quid de manu tua accepit?*

8. *Viro sicut tu (qui vir est vt tu) improbitas tua: (nocuerit) & filio hominis (id est homini) tua iustitia (profuerit.)*

5. Vnde vero ista cum Deo de accepto & expenso disceprandi audacia? Intuere, quæso, cœlos quanto sint quam tu sublimiores, vt quantum ille à te distet noris qui cœlis est ipsis omnibus infinitè sublimior. 6. Siue peccaris, nihil egeris vnde accedat ei vllum detrimentum: & vt peccata peccatis cumules, nihil inde ipsi decresserit. 7. Siue iuste vixeris, nihil ei dederis, nec vllū ipse à te beneficium acceperit, quo tibi sit obstrictus. 8. Non enim ipsi Deo, sed ei qui vir est sicut tu vir es, tua no cuerit improbitas: & contrà homini profuerit alterius hominis integritas.

9. *Præ magnitudine (oppressionis) potentiores faciunt ut oppressi clament, & vociferentur propter brachium (id est violētiā) potentum.*

10. *Sed nullus dicit, ubi est Deus conditor mens qui dat cantica noctu.*

11. *Qui nos docet præ bestiis terræ, (&c) præ anibus cœlorum nos reddit intelligentes.*

9. Iam vero quod attinet ad alteram tuam querelam, vnde rursum consequeretur à Deo fieri probis iniuriam, quod ne clamantes quidem illos exaudiat à potentioribus

ribus oppressos, nedum vt illos vltrò tutetur: fateor quidem quām plurimos tot tantisque iniuriis ab iis illatis opprimi qui opibus suis abutuntur, vt ad clamores, immo vociferationes adigantur. 10. Sed qui non exaudiūtur, non Deum sed seipso accusent oportet, in quorum numero vide ne tu quoque meritò censearis. Nam clamant quidem strenue, sed doloris magnitudine pressi, non autem vt Dei reuerentia tacti: neque quod conditori suo placide sese subiiciant: qui tamen unus suis ad ipsum religiosè & piè refugientibus, exultationis argumentum in densissimis etiam calamitatum tenebris expeditat: 11. neque nos ea duntaxat natura præditos condidit, quæ nos sensu rerum noxiarum affici & commoueri doceat vt bestias in terris versantes, & aues in aere volitantes: sed tum intelligentia præterea ornatos, qua Deum ipsum agnitus reuereamur, tum ratione instructos, per quam rerum causas & perspicere & prospicere, ac etiam cognita remedia recte usurpare, possimus.

12. *Tunc clamant, sed non exaudit (clamantes) ob superbiam improborum.*

13. *Certe falsitatem non audit Deus, nec Omnipotens respiciet illud, (id est, non fauebit illi.)*

12. Hæc igitur causa est cur illi sceleratorum iniuriis oppressi, quantumlibet, at neque apud quem, neque ita vt decuit, vociferantes non exaudiantur. 13. Sed licet isti syncerè non clamantes idcirco non exaudiantur: nunquam tamen comperietur Deus vel istos oppressores vel ipsas oppressiones approbasse, quod exitus tandem ostendit.

14. *Etiamsi dicas (quod) ipsum non videoas, (tamen) ius est apud eum. Spera igitur in eo.*

Sed, inquis, ego ipsum non video. Esto. Nec enim ille humanis oculis est cōspicuus, nec illa quæ sceleratis suo tempore demum euentura præparauit, statim animaduertuntur. Illud tamen negari non potest, ius omne penes Deum esse, à quo nusquam recedat. Quid obstat igitur quominus, abiectis istis contentiosis ciuatibus desperationis plenis, potius de Deo quām optimè spares, si qui dem penes te ius est aduersus istorum tibi obiectas cri-

minationes?

15. Nunc autem scito quod paululum te visitavit ira ipsius, neq;  
inquisuit multum admodum.

16. Iobus autem temerè aperit os suum, & verba multiplicat  
absque intelligentia.

15. Omissis autē tot altercationibus, scito perexiguū es-  
se quō te Deus iratus plectit, prē eo quod iure tibi infli-  
gere potuit, nisi leuiter in te inquirere maluisset. 16. Vn-  
de satis liquet, Iobe, multa fuisse ab te imprudēter effu-  
sa, & quō pluribus verbis usus es, eō te longius ab intel-  
ligentis hominis officio discessisse.

### S U M M A E T D I S P O S I T I O C A P I T I S   X X X V I .

**E**lius pergens, adhibita rursus graui prefatione, tribus primis ver-  
bus assertit Dei iustitiam, primum in integra vita hominibus partim  
tutandis & ornandis aduersus sceleratorum iniurias, vers. 5. 6. 7. partim  
siquando aberrarint, adhibita moderata castigatione in viam, nisi per i-  
psos steterit, reuocandis: deinde in sceleratis perdendis, qui ne verberibus  
quidem emendari se patiuntur, usque ad vers. 15. desinente. Ethac  
quidem in verē ac grauiter dicuntur, sed quibus sane minime in dignis et Iob-  
bus, nisi interdum estu doloris extra se ita fuisset abrepens: ut qui non mi-  
nus magnificē ac etiam copiosius eadem illa paſsim, cum in primis cap. 27.  
explicarit. Equis enim nisi manifestē Epicuraus, illud vitrumque non fa-  
tebiur? Non igitur hac de re propriè quæsumus fuerat, sed An omnis ac  
præserit tanta, & tam repente inficta calamitas semper ab irato Deo  
proficiatur, vel pios alioquin humanius peccates sic ad paenitentiā ad-  
ducente, vel sceleratos perdente. Hoc autē Elius quoque affirmat. Jobū &  
ipse inter sceleratos, atque adeò inter blasphemos quibus iratus esset Deus,  
recensens. Sed in eo discrepat ab illis Iobi accusatoribus, quod illi qui-  
dem Deū sic falso existimabant Iobo infensum ob antealtam vitā: Elius  
autē ob ipsius responsa quasi manifestē blasphemā v. 16, 17, 18. & 19. que  
tanē Iobi dicta iam ante a ostendimus alio sensu fuisse interpretanda vel  
saltem emolliēd: quod & Deus ipse postea pro illa sua moderatisima ex-  
equitate verē occurrit dñs μνχρv, praefit: Iobo fortassis alioqui ad huius  
obiurgationē nulū magis quam ante irritationē furor, ac tandem in hoc  
ipsius precipitiū in ruituro, unde tamen illum eruere Elius etiam ipse stu-  
debat. Itaque fateri nos oportet. Sata: iam nullos, ne Elio quide n excepto,  
habuisse Iobo ad desperationem & blasphemiam apertā trahendo aplo-  
ressorum conatum ministros, quam eos ipsos quibus id minime fuit  
propositum, que est nostri illius hostis versutia. Quæ verē subiicit Elius, o-  
stendunt quam admirabilis ratione Deus suis prospicere consuerit, aspe-

riore illa obisurgatione quæ Iobum ut est verisimile maximè exasperasset, sic dum à vers. 20 ad extremum usque caput 37. temperata & ad illas immoderatas Iob: querelas arguendas, quæ tot inconsideratè dicta ab ipso extorserant, aptè prorsus accommodata, ut iam tum non potuerit Iobus nō agnoscere se longius quam oportet in iis scrutandis progressum, in quibus ipsum, ut initio facere cœperat acquiescere avèrètās & potius oportuit, quam ea scrutari diuina semper in ista sapientia arcana, quæ ipsem totò cap. 28 fassus erat omnium captiuum superare. Ceterū hoc ausim affirma-re, in tota Grecorum & Latinorum poësi nihil extare quod cum hac gran-diloquentia, in describendis aëreis illis impressionibus, posset comparari.

## CAPVT XXXVI.

1. Perrexit autem Elius, & dixit.
2. Expecta me paululum, & ostendam tibi quod præterea (sunt) pro Deo sermones.
3. Assumam (autem) scientiam meam è longinquō, & factō ri meo tr. buam iustitiam.
4. Nam certè non (sunt) falsitas sermones mei: habes sincerè af-fectum apud te.
1. & 2. Ad hæc autem, quum sese ad respondendum comparare Iobus videretur, Elius nihilominus pergens, Adhuc, inquit, pauxillum sustine. Supersunt enim præ-terea quæ pro vindicanda Dei iustitia differam. 3. Su-mam autem argumentum à rebus remotis & altius peti-tis, ex quibus conditoris illius nostri iustitiæ laus debita tribuatur. 4. Et hoc tibi persuasum esse velim me non-nisi certissima prolaturum: & eum hic tibi adesse, qui nec temerè sentiat quod sentit, nec simulatè sed sincerè tibi suæ mentis sensa sit explicaturus.
5. Ecce, Deus (est) potens, nec tamen auersatur (homines) po-tens & validus animo.
6. Non dat vitam sceleratis, (sed) ius reddit afflictis.
7. Non subtrahit à iustis oculos suos, sed (sunt) cum regibus in solio, ubi collocat eos in perpetuum, & attolluntur.
5. Ecce, Iobe, in summa sic habeto. Deus est quidem ve-re, & summè potens, sed non minus comis ac benignus quam & validus & magnanimus, ut qui homines minimè despiciat. 6. Idem iustissimus sceleratis minimè in dulgens, ius tuum afflictis tribuit. 7. Intentis oculis iu-

stos obseruat, atque adeò cum regibus in solium euectos, nec inde temerè deiiciendos illos collocat.

8. *Quòd si vincti fuerint compedibus, & capti funibus (allicuius) calamitatis.*

9. *Tunc annuntiat illis ipsorum facta, & quòd transgressiones eorum inualuerint.*

10. *Et retegit aurem eorum ad correctionem, & dicit (eis) ut redeant ab improbitate.*

11. *Si audierint, & obsecuti fuerint, absoluunt dies suos in bono (id est prosperè agentes) & annos suos in suauitate.*

12. *Quòd si non audierint, transibunt in gladium, & morientur sine cognitione.*

8. *Quòd si probos illos, vt potest homines, ac proinde extra recti viam aberrantes, calamitatis quoque comedes excepérint, quibus irretiti teneantur.* 9. *Tantū absunt tamen ab eo vt propterea Deus illos abieciisse videbiti possit, vt contra tunc demum illis oculos mentis appetiat, vt quid patrarint etiam atque etiam expendant, & doceantur quād longē sint aberrando progressi.* 10. *Tunc, inquam, eis aurem vellicat, vt vitam emendent, & à sceleribus auersi pedē referant.* 11. *Qui si Dei monitis sese obsequentes præbeant, reliquam vitā exigunt beneficiis cumulati, & hilares annorum suorum curriculum conficiunt.* 12. *Sin minus, traduntur gladio trucidandi, & quoniam Deum loquentem agnoscere recusant, idcirco miserè intereunt.*

13. *Impuri corde accumulant iram, neque clamant (ad Deum) quum eos constringit.*

14. *Interibit inter pueros anima eorum, vita (inquam) eorum inter cynados.*

15. *Eruit (autem) in opem in inopia sua, & retegit aurem eorum in angustia.*

13. *Ad eos autem quod attinet qui non humana imbecillitate peccant, sed quos mala mens & malus cordis ipsius animus ad quodvis scelus impellit: quantò magis illi sese contaminant: tantò grauiorem iram numinis sibi accersunt: vt quibus ne hoc quidem detur vt in angustiis ad Deum clamantes refugiant.* 14. *Itaque Deo execrabilis moriuntur inter impurissimos illos iuuenes habiti,*

biti, quorum impura pueritia fœdissimæ illi libidini patuit. 15. Deus autem è contrario inopes in ipsa illorum inopia liberat, vt pote quos in angustia versantes, quasi aure prehensos compelleat.

16. Et certè summonisset te ex ore angustia (in) latitudinem, sub qua non est angustia, & requies mensæ tuæ (id est quæ collocantur & apponuntur mensæ tuæ) plena (effet) pinguedine (id est lautitiae.)

17. (Tu) verò iudicio sceleratorum redundas, & (idcirco) ius & iudicium tenent.

18. Certè ira (est: caue) ne auferat te iætibus: nec magnitudo pretij redemptionis faciet ut tu declines (id est euadas.)

19. Num (enim) æstimabit opes tuas? non aurum, neque omne robur potentia.

16. Neque verò dubium est, Iobe, si hanc viam instisses, Deum iam pridem fuisse te ex istius angustiæ fauci bus in æquam planitiem educturum: & tibi in integrum restituto, vitam omni honesta voluptate refertam concessurum. 17. At tu contrariū iter ingressus, ita te gessisti cum Deo disceptans, ut te plus satis reum peregeris eius iudicij quod Deus aduersus sceleratos exercet. Et hinc fieri vides ut quod ipso iure in te statuit, perstet & maneat immotum. 18. Certè ira Dei in hoc tuo casu se manifestè prodit. Caue ne te contumacè iætibus ingeminatis obterat neq; verò tibi spē vllam euadédi faciat vllum quantumuis ingens redemptionis pretium. 19. Num enim vlos opum tuarum aceruos vel tantillum estimauerit? Immo nullus hic auro ne lectissimo quidè locus, nec robur quantumuis validum iram illius remorabitur.

20. Nec anheles nocte de eo quod exciduntur populi è loco suo.

Audiui te, Iobe, magnificè de illa Dei imperuestigabili sapientia in totius mundi: ac præsertim rerum humanarum administratione differentem: Quum autem ita seres habeat, cur in ea simpliciter & placide non acquieuisti, potius quam sic vicem tuam lamentareris, & noctis etiam quietem ipse tibi inuideres, dum causam istius tam repentinæ tui casus tam sollicitè inquiris? Nam integros etiam populos Deus, quoties ipsi liber, exscindit, ut ubi

paulò antè florebant, nusquam apparent.

21. *Vide ne te conuertas ad vanitatem: nam hoc delegisti præ afflictione.*

Vide, inquam, ne te vltro in istam vanissimā curam & anxietatem des præcipitem: cui dedere te, sinistro sanè iudicio, maluisti, quām in tua calamitate æ quo animo perferenda, perseverare.

22. *Ecce Deus supereminet robore suo: ecquis est illi similis dotor?*

Nam ecce, Deus robore suo cuncta longè latèque exuperat: scientia verò quis est cum ipso conferendus?

23. *Quis mandauit ei viam suam? & quis ei dixerit, fecisti (quidpiam) iniquum?*

A quónam, quælo, mandatum accepit hoc vel illud agendi? & quis illum tandem ullius non rectè facti arguit?

24. *Memento ut magnifices ipsius facta quæ contemplantur homines.*

25. *Et quæ omnes homines vident, homines (inquam) cernunt eminus.*

24. Potiùs quām igitur in illis inquirendis arcanis te ipsum frustra distorqueas, exerce te potiùs in iis maxima laude euehendis Dei operibus quæ sunt hominum oculis conspicua. 25. Vtpote quæ in quorumuis oculos incurvant, & longè quoque dissitis hominibus pa- teant.

26. *Ecce Deus magnus (est) nec cognoscimus eum: numerus annorum eius, nec peruestigatio est ei.*

Perspectis autem & pro nostro modulo expensis omnibus ipsius dictis & factis, ecce, in summa fateantur omnes oportet potentem illum tam esse ingentem, vt cognitionem omnem nostram effugiat: & quum sit æternus, nullam numeri annorum ipsius supputationem in ipsum cadere.

27. *Rarefacit enim stillas aquarum, quæ pluuiam eluant secundum nubem eius.*

28. *Quam stillant nubes, & demittunt super homines affluenter.*

27. Is enim est, vt à quotidianis illis incipiam, qui mi-

minutatim secat guttas aquarū, vnde pluuias sic eliqua-  
ta, pro vaporis vnde conflatur proportione in terras ef-  
funditur.

28. Nubibus videlicet illam guttam & simul abun-  
danter in homines stillantibus.

29. Insuper an (quispiam) cognoscet expansiones nubium: &  
eius tentorij sonitus?

30. Ecce expandit super illas (nubes) fulgorem suum, & ope-  
rit radices maris.

31. Nam per hac (tum) pœnas sumit de populis, tum dat escam  
copiose.

32. In utraque vola occultat lucem, & præcipit ei super occur-  
rente.

33. Indicat hoc tumultus eius: emulatio (&) ira aduersus ascen-  
denter.

29. Ecquis præterea intelligentia comprehendit ful-  
gura huc illuc ex nubibus vibrata: & sonora illa ex ipsius

tentorio prodeuntia tonitrua? 30. Nam, ecce, fulgore  
quidem suo nubes sursum irradiat, oras autē maris deor-  
sum earundē caligine cooperit. 31. Et hæc sunt per que  
populos, alios quidem iustis pœnis afficit, alios verò, co-  
piose subministratis quibus alantur fructibus, fouet. 32.

Tenet autem utraque vola tanquam habenas, quibus  
coruscās illud fulgur regit, & illi præcipit ubi & quinam  
occidentis alterius hubis impetum sit excepturum. 33.

Eius autem rei nūtius mox auditur ingens ille fragor, ex-  
orta superioris nubis aduersus alteram ascendentem &  
irrumperè conantem emulacione & ira.

## SUMMA ET DISPOSITIO

## CAPITIS XXXVII.

**P**ars prior huius capititis usque ad vers. 14. coheret prorsus cum superio-  
ris capititis fine. Deinceps verò Elias paulatim ad sapientiānam con-  
clusionem accedit, Iobum èo adducens ut diuina illius Miseritatis consti-  
tuum, quod in physicis illis effectis quantumlibet quotidiani omniem hu-  
manum captiu superat, in hoc etiam suo casu contemplari, & quanvis si-  
bi incomptius proximus eius causis, reverenter adorare quān in eo frustra  
scrutando laborare & seipsum discruciare malit: quem sermonem postea  
Deus ipso sequentibus quatuor capitibus verè, diuinissime & copiosissi-  
mè persequitur.

## C A P U T   X X X V I I .

1. Itaque ad hoc expanesit cor meum, & subsilit è loco suo.
2. Audite audiendo commotionem vocis eius, & fremitum qui ex eius ore egreditur.
3. Sub toto cælo dirigit illum, & fulgor eius[ est] super extre-  
materre.

4. Post hunc rugit vox, & tonat voce elationis sua, neque dif-  
fert ista quum auditur vox eius.

1. Ego quidem certè ne animo quidem ista concipere possim, quin cor mihi palpitet, quasi ex sede sua paratū subsilire. 2. Et vos ipsoſ eius rei testes cito, qui terribi-  
lem illum Dei tonantis sonitum, & tam latè reboantem  
quasi ex ipſius ore mugitū illum attentè auditis. 3. & 4.  
Mugitum, inquam, illum toto cælo prout huc vel illuc  
dirigitur latè resonantem: & fulgur ad extremas terrarū  
oras usque coruscans, quo drugiens illa vox cōsequitur:  
illo videlicet tonitru ſonitum edente, summæ ipſius po-  
tentia ſtem, & fulguris initium ē vestigio, ſequentem.

5. Tonat ſua voce Deus admirabiliter facit magna, & nescimus  
ea.

Est igitur vox illa Dei prorsus admirabilis: sed idem  
alia facit nihil minor: immò tanta ut captum omnem  
intelligentiæ noſtræ ſuperent.

6. Dicit enim niui. Esto in terra: & imbr̄ pluuiæ, & imbr̄ plu-  
uiarum potentia ipſius.

7. Manu cuiusvis hominis obſignat (id est, facit ut omnes  
ſtudioſe ſe domi occlusis foribus contineant) ut agnoscant  
omnes operarios ſuos.

8. Et ingrediantur feræ latibula, & in lustris ſuis manent.

6. Is enim est eius audito ſemel mandato nix obſe-  
quuta terras obtegit, itidēmque pluuiā, tum illa leniter  
ſtillans, tum altera ſummo cum impetu nimbos effun-  
dens. 7. Ad quam tempeſtatem agricolæ quidem do-  
mum refugientes, occlusis ſollicitè foribus, operarios  
omnes ſuos per otium recenſent. 8. Feræ autem ipſæ  
latibula ſua petentes in ſuis lustris permanent.

9. Ex penetrali (ideſt, ab Austro) prodiſt turbo, & à Maze-  
rim (venii) frigus.

10. *Ex flatu Dei* (id est suo, siue qui ab eo excitatur & regitur) *dat glaciem, & amplitudo aquarum* (est) *in arcto.*

9. *Eodem iubente modò ab Austro nubes cogente tempestas oritur, modò ab Aquilone nubes dispergente, prodit frigus.* 10. *Eiusdem nutu excitatis flatibus aduenit gelu: & aquæ, quantumlibet latè sese priùs effundentes, in arctum constringuntur.*

11. *Quinetiam irrigatione nubes fatigat, & dispergit nubes lucis suæ.*

12. *Et ipsæ per circuitus* (id est in gyrum) *conuertuntur artificio ipsius, ut faciant quicquid ipsiis mādarit in superficie terræ.*

13. *Sive ad virgam, sive ob terram suam, sive ad beneficentiam faciat ut inueniatur.*

11. *Quinetiam idem ille modò nubes pluia grauidas eousque defatigat, ut eas irrigationibus exhauiat: modò è contrario nubes illas suas fulgurantes, & tempestatum plena dispergit.* 12. *Ipsæ verò nubes non temerè & incerto aëris motu, sed, quasi machinis quibusdam Omnipotentis illius Dei, certis momentis, circumducentæ, id de mun agunt quod illis ipse in superficie terræ peragendū præscripsit.* 13. *Sive nonnullos iustis pœnis sic afficere constituit: sive terras foecundare quibus benignus fauet: sive suis beneficiandi causa, comparere illas imperarit.*

14. *Ausculta istud, Iobe, sta, & perpède admirabilia potētis illius.*

Enimuero, mi Iobe, mente à cæteris illis quæ te transuersum egerunt auersa, attende istis quæ ex me audis: neque te ipsum sic exagitato, sed animo placido mecum admiranda illa Dei Omnipotentis opera perpende: ex quibus intelliges qualem te præstare in hac quantumuis ingenti calamitate debeas.

15. *Num tu nosti disponere locum illis, & facere ut splendescat lux nubis ipsius?*

16. *Nosti ne libramenta nubium, miracula perfecti scientiis?*

17. *Et quomodo caleant vestes tuæ, quum tranquillam reddit terram à meridie?*

18. *Tu-ne expandisti cum eo athera, (&c) firmum illud simile speculo fusili?*

19. *Hæc tua calamitas in cuius causas tam sollicitè & tantis cum querelis inuestigas, est instat caliginosæ nu-*

bis quæ serenitatem tibi splendentem exceptit. Cedò ye-  
rò cur h̄ic in v̄sum tuum non conuertis quod oculis  
tuis quotidie intueris? Num enim tu is es qui noris quæ  
quibus locis, & qua serie disponendæ sint nubes, & sere-  
nità mandare, vt, depulsis quas Deus cōstituit nubib⁹,  
splendeat? 16. Nostī ne quo libramento suspendenda  
sint nubes? & num mente possis comprehendere quæ o-  
mniscius ille Deus illic edit miracula? 17. Atque adeò,  
vt ad te ipsum proximè accedam, satís-ne tibi perspecta  
est ista tam repentina vicissitudo, qua sit vt, Austro desi-  
nēte tempestates in terris cière, succedat v̄que adeò fer-  
uens serenitas, vt vestium calorem non feras? 18. Tū-  
ne denique Deo adfuiſti cœlestē illam plagam, tam fir-  
mam, & instar speculi fuljis radiantem expandentis?  
19. Indica nobis quid ei dicturi simus: nō disponemus sermones  
propter te, ebras.

20. Nonne narrabitur ei si loquar: si loquutus fuerit quispiam,  
fanè absorbebitur.

19. Quod si nihilominus putas illum posse de his re-  
bus compellari: agedum doce nos quibus apud illum si-  
mus verbis vſiri, nequid h̄ic temerè conemur. Nā quod  
ad nos attinet, ne in occulto quidem & quasi in tenebris  
delitescentes, nedum corām & apud eius tribunal, insti-  
tuere talem aliquam orationem ausimus. 20. Quid e-  
nim clanculū effatiuero quod non ei innotescat? &  
quānam cum eo disceptabit, qui non absorbeatur?

21. Nunc quoque non videtur lux illa splendida que est in  
æthere sed ventus transit & repurgat illum.

22. Ab Aquilone veniet aurū: in Deo formidabilis est fulgor.

21. Ita nunc quoque sese habent restiæ, Iobe. Nusquam  
enim tibi nunc cœlum collucet, vndique potiùs densissi-  
mis tenebris obsitum: sed non deest ventus, cuius ad-  
uentāte flatu disiectis nimbis nitidum & sudū appareat.

22. Lux, inquā, tibi à sudifice Borea, quōvis auro splen-  
didior orietur. Sed hoc memineris, non perscrutandum,  
sed cum tremore reuerendum esse Dei fulgorem, in o-  
mnibus ipsius operibus coruscantem.

23. Omnipotens! non assequimur eum: magnus est potentia, &  
iudicio & copia iustitiae: nec ullum opprimit.

24. Ideo quæ

24. Ideoque timendus est hominibus: (sed) non videt omnes  
corde sapientes.

Et ut paucis omnia concludam, Deus ille Omnipotens captum omnem nostrum superat, non minus aequitate, & omnibus numeris perfecta iustitia quam potentia summus, qua nunquam ad quenquam ad vi opprimendum abutatur: cui propterea debetur ab hominibus reverentia. Sed is certe non inuenit sapientes quoscumque intuetur.

S V M M A E T D I S P O S I T I O  
Q V I N Q V E R E L I Q V O R V M  
huius libri capitum.

**E**Liūm audiuimus rigidorem quidem, sed necessarium censorem diuinatus praemissum qui calunnias amicorum irritatiorem factum Jobum, grauiſſimis & sapientissimis sermonibus, ab illo integratissime patrocinio, ad moderationem renovaret. Hunc autem subsequitur est ipse Deus Opt. Max. ex inopinato apparenſ, & cœptum quidem ab Eliō argumentum persequens, sed ita ut quantum omnibus modis inter homines quantumvis Dei spiritu afflatis, & Deum ipsum loquuntur, seu verba seu res spectemus intersit, manifestissimò liqueat. Ac primum quidem nō est quod existememus Deum hic quasi in poētico quopiam dramate induci dōcto unzavīc apparentem. Tota enim hec narratio testatur veram historiam hoc loco contineri, ab aliquo postea, dictante Spiritu Sancto, bona fide descripsian, quem esse Moſen nonnulli ex Hebreis tradiderunt. Et sancè in multum aliud tempus reisci her historia commodiūs & verisimilius potest quam in illud quo, floruit Iudeis, Israelite in Egypto commorabantur. Scimus autem Moſen annis quadraginta apud Madianitas vixisse, ubi hec cognouisse potuit, nempe ut proximè illos gestas, & quemadmodum primum suum librum quem Genesim vocamus, sic etiam hanc historiam sermonis a cœptis p̄fisse, probabiliter videri potest. Deum autem per illa tempora variis modis extra ordinem patribus solitum apparere constat ex illorum ac etiam inferiorum temporum historiis, & apud Iudeos tunc veri Dei notitiam, & quidem eximiam, viguisse, sermones hoo toto libro habiti demonstrant. Locutus vero dicitur ex nimbo (sic enim male quam turbinem interpretari) nempe testandæ cœlestis Maiestatis causa, vt l. Samuel. 12. 17. siue iam tum repente excitato quum loqueretur Elius (quod nonnulli referunt illud, Audite audiendo, cap. Superiora vers. 2. & 7. Haedea hic appositum,) siue qui finem sermonis

Ely ex improviso excepit: ut quod toties interdisceptandum optauerat, nec tamen sibi concedendum sperauerat Iobus, re ipsa nihilominus sic consecutus, nempe ut apud ipsum Dei presenit tribunal agere sibi suam causam liceret. Sed hic sunt nobis quam plurima diligenter obseruanda, quia principius huius totius historie fructus hinc sit nobis colligendus: nempe in primis quam admirabilis sit Dei Opt. Max. prouidentia, cum in gloria illa sua tanto illustrius patescenda, quanto magis Satan, & qui vel imprudentes vel scientes Satanae subseruunt, illam obsecrare conantur: tum in suis arbitrio suo, quamvis interdum occultissimo semper tamen iusto, exercendis quidem sed nunquam deserendis: immo tum demum poterissem liberandis, quum desperatisima omnia videtur. Deinde, quām est moderata Dei in his reprobationibus dilectione? Quum enim nemo in illa disceptatione non peccarit, Iobus nimis, immoderatè, quod ad Deum etiam ipsum attinet, multa pro sua iustitia loquitus: ipsius autem amici vitam anteactam Iobi immetato culpantes, & quod expresse declarauit Deus cap. 42. v. 7. perperam de dignoscendo Dei in homines odio vel amore sentientes: quām clementer & paterno planè affectu Deus Iobum obiurgasse contentus, amicos eius licet severius reprehensos, tamen in gratiam recipit. At enim, inquires, Elium dicta Iobi non pauca sinistrè & aliter quām mens ipsius ferret interpretatum præterit, ipsius etiam quasi vestigium insistens, ut penitus videatur eius accusationi subscriptisse. Respondeo sū se quidem Elium diuinitus præmissum, qui Iobi non nisi acri medio cessari intemperiem, proposita illa summa ac terribili diuina Manifestatis gloria, compesceret: sed profectam ab Elio reprobationem eatus tamum à Deo fuisse approbatam, quatenus & Iobum & ipsius amicos merito reprehenderat, & de Dei maiestate reclivissimè aduersus illos disseruerat: non autem in ipso reprobationis modo. Quum enim Elius Iobum non tantum vi audaciū in disputationem de Dei administratione ingressum, sed etiam quasi impietatis ac blasphemie reum accusasset, amicos autem eius parè admodum & ieiunè arguisset, immo etiam illis aliquatenus visus esset in eo assentiri, quod ab irato Deo Iobus castigaretur: Deus ē contrario Iobum grauiter potius quam acerbe, non ut impie sed ut insipienter locutum reprehendit, amicos autem eius notarium vi imprudenter, sed etiam ut de diuinis iudiciis perperam sentieret: & de Iobo, quem illi quidem damnarant, ipse vero ab illorum calumnia absoluī, contra veritatem loquitos asperrimè obiurgat, & non nisi Iobo ipso pro illis iram Dei deprecante, ipsius reconciliatur. At cur in Elium nihil prorsus? nempe tum quod in re ipsa, Dei videlicet afferenda iustitia, nihil peccasset: tum ne noua insinueretur altercatio, cui semel definiende ipse dignatus erat apparere. Preterea in hac historia, ac præsertim in eius catastrophe, ut in limpidissimo speculo, in Deo quidem singularis illa oratio Davidis, & erga resipiscentes omnes ineffabilis clemensia: in Iobo vero & ipsius amicis sapientissimorum etiam hominum infirmitas & terribilis lucta, scientia inscitia, prudensia imprudentie, patientia impatiens, spes desparationi, fortitudo infirmitati, demissio superbie, docilitas rebellio-

niper-

ni permixta, nobis contemplande proponuntur, *Deo Opt. Max.* tamen nunquam suos athletas deserente, & tandem benignissime sua in illis dona coronante. Postremò vera Physices Deopiar & summum ac principium eius finem, nempe ut in illis spaciis tanta & Sis aoparā cōtoplemūr, quantum his capitib[us] iūse Deus nobis enarrat, ut vel hanc unam ob causam sit nobis hic liber pro incomparabili thesauro assidua lectione ac meditatione habendus. Quod autem ad bellas illas duas nempe Behemoth terrestrem & Leviathanum aquatilem attinet, quarum descriptionem Deus copiose persequitur cap. 40 & 41. quæ de Behemoth dicuntur, tā conueniunt vni Elephanto, ut ambigi, meo quidem iudicio non possit, quin de hac una bestia disseratur: quam non ineptè tradunt Hebrewi nomine plurali, quasi Bestias dicas, appellari, quod unica propter tantam molem sit plurimarū instar. Nec etiam dubito quin cap. 40. versio. 12. Z A N A V , qua voce solet cauda intelligi, sic vocata quod sit quiddam à tergo prominens, intelligatur, elephanti non cauda, sed proboscis, velut alterius cauda speciem referens: quam certè ut e lephantu propriam, & usus in illo animali prorsus admirandi, minime prætermitti in hac descriptione oportuit. Leviathanum autem non esse Balenam, quam vocant, neque ex Cetorum genere, sed Crocodilum ingens illud & terrible Nili monstrum, ut reliquas eius descrip[ti]o[n]is partes, ac presentim tergum quasi monticulis impenetrabilibus constitūt. & veniris laminas prætereā manifeste ex eo liquet, quod ex ceteris nullus prorsus piscis sequamas gerat, nullus si collo prædurus: duo verò duntaxat, nempe Physeter & Orca sint dentibus armati. Neque huic sententiae mea obstat quod cap. 40. vers. 20. fiat linguae mentio, qua carent crocodili. Nec enim bi dicunt Leviathanus lingua præditus, sed negatur posse piscium instar capi, quorum lingua, vel labra solent hamo corripi. Id dum ei autem & totius illius tractus genibus, ab alto quidem mari remotis, Ægyptio verò vicinis, cuius tunc regnum florebat, tam fuerunt procul dubio non Elephantes & Crocodili, quam ignota fuerunt in gentes ille Oceani bellue in Arabico illo sinu vix etiam fortassis naturae.

## CAPUT XXXVIII.

1. Respondit autem Iehoua Iobo ex nimbo, & dixit.

Tum demum verò & ternus ille Deus satis diu sibi visus athletam suum cum Satana & Satanæ administris commisisse, nec unquam suos periclitantes deserens: ac etiam futurum prospiciens ut si forte Iobus & ipsius amici Elio responsarent, nouum exoriretur certamen: volens denique, perpetuo Ecclesiæ suæ bono, grauiissimā hāc cōtroversiam ipsem et ore suo decidere: excitato repentè nimbo diuinæ ipsius Maiestatis teste, in primis Iobum in eo in quo peccarat, et si grauiter, tamē paterno

affectu sic est alloquutus.

2. *Quis est iste obscurans consilia (mea) absque scientia? (id est, sua infitia.)*

Enim uero quisnam iste est tanto magis sese & alios seru in omnibus imperitiæ plenis inuoluens, quanto magis consiliorum meorum rationes & causas frustra scrutatus, nullum neque lamentandi, neque suæ tuendæ iustitiæ finem facit?

3. *Accinge, quæso sicut vir, renes tuos: interrogabo te, & indicam mihi (de quibus te roga uero).*

Cedo igitur quandoquidem tecum disceptare libet, virum te præsta, & hoc iter ingressurus, quibus volueris argumentis, quasi succinctis renibus, accinctus prodi. Meæ sunt interrogandi partes (nam hoc tu ipse mihi liberum fecisti) tu verò te ipsum ad respondendum compara.

4. *Vbinam eras quum fundarem terram. Indica (istud) mihi, si quidem & (hoc) intelligis.*

5. *Quis statuit eius dimensiones, quod scias: aut quis super eam expandit funiculum mensurium?*

6. *Super quid eius bases sunt defixa, aut quis collocauit lapidem eius angularem?*

4. *Vbitum eras quum terram, ut firmum fundementum, nudo substernerem? Hoc tu mihi narrato, si potes.*

5. *Et quomodo sim illius dimetitus, si forte & istud nosti: & tuane an alicuius opera & industria mensuriam regulam illi disponendæ adhibuerim. 6. Quibus defixa palis illam tantam molem imposuerim: & cuius operae lapidem angularem pro tanta sustinendæ structuræ fulcro substrauerim. Qui verò tantam hanc vniuersitatis machinam solus aptauit, te scilicet Iobe, fulcire non poterit? qui mundum vniuersum immo te ipsum absque te condidit, te scilicet ritè, nisi consilio tuo adhibito, non gubernauerit?*

7. *(Vbi eras) quum hilares concinerent stellæ matutinae, & jubilarent omnes filij Dei?*

7. *Quod si supera magis placet ut petamus, vbi tum eras, quæso, quum faces illæ cœlestes primùm inciperent fulgere, & in numerum tripudiare, & de hoc opere beatissimi spiri-*

ti spiritus illi succinentes mihi gratulari?

8. Ecquis obstruxit claustris mare, quum eductum è matrice prodiret?

9. Quis statuit nubes indumentum eius, & densam caliginem, fasciam eius?

10. Immo præcidi super eo statutum meum, apposuīque ei repagula & claustra.

11. Et dixi, Huc usque progrediēris: & hic sistet elatio fluctuum tuorum.

8. Sed age, mare quoque ingrediamur: & hic mihi considera quisnam illud haud securus quam velut ex quodam vtero, in quo prius conceptum fuisset, erumpens, suis velut oppositis valuis repressit? 9. Quis nubes illud circumtegentes, sursum stabilitas continet? quis illa densa vaporum caligine tanquam fasciis illud inuoluit? 10. Annō ego, qui certo etiam & irreuocabili decreto illud quantumuis surens, additis etiam ei repagulis & ostiis, constringi? 11. Nam hue usque dixi, progrediēris, & hic gradum sistet, quantumuis altè sese attollēs tuorum fluctuum impetus.

12. An in diebus tuis imperasti diluculo, (&) indicasti aurora locum suum?

13. Ut apprehendat alas terræ, & scelerati excutiantur ab ea?

14. Et mutetur ut lutum figuli, & adstant quasi vestimenta,

15. Et prohibeatur à sceleratis lux ipsorum, & brachium excelsum confringatur?

12. Et vt te sursum rursus attollam, num ex quo tu natus es, luci præscripsisti sui exortus leges: & auroræ significasti vnde sese videndam præberet? 13. Ut mox extremas terrarum oras radiis, quasi totidem digitis, iniectis prehendant: & ad eius conspectum diffugientes scelerati, ex terra dispareant? 14. Terra verò ad eius exortum immutata, nouas infinitas rerum aspectibiliū formas, instar luti quod figuli arbitrio effingitur, recipiat, quibus tanquam veste versicolori induatur? 15. Lucis autem beneficio, deprehensi tandem scelerati, fracta grassantium ipsorum superbia, aboleantur?

16. Num peruenisti usque ad recessus maris, & in penetrali voragini inambulasti?

17. *Num patent tibi portæ mortis, portas, inquam umbra mortis vidisti?*
16. *Quid?num ad intimos vsque maris gurgites penetrasti, & in voraginis illius penetralibus es versatus? 17. Num illius profunda, quæ verè dixerim mortis regiam, & illas ipsa pœnè morte tenebricosiores umbras, es ritmatus?*
18. *Tú-ne considerasti vsque ad latitudines terræ: indica nobis an totam illam noueris.*
19. *Quænam via (sit, vbi) habitat lux, & ubi sit tenebrarum locus.*
20. *Vt illam vel istas accipias in regiones sua, & quòd noueris iter domus ipsius.*
21. *(Ista scilicet) nosti: quia tunc natus eras, & numerus dierum tuorum multus est.*
18. *Tibi-ne verò terræ spatia perspecta sunt, ! quacunque patent, & illam vniuersam tibi notam esse ausis affirmare? 19. Num ipsam lucis sedem nosti, & vbi sit tenebrarum statio? 20. Ita vt illam & istas in sua regione deprehensas, & acceptas, arbitrio tuo, per notas tibi semitas, deducas? 21. Nosti nimirum ista lobe, iam tum scilicet, natus, quum illas conderem, & suis vicibus disponerem, & nunc ætate quā longissimè prouectus.*
22. *Num ingressus es promptuaria niuis, & penu gran dinis vidisti?*
23. *Quæ recondidi tempori afflictionis, & diei belli ac prælii?*
24. *(Nosti) qua via erumpat ignis spargens Eurum super terram?*
25. *Quis deriuet inundationibus sulcos aquarum, & viam fulgetro tonitruam?*
26. *Vt pluat super terram ubi non est quisquam, & super desertum ubi nemo est?*
27. *Ad satiandam vastitatem & desolationem, & ut germinaret faciat egressum herbarum?*
28. *An est pluvia pater aut quis gignit stillas roris?*
29. *Ex cuius utero exit gelu? & pruinam cælorum quis gignit?*
30. *Instar lapidis abduntur aquæ, & superficies voraginis concrescit.*
22. & 23. *Sed quum ipsius mundi partes istæ superæ & inferæ*

inferæ captum intelligentiæ tuæ superent, notiora sunt tibi fortasse tum quæ in aëre ipso geruntur, tum quæ in terra ipsa conspiciuntur. Sæpiissimè vidisti quum ningere & grandinaret: & horum materiæ perspicere potuisti. Sed dic amabo, nostin' quas mihi niuis & grandinis cel-las construxerim, vnde quoties & qua copia libuit illas depromam, quoties vel castigate mortales, vel cum re-bellibus mihi visum est belligerati? 24. Nostin' quo coruscantibus fulminibus viam aperiente tempestates horrendæ, quales Eurus præsertim concitare solet toto mox cœlo personent? 25, 26, & 27. Quis ruitura cœli-tus aquarum diluuia, quasi diductis sulcis distibuat, via per medios nimbos fulgurum & tonitruum ignibus pa-tefacta: vt tum in deserta, & nullis hominibus culta tem-pestates istæ auertantur, tum regionibus alioquin aridis & sterilibus penitus futuris, quanto illis opus est humo-re abundè irrigatis, proferre se plantarum omne genus incipiat? 28. Cedò verò nū sicut homo ex homine, sic pluua generatur, vel stillæ roris gignuntur, ac non potiùs meo vnius arbitrio ista conspiciuntur? 29. & 30. An vt foetus ex matribus, sic ex alicuius vtero prodit gelu: pruina sursum gignitur? aqua in lapidum duritiem dis-paret? profundissimarum etiam quarumuis aquarum su-perficies concreta consolidatur?

31. Num alligabis delicias Chimah, & contractiones Chесil dis-solues?

32. Num educes Mazzaroth tempore suo, & Has cum filijs suis deduces?

33. An nosti statuta cœlorum, aut disponis præfecturam eorum in terra?

34. Num attolles ad nubes vocem tuam, & abundantia aqua-rum te operiet?

35. Num emittes fulgura, & dicent tibi, Ecce nos?

31. Et quum quatuor anni tempestatum cursum sydera moderentur, sic à me ordinatum, vt tamen non semper similis sit earum temperies: tú-ne is es, ac non potiùs ego vnuis, qui Veris amœnitatem cohibere, qui hyemis rigo-rem possim dissoluere? 32. Téne iubente, suo tempore comparebit Aëtas, & Autumnus cum liberis suis, nem-

pe annuis fructibus, tunc colligendis, suum cū rsum conficit. 33. Num curæ & administrationi tuæ commissi sunt illi fixi & innenarrabili ratione dispositi cœlorum motus? num tu illorum in terris effecta, quasi præfecturas quasdam, distribuisti? 34. Tuá-ne voce iussæ nubes aquarum copiam in tuum caput effuderint? 35. An tu is es qui fulguribus prorum pendī potestatem facias; & cui iubenti se præstd adesse responderint?

36. *Quis indidit precordiis prudentiam, & quis dedit intellectui intelligentiam?*

37. *Quis recenset nubes sapienter, & hydrias cœlorum quis componit?*

38. *Quum funditur puluis in duritiem, & glebae conglutinantur?*

36. Immò ad ista vtcunque, non quidem efficienda, nec gubernanda, sed cognoscenda, & ad vsum suum applicanda, tum prudentiam, tum sagacitatem, tum notitiam hominibus indidit: Nam certè à seipso il lam habere nequeunt, qui à seipso existere non cœperunt. 37. & 38. Ecquis, vt paucis illa quotidie in aëris officina fabricata comprehendam, nubes inenarrabili sapientia turmatim in cœlis ad pluendum dispositas recensem, vt minuto prùs puluere madefacto, & sic coalecente, hiulcæ priùs præ ariditate glebæ agglutinentur?

### CAPVT XXXIX.

1. *Num seni Leoni prædam venaris, & animam leunculorum exples:*

2. *Quum deprimunt se in lustris, (&) manent in umbraculo suo ad insidiandum?*

1. & 2. Sed age, ad ipsas tum terrestres tum volucres bestias accedamus, vt hic quoque sciamus quantum valeas. Tu scilicet senibus leonibus de præda venādo proficis, & famelicorum leonum caput demittētum in lustris, & intra latebras insidiarum causa latitantum, in gluuiem exples: an ego potius illos prouidentia mea pafco, quam assequi nequeas?

3. *Quis preparat corvis escam, quando ipsorum pulli ad Deum clami-*

clamitant: & vagantur nec est eis esca?

Idem te docent corui, quorum pullos omni esca de-  
stitutos, & famem crocitoando testantes, ego vnuis haud  
secus exauditos pascō, quām si ad me vociferarentur.

4. An nosti tempus partus ibicum rupicolarum, & parturi-  
tionem ceruarum obseruaſti?

5. Numerāſ-ne menses quibus (conceptum) complent, & no-  
sti tempus partus earum?

6. Incuruant ſe, fætus excludunt, & dolores ſuos emittunt.

7. Valent fætus earum, crescūt foris, exeunt nec redeunt ad eas.

4. Geris curam ſcilicet partus rupicararum, & cer-  
uarum parturitionem gubernas. 5. Præſcripſisti ni-  
mirum illis quo mensibus ſint conceptum fœtum ge-  
ſtaturꝝ, & quo momento pariturꝝ. 6. Immo mea v-  
nius prouidentia ipſas gubernante, vbi tempus partus  
aduenerit, nullis egentes obſtreticibus, ſeſe incuruātes  
pariunt: & cum fœtu, dolores omnes partus emittunt.

7. Hinnuli verò quanuis nulla ope externa ſic exclusi,  
valentes ac ſani matres fugunt, donec & iþi prodeant  
matres relictas nunquam reuifuri.

8. Quis emiſit onagrū liberum, & onagri vincula quis ſoluit:

9. Cuius domum conſtitui ipſam ſolitudinem, & habitacula  
terram ſalfam?

10. Deridet strepitum urbium, & clamores exactoris nō audit.

11. Inueſtigatio montium (eft) paſcuum eius, & poſt omne vi-  
renſis inquirit.

8. & 9. Ecquis vñquam captiuum factum onagrum,  
poſteca cicuratum, ſolutis vinculis dimiſit: cui nullam a-  
liam ad habitandum ſedem quām iþa deſertissima lo-ca,  
& p̄t ariditate ſalſuginofa conſtitui? 10. Itaque nihil  
eft illi negotij cum urbium ſtrepitibus: nec vt animalia  
domestica, quorum ad onera geſtanda magnus eſt uſus,  
aurigarum & aliorum crudelium exactorum flagella vel  
clamores curat. 11. Auia montium ſunt illius ſtabu-  
lum & paſcuum, in quibus omnes virentes plantas ſoli-  
cità perueſtigatas depaſcit.

12. Num monoceros feruet tibi? num commorabitur ad pre-  
ſepia tua.

13. Num ligabis monocerotem ad ſulcum (ducentum) fune ſuo?

*num occabit conuallès post te?*

14. *Num fides ei quòd magnum sit eius robur? & committes ei laborem tuum?*

15. *Num credes ei quòd reddet semen tuum, & aream tuam coaceruabit?*

12. *Iam verò num Monocerotem tibi subieceris? num ille apud præsepio tua commotabitur? 13. Num ut boves consueisti, sic illum funibus suis deuinctum vel tibi ad arandas terras præte, vel, te præeuntem ad illas, confractis glebis, complanandas, adhibueris?*

14. *An, quia magnum est eius robur, idcirco eius opera nitēris quasi ab hoc animali labor tuus dependeat? 15. Num, inquam, ab illius labore messem credulus expectabis: & areæ tuæ congerendæ spem in illo repones?*

16. *(An à te)ala pauonum exultat? an (à te est) penna struthioni & pluma?*

17. *Et quòd humi deserit oua sua, & super pulnerem souet ea?*

18. *Et obliniscitur quòd pes est ea conculcaturus, & fera campi sit illa obtritura?*

19. *Duriter tractat pullos suos non suos: in vanum (est) labor eius, absque metu.*

20. *Quia priuauit eam Deus sapientia, nec impertitus est ei intelligentiam.*

21. *Tempore (quo) in sublime se attollit, deridet equum & ascensorem eius.*

16. *Tú-ne tam elegantibus plumis pauonem circumuestiuit? tunc tales pennas & alas struthiocamelo attri-  
buisti? 17. & 18. At illa quāuis alioqui magnitudine cę-  
teris auibus præstans, oua, ab ipso in quo iacent pul-  
uere souenda, humi telinquit, minimè cogitans fore vel  
ut transiuntis alicuius pedibus elidantur, vel ut à bestiis  
per campos oberrantibus obterantur. 19. Tam est im-  
mitis in pullos suos simul & non suos, vt pote quos fru-  
stra conceperit & pepererit, dum nulla pro illis solicitu-  
dine tangitur.*

*20. & 21. Sic enim mihi Deo visum  
est illum vècordem, & intelligentiæ, brutis etiam reli-  
quias communis, expertem create: alioqui tantæ pernici-  
tatis ut quum semel alas sursum expandit, non equus,  
non*

non eques illum, pedibus quidem currentem, alis autem cursum remigantem, assecuratur.

22. Num tribuisti robur equo? nū induisti collum eius fremitu?

23. Num terrebis (id est territum fugabis) eum ut locustam? robur naris eius est terror.

24. Fodunt (pedes eius) scrobem, & gestit robore suo, prodit in occursum armorum.

25. Ridet ad paucorem, nec consternatur, nec auertit se à conspectu gladij.

26. Super eum sonat pharetra, (& ferrum lanceæ, & hastæ.

27. Cum succusione & agitatione terram deglutit, nec curat quod sit sonitus buccinæ.

28. Ad buccinam dicit, Euge: & eminus olfacit prælium, clamorem ducum, & classicum.

22. Num à te suppeditatur equo robur, & terribilis ille conceptus intra collum fremitus? 23. Num leui aliquo strepitu commotum illum fugaueris ut locustam? immo meros terrores naribus spirat. 24. Viden' ut terram pedibus fodit? ut sibi placet in suo robore? ut vltro armatis occurrit? 25. Ut illi ludus est ac iocus quod a lios perterrefacit? ut nihil minus quam consternatur? ut ad gladiorum conspectum minimè retrocedit? 26. Ut nec pharetræ à sessore suo gestatæ, nec eius lanceæ, nec hastæ fragore terretur? 27. Ut sese succutiens, & hoc & illuc incitans, terram ipsam videtur inuadere & vorare paratus, nec buccinæ clangore vel tantillum mouetur? 28. Immo ad eius sonitum edita penè voce exultat, quasi naribus ipsis prælium, ducum tonitru, & militum acclamations, eminus odoratus?

29. Num ex intelligentia tua pennas recipit accipiter, & alas ad Austrum expandit?

30. Num ad os, (id est, sermonem) tuum attollet sese aquila, & quid? attolet nidum suum?

31. In petra habitat, & commoratur super verticem petra & arcis.

32. Inde scrutatur escam, eminus oculi ipsius prospicunt.

33. Et pulli eius deglutiunt sanguinem, & ubi fuerit cadaver, ibi est.

29. Num edocetus à te accipiter, nouis plumis, abiecta

rum veterum loco, receptis, alas Austrum versus calore  
Solis vegetandas expandit? 30. Num iussu tuo tam al-  
tè volat aquila? & tu scilicet illam doces tam editis locis  
nidum suum extruere: 31. in editissimis rupibus habita-  
re, atque adeò in summis ipsarum rupium verticibus se-  
des suas ponere: 32. inde prædam acutissimis oculis  
procul obseruatam captare: 33. ibi suorum pullorum  
ingluuiem sanguine pascere, & ubique iacet cada-  
uer, eò statim euolare.

34. Deinde compellauit Iehoua Iobum, & dixit.

35. Num contendens cum Omnipotente, erudit et cum? dispu-  
tans cum Deo respondeat ad istud.

34. His dictis Iehoua animum Iobi explorans, & ve-  
luit aliquod sese colligendi spatiū ei concedens, 35. Au-  
dis, inquit, ista Iobe? & fieri posse putas ut quispiam sus-  
cepta cum Omnipotente altercatione ipsum reddat erudi-  
tiorem? Agedum ergo nūc, si mecum tibi libet amplius  
contendere, proferto si quid habes quod ad ista  
respondeas.

36. Respondit autem Iobus, & dixit.

37. Ecce, sum vīlis, quid responderim tibi: manum meam ap-  
pono ori meo.

38. Semel sum locutus: non respondebo ulterius. Immò secundò  
(sum locutus) non pergam.

Ad hæc autem Iobus verè Dei timentem & docilem  
sese præbens, Ecce, inquit, reum habes confitentē. Méne  
verò nihil homuncionem tibi quicquam responsare?  
Immo perpetuum ipse mihi silentium indixi. Satis su-  
pérque in eo peccavi, quòd semel atque iterum tam cō-  
fidenter sum loquutus. Absit ut ulterius vel tantillum  
pergam.

#### CAPUT XL.

1. Respondit autem Iehoua ipsi Iobo, & dixit.

2. Accinge nunc sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & in-  
dicabimini (quæ percontatus fuero.)

Tum verò Iehoua ad rem propositam propriùs acce-  
surus, nempe ad suam illam ~~au~~ Tropæ Cœnū, eāmque non mi-  
nùs iustum quam immensam potestatem, propositis e-  
tiam

tiam aliis rursus eius exemplis afferendam , cui simpliciter & sine exceptione sit acquiescedum , illum ipsum ex nimbo rursum compellans , Vt , inquit , magis etiam hoc ipsum noris , nec ullus tuus conscientiae scrupulus inhæreat , quasi te velim tyrannica vi quapiam opprimere , quod antea tibi dixi , rursum dico . Si putas aliquid in te situm quo fretus mihi obsistas , age , prodi omnibus vitiis tuis instructus , & ad ea quæ ex me audies , responde .

3. Num etiam dissolues iudicium meum , & me reum facies ut absoluaris ?

4. An (est) verò tibi brachium sicut (brachium) Dei , & vocet tonas sicut ille ?

5. Orna te ipsum magnificentia & sublimitate , & induitor maiestate ac decore .

6. Exere furores iræ tue , & intuere quemuis superbam , & eum deprime .

7. Intuere (inquam ) quemuis superbam , & cum deprime , & contere sub se (id est in loco suo) sceleratos .

8. Abde illos simul in puluere , & eorum vultus constringe in abscondito loco .

9. Et ego quoque fatebor , quod seruet te dextera tua .

3. Dispice tecum , Iobe , quorsum tandem istis eiulatibus aduersum diem tuum natalem effuderis , & quousque in tuis iustitiae defensione sis progressus , quum de meis tum in tolerandis malis tum exercendis bonis tam subtiliter , vt tibi visus es , differeres . Quæ fuerit enim mea tum in creandis , tum in disponendis sursum & deorum rebus , tum potentia , tum sapientia , captum omnem omnium superans , tibi , propositis non paucis exemplis ostendi : & ista in teipso quoque valere non agnosces ? Tú ne igitur meam illam in rebus omnibus administrādis rationem possis non tantum comprehendere & arbitrio tuo subiicere , verum etiam infirmare , vel ullius iustitiae arguere , vt tu quidem iustus , ego verò iniustus deprehendar . 4. Agedum verò veniamus in rem præsentem . Si tibi foret huius mundi administratio cōmissa , est ne tibi vis ea tuendæ rerum omnium vniuersitati quam ego Deus unus præditus ? vel ad terrendos aut etiam perdendos sceleratos mundi perturbatores , illa tonitruū

tam terrificā vox concessa? 6. Accerse quam tam cunq;  
dignitatem & sublimitatem poteris, adesto quo quis splē-  
dore & maiestate circumcinctus. 7. & 8. & 9. Prodi  
præterea minaci vultu, qui irarum flamas hinc inde e-  
iaculetur. Appareant tibi ex aduerso superbi & arrogan-  
tes, quibus repletus est mundus: si conspectum illorum  
sustinere: si domare illos si elatos istos ad terram dare, &  
vt semel profigati nunquam post hac appareant efficere  
potueris: tum sanè palmam tibi cedam: & profitebor te  
quoque in te ipso satis ad te regendum & ab omnibus  
periculis liberandum præsidij habere, vt à quo quam te  
pendere minimè oporteat.

10. Ecce sanè Behemoth quem feci tecum: herbam sicut bos co-  
medit.

11. Ecce sanè robur eius (est) in lumbis eius, & fortitudo eius in  
finibus ventris eius.

12. Agitat prominentiam suam (quæ est) sicut cedrus, nerui ter-  
ritationum ipsius sunt perplexi.

13. Ossa eius sunt trabes ærea, ossa eius (inquam) sicut massa  
ferrea.

14. Hæc bestia est caput viarum (id est operum Dei: qui fe-  
cit eum applicat ei gladium suum.

15. At qui montes ferunt ei germē, & omnes bestiae agrestes lu-  
dant ibi.

16. Sub umbrosis arboribus iacet: in latibulo calami & cæni.

17. Obtegunt eum arbores umbrosæ (vt sint) umbra eius: cin-  
gunt eam salices torrentis.

18. Coarctat flumen, & non festinat: confudit quod adducet Ior-  
danem ad os suum.

19. Quis in oculis eius capiet eum, & tendiculis perforabit na-  
res eius?

20. Ut autē deinceps ipse te pede tuo metiri, & intra fi-  
nestras tuas continere discas, ecce tibi ingentem illā belluā  
propono quæ una est multarū instar, & est, vt tu quoq;  
opificiū meū: Elephantē videlicet, cuius vides quanta sit  
præte magnitudo, & tamen fœno vesicitur bouis instar,  
nec magnitudine illa sua superbè abutitur. 21. Nec est  
cur quisquā existimet vites illi nō adesse pro corporis  
magnitudine. Maximum enim esse ipsius robur ampli-  
tudo

tudo laterum, & ipse sinuatus ac rugis contractus ipsius venter demonstrat. 12. Quid quod prominentiam illam, quam proboscidem vocant, cedri instar proceram, celerrimè hue illud agitat: totam ad terrefaciēdos quoquis perplexis & consertis neruis contextam? 13. Ossa verò ipsius, præsertim caua illa duo ex ipsius ore prominentia, totidē esse dixeris chalybeas fistulas: cætera verò totidem ferri massas. 14. Denique inter animalia cætera terrestria extare istud volvi tanquam insigne potentiae meæ testimonium: & sicut illud condidi, sic etiam ipsum armis conuenientibus instruxi. 15. Contentum est tamen pabulo quod ei montes suppeditant, nemini iafestum, nemini noxiū hoc animal, cuius cōspectum & consortium reliquæ bestiæ minime refugiant, sed potius appetant. 16. Sedes igitur illi præbent arbores opacæ, palustribus & viginosis in locis inter calamos delitesceni. 17. & 18. Vbi ramorū umbra tectos, illos, & inter silices torrétes versantes, si quādo sitis corripuit, alueum ingressi, mole sua cursum frangente, faciunt ut torrens hūc illuc diductus, tenuior decurrat: sic abunde bibente elephanto, ut totum vel ipsum, si ipsi ad esset Iordanem ingurgitare velle videatur. 19. Ecquis autem venator vel conspectum eum vlla vi cœperit? vel ipsius naribus laqueo per insidias perforatis, interceptum abduxerit?

## CAPVT XLI.

1. Num trahes hamo Leuiathamum, & fune (quem) immerseris ipsius linguae?
2. Num indes iuncum naribus eius, & spina perforabis eius maxillas?
3. Num multiplicabit apud te preces? num blāda loquetur tibi?
4. Num feriet tecum faetus, ut eum acceptes in seruum perpetuum?
5. Num ludes eo tanquam anicula, & ligabis eum puellis tuis?
6. Num epulabuntur socii super eo: & distribuent eum inter negotiatores?
7. Num implebis vncinis cutem eius: & nassa piscatoria caput eius?

8. Impone manum tuam super illum, non perges meminisse  
præly.

9. Ecce spes illius (qui manum in illum iniecerit) frustrata  
est, (immo) nonne etiam ad aspectum eius prosternetur?

1. Ecce verò ut meliùs etiam animaduertas, quām fue-  
ris tui ipsius immemor quum tu me sic confidenter ag-  
gredereris: ecce aliud tibi proponam animalis vasti &  
immanis genus, crocodilum videlicet. Tú ne verò, nisi  
prorsus insanias, illum trahere te sicut pisces hamo, & fu-  
ne linguæ ipsius immerso posse speres? 2. Num illum  
attrahetum, vel naso, vel maxillis vncio perforatis, ex vin-  
culo iunceo seu vimineo pendentem asportabis? 3. & 4.

An ille tibi ipsum venanti, sicut in bello victoribus  
victi solent, supplex cū precibus, ad pedes accidet, blādis  
& mollibus verbis mortem deprecans? & de seruitute a-  
pud te perpetua tecum paciscens? 5. Num, sicuti facere  
patres cum puerulis suis iocantes consueuerunt, tanquā  
captam auiculam pedibus deuinctam, illum trades quo  
tuæ sese puellulæ oblectent? 6. Num socij piscatores  
super illius capture epulas instituent, & cum mercatori-  
bus de illo distribuendo pacissentur? 7. Num vbi ad  
illum capiendum ventum erit, vel coniectis certatim  
vncis illum petes, vel nassa piscatoria caput eius indues?  
8. & 9. Quod si quis malit suam in illum manum iniice-  
re, næ vltima hæc fuerit eius spe sua frustrati audacia.  
Immo ecquis non potius ad solum eius conspectum  
concederit?

10. Non (est ita) ferox (vllus) vt excitet eum: & quis coram  
me sese sifet?

11. Quis me prauenit, & reddam? (quod est) sub omni cælo  
meum est.

12. Non tacebo ipsius membra, & statum virium eius, & gra-  
tiam (id est admirabilem modum) structura ipsius.

10. Quum autem nemo sit tam ferox, qui vel quiescēs  
illud monstrum ausit excitare, quis nō miretur eius præ-  
fractam audaciam qui sese mihi palam ausit opponere?

11. Siquis mihi prior quicquam contulit, agedum pro-  
deat, & hoc illi acceptum feram. Immo sanè meum est  
& à me est quicquid est sub vniuerso cælo. 12. Immò,  
do qui-

quādoquidem huc meus sermo deuenit, placet etiam huius tam vasti animalis partes, statum omnem, & tantæ molis dispositionem enarrare, in quo tanquam singulari opificio meo, quis & quantus sim contempleris.

13. *Quis retexyerit superficiem vestimenti ipsius? quum duplice lupato, quis ad eum accesserit?*

14. *Valuas facie ipsius quis aperuerit? circuitus dentium eius (sunt) terror.*

13. *Quis, sicut sternendis equis fieri solet, detexerit ipsius stragulum, sellam ipsi impositurus? ecquis cum geminis lupatis ad eum accesserit?* 14. *Rictus eius valuas quis aperuerit frænum ipsi iniecturus? dentes eius vndique que meri sunt terrores.*

15. *Robora scutorum sunt elatio. (id est dorsum eius) clausum est (vnum quodque) clausura arcta.*

16. *Vnum alteri adiunctum est, & ventus non ingreditur inter ea.*

17. *Vnum alteri annexitur, coherent, & non separantur.*

*Affurgentibus & extuberantibus toto prominente tergo scutis validissimis armatus est, tam arcta commissura, sic consertis, vt ne flatui quidem vllus inter illa pateat meatus: & ea serie inter se vincitis ac continenter coherentibus, vt vnum ab altero nulla vi possit sciungi.*

18. *Sternutationibus eius accenditur ignis, & ipsius oculi sunt palpebra aurore.*

19. *Ex ipsius ore faces procedunt, scintillæ ignis, & ignea scintilla producent.*

20. *Enaribus eius egreditur fumus, sicut ex olla feruente, & lebet.*

21. *Halitus eius prunas accedit, & flamma prodit ex ore ipsius.*

18. *Si ronchos edit sternutanti similis, emicat flamma, quocūq; oculos aduenterit, dicas autoræ fulgotem coruscantem exoriri.* 19. *Faces scintillis igneis huc illuc erumpentibus dixeris ex ipsius ore emanare.* 20. *Fumū euomunt nares ipsius tam densum quam feruentes olla seu lebetes.* 21. *Prunas accensas exhalat, ore toto flamas euomit.*

22. *In eius collo commoratur foritudo, ante eum exulrat tristitia.*

23. Particulae carnis eius coherent, compacta sunt singula, nec dimouentur.
22. Collum eius tam rigidum & validum est, ut Robur ipsum videatur ei insidere: & quicquid solicitudinem a liis parit, vndarum videlicet insurgentium procellæ, excitat & exhilarat ipsius animum. 23. Artus eius minimè sunt diuuli, sed continui & arctissimè compacti, ut unus ab altero diuelli nunquam possit.
24. Core eius firmum est ut lapis, & validum ut mola inferior.
25. Ab eius eleuatione timent robusti: à confractionibus, sese purgant.
26. Siquis appetierit eum gladio, non stabit nec hasta missilis, nec lancea.
27. Reputat ferrum ut paleam, es ut lignum putre.
28. Non fugat eum sagitta, conuertuntur ei in stipulam lapides fundæ.
29. Tanquam stipula habentur ab ipso machina bellicæ, & deridet vibrationem hastæ.
24. Par est autem eius animus corporis viribus, tam firmus quam lapis, tam validus ad sustinendos omnes impetus, atque mola inferior. 25. Itaque fortissimus etiam quisque illum sese attollentem reformidat, atque adeò quanto impetu ruens fluctus confringat animadvertis, aluum soluit. 26. Quod si quis forte gladio ipsum feriat, resilit duritie tergoris illius repulsus gladius, atque adeò quodvis missilis teli genus. 27. Ferrum enim non magis moratur quam paleam, & chalybeā cuspidem, quam putre lignum. 28. Non fugat cum sagitta, funditorum lapides sunt ipsi tanquam stipula. 29. Immone tormentis quidem magis mouetur quam si stipulis missis peteretur, & ut rem ludicram habet hastæ vibrationem.
30. Sub eo sunt acuta testa, sternit sibi aculeata in cæno.
31. Feruere facit tanquam ollam fundum, & mare reddit ut mortarium pigmenti.
32. Post se lucidam reddit semitam: habuerit (quispiam) vaginam pro canitie.
33. Non est assimilatio (id est, simile quiddam) ei, factus sine paurore, (id est,) impanidus.

34. *Omnia sublimia despicit, est rex supra omnes elatos.*  
 30. Nihil moratus silicum vel scòpulorum acumina, le-  
 ctum sibi sternit in vligine. 31. Ibi iacens quum sese in  
 profundo commouit, feruet aqua sicut olla, vt aquæ vor-  
 ticem dixeris mortarium esse quod à pigmentario agi-  
 tur. 32. Tranans autem mare, splendet spumās æquor,  
 & candidantis capitis speciem refert. 33. Denique nul-  
 lum est in terris animal quod cum ipso conferri possit,  
 nec ita conditum omnis pauoris expers: 34. alia om-  
 nia præ se despiciens, & qui planè inter omnes grandes  
 & elatos Rex meritò sit appellandus.

## CAPVT XLII.

1. *Respondit autem Iobus Iehoua, & dixit.*
2. *Nouit omnia posse: nec prohiberi abs te cogitationem (id est, nihil abs te decerni quod re ipsa perficere non possis.)*
3. *Quis est iste qui consilium (meum) obscurat absque scientia? (id est, tua inscitia.) Ideo sum (quidem) locutus, sed (quæ) non intelligebam: mirabilia (sunt ista) supra me, nec (illa) noui.*
4. *Audi, quæso, & ego loquar: interrogabo te, & (illa) indica mihi;*
5. *Auditu auris audiueram te, nunc autem oculus meus videt te.*
6. *Idcirco auerter (illa priora) & paenitet me in puluere & ci-  
nere.*

1. & 2. Tum Iobus tantæ Dei ista ex nimbo tonantis  
 potius quam humano more loquentis maiestati impar,  
 nec amplius illum pergere sustinēs, Agnosco, inquit, ni-  
 hil esse quod non possis, & quam sapientes ac iustæ sunt  
 cogitationes tuæ, tam potenter abs te geri quidquid de-  
 creuisti. 3. Quam meritò verò, Iehoua, quæsiuisti insa-  
 faniam meam admiratus, quis iste esset consilia tua quan-  
 tò altius illa scrutatur, tantò magis inscitia sua inuolueſt.  
 Itaque, fateor, à me prolatæ quæ non intelligebam, ut po-  
 te captum meum longè latèque exuperantia, ideoque  
 mihi incompta. 4. Mé-ne verò mea culpa fuisse cō-  
 meritum, ut abs te verbis istis compellarer, Audi, quæso,  
 & ego loquar? Tuum enim est sanè iubere, non audientia  
 petere. Tuum est loqui, meum autem te iubentem au-

dire. Et quām me pudet istius alterius tuę vōcis, adhuc in auribus meis personantis; Percontabor te, & doce me! Sunt enim certe mēx nōn tuę, interrogandi & discendi partes. 5. Contrā verò quantum est istud tuum in me beneficium quōd quum te antea auribus dūntaxat cognouerim, ex iis videlicet quę patres illos nostros audiūimus de te nobis recitantes, nunc etiam teipsum in isto nimbo mihi präsentem, & inde mecum loquentem siſtēre sustinuisti? 6. Non tantū igitur illa prius à metam inscienter cogitata & dicta retracto, sed etiam detestor: & ecce reūm habes confitentem, atque adeò, hoc etiam puluere & cinere testibus pœnitentem.

7. Et factum est quum esset loquutus Iehoua ista verba Iobo, dixit Iehoua Eliphazo Themanita. Excanduit ira mea aduersum te & duos socios tuos, quōd non estis loquuti recte de me sicut seruus meus Iobus.

8. Nunc itaque sumite vobis septem iuuencos, & septem arietes, & itead seruum meum Iobum, & offerte holocaustum pro vobis. Iobus autem seruus meus precabitur pro vobis. Faciem enim eius suscipiam: ne faciam vobiscum stultitiam (id est, ne me sic geram aduersum vos, vt stultitia vestra meretur) quia non estis recte loquuti de me sicut seruus meus Iobus.

9. Abierunt igitur Eliphazus Themanites, Bildadus Subites, & Tsophar Naamathites, feceruntque sicut dixerat ei Iehoua, & suscepit faciem Iobi.

7. Habitit verò inter Iehouam & Iobum istis sermonibus, Iehoua longè magis tribus illis ipsius Iobi amicis infensus, vt qui nec de ipsius prouidentia, qua res humanas administrat, nec de ipsius amoris vel odij <sup>remunpion</sup> recte essent loquuti, & præterea, falsissimè anteactam Iobi vitā calumniantes, ipsum penè in desperationem adegissent: sermone ad Eliphazum Themanitem conuerso, At ego, inquit, & duobus istis sociis tuis grauissimè succenſeo, quōd de me non estis ita vt par erat loquuti, sicut seruus meus Iobus, immēritò à vobis oppugnatus. 8. Ite ergo, & acceptos septem iuuencos & arietes totidem, seruo meo Iobo tradite, per illum mihi, vestra causa, holocaustico sacrificio offeredos. Precabitur enim ille pro vobis, nedum vt pro malo malum rependat. Ego verò in illius gratiam

gratiam vobis reconciliabor, ne stultitiae vestrae quam meremini mercedem, minimè de me rectè sicut seruus meus Iobus loquuti, referatis. 9. Obsequuti sunt autē Iehouæ mandato tres illi, nempe Eliphazus Themanites, Bildadus Suhites, & Tsophat Naamathites, præbito singulare docilitatis & modestiae exemplo: ut qui etiam nec improbitate, nec malevolentia, sed per imprudentiam peccarant. Iobus quoque vicissim facile, sicuti vere bonos & pios homines facere decet, iniuriarum omnium oblitus, quod ipsi fuerat imperatum præstidit: & gratæ fuerunt Deo ipsius pro amicis deprecations.

10. Iehoua vero in contrarium veritati Iobi captiuitatem orante ipso profamiliaribus suis, & auxit dupla omnia quæ ipsi Iobo fuerant.

Quinetiam ista Iobi pro amicis illis suis, à quibus tam grauiter læsus fuerat deprecatio tam grata fuit Iehouæ, ut tot illas miseras quibus captiuum illum constringebat Satanus mox in contrarium statum conuerterit: & pro iis quæ priùs possederat Iobus, duplicitia in ipsum contulerit.

11. Venerunt enim ad eum fratres eius omnes, & omnes eius sorores, & quotquot priùs eum norant, & sumpserunt cibum cum eo domi ipsius: & condoluerunt ei, & solati sunt cum super omni malo quod Iehoua in eum induxerat: ac dederunt ei quisque pecudem vnam, & quisque monile aureum unum.

12. Iehoua præterea benedixit posteriori (statui) Iobi præ anteriori ipsius. Fuerunt enim ei quatuordecim ouium millia, & sex millia camelorum, & mille iuga boum, & asinas mille.

11. Mutatis enim diuinitus animis, omnes ipsius cognati & cognatæ, & qui priùs ei fuerant familiates, sponte ad illum conuenientes, ciboque apud eum capto, testati suum super ipsius casu dolorem, & eum consolati, singuli pecudem vnam, & auream inauré, ei donarunt amici tie integratæ pignus, & damni diuinitus ipsi inficti compensationem. 12. Iehoua præterea posteriorē hanc ipsius conditionem amplificauit supra præcedentem, adeò ut ouium millia quatuordecim, camelorum millia sex, iuga boum millia sex, asinas mille possederit.

13. Fuerunt etiam illi septem filii, & tres filia.

14. Et vocavit nomen unius Ichimimam, nomen autem secunda Kefam, nomen tertia Keren-happuch.

15. Nec inuenientae sunt fæminæ pulchrae ut filiae Iobi in tota regione, deditque illis pater hæreditatem inter fratres suos.

13. Sed & liberos ipsi donauit, quot prius habuerat: nempe filios septem, & tres filias, suis ipsarum nominibus suam præstantiam testantes. 14. & 15. Earum enim unam Ichimimam, quasi ipsum diei splendorem: alteram Casiam, ac si pretiosissimum aroma dicas: tertiam Keren-happuc, id est Cornu stibij, appellauit: quibus nullæ fuerunt fæminæ in illis regionibus omnibus, pulchritudine parens: tum etiam ipsi Iobo charæ, ut, quod alioqui moribus usitatum non erat, inter filios suos hæredes eas instituerit.

16. Vixit autem post ista Iobus annos centum & quadraginta, & vidi filios suos, & nepotes, ad quatuor usque generationes,

17. Mortuusque est Iobus senex, & satur dierum.


16. Denique ut victorem illum suum athletam Deus omni beneficiorum genere cumularet, superuixit his certaminibus Iobus annis 140. valetudine tam constante, ut sibi nepotes ex filiis ad quartū usq; gradū natos viderit: annosissimus tandem & matura proisus ætate mortuus.


### DEO SIT GLORIA.


#### Errata sic corrigito.


Pagina 9. linea 1 dele totam lineam primā 16. 34. scribe vers. 4. Ibant 20. 34. Iobus: 21. 40 v. 6. Et 36. 35. nocendi. & Ibidem, l. 13. v. 7. Et 36. 25. expertus Satan 39. 5. sibi parrefacta lb. 1. 18. executum 40. 19. ruat: 2. 14. ullis lb. 1. 30. extirpescus, ut quum 33. 20. decerni voluit lb. 1. 23. Deinde lb. 1. 24. sed res etiam ipse 58. 14. sed est 59. 42. vixit 61. 18. dele fuis 62. 17. 6. siue lb. 18. dele ipsam lb. 1. 25. appellatio 63. 11. Satan 2. 66. 19. nec ad 69. 3. dele fuit 70. 10. dele ex lb. 28. tollentes: lb. 4. omnes ad lobij 75. 34. tantum significat lb. 36. nunquam lb. 40. præstaudam 82. 28. abripiunt, lb. 33. faciunt lb. 41. ab ipso 83. 5. dele iplos 84. 34. abductum 85. 11. dele nos lb. 28. coronatus. lb. 29. quibus Dc 9. 87. 27. rnum 100. 9. feris lb. 16. feris 11. 10. ne ipso vi euulgo lb. 36. querebatur, Bildadus. lb. 37. dele erat 13. 9. suorum decretorum causas non defusmat lbid. 30. dele parentheses. lb. 38. Orionem 116. 6. saturer lb. 18. meo lb. 39. & ipso 127. 25. inuocantes lb. 30. suis prouocantes 128. 14. positum. 130. 19. dele incertid. lb. 27. præsente 133. 9. causam enim 134. 30. admiscens alibi, nempe cap. 19. 25. lb. 32. dele vers. 1. 13. 14. 15. & 26. 146. II. diceris lb. 35. accer lens. 148. 33. & confuerum 151. 16. adeperus. 154. 7. ex patria 157. 19. degustarit 158. 1. optatis lb. 27. fuerit. 205. 23. hac.


FINIS.














2362 & 63

